ATORIA
NISFERNA 222-A

Theologia Brugensis.

TRACTATUS
DE
DIVINA GRATIA

AUCTORE

JOSEPH VAN DER MEERSCH,

PHIL. AC S. THEOLOG. DOCTORE,
OLIM IN MAJORI SEMINARIO BRUGENSI THEOLOGIÆ DOGMATICÆ PROFESSORE
ECCL. CATH. BRUG. CANONICO CAPIT.

EDITIO ALTERA AUCTA ATQUE EMENDATA.

ALMA COLLEGE
234
LIBRARY
M472
Alma, California

BRUGIS,
CAR. BEYAERT EDITOR.

ROMÆ,
DESCLÉE, LEFEBVRE ET SOCII.

ROMÆ, RATISBONÆ, NEO-EBORACI,
F. PUSTET.

FRIBURGI BRISGOVIÆ,
B. HERDER.

LUTETIÆ PARISIORUM,
P. LETHIELLEUX.

MCMXXIV

1425

APPROBATIO PRIORIS EDITIONIS.

Tractatum de divina gratia, auctore R. ADM D. VAN DER MEERSCH, PHIL. ET S. THEOL. DOCTORE, in seminario nostro Brugensi Professore theologiæ dogmaticæ, libenter approbamus, utpote qui genuinam Ecclesiæ doctrinam et theologicam scientiam de gratia Dei accurate exhibet atque iis qui hujus materiæ studio incumbunt tutam demonstrat viam.

Brugis, 28 Augusti 1910.

† G. J. EPISC. BRUGEN.

Denuo imprimatur

Brugis in vigilia Ascensionis Domini 1924.

† G. J. EPISC. BRUGEN.

PRÆFATIO PRIORIS EDITIONIS.

In usum præsertim alumnorum nostrorum, theologicam de gratia scientiam, divinæ revelationi innixam, fideliter exponere ac ejusdem objectivum valorem palam facere scopus fuit noster. Quapropter veritates ab ipso Deo revelatas ex fidei divinæ fontibus collegimus, illasque in unum logicum systema ordinare conati sumus et ulterius explicare ope aliarum propositionum : quæ vel fuerunt ab Ecclesiæ Magisterio infallibiliter ut veræ definitæ, vel a theologis unanimiter ut certæ edocentur, vel absque unanimi consensu a probatis auctoribus propugnantur. Illa porro asserta, de quibus inter catholicos viget controversia, non tantum sincere proponere voluimus, sed etiam illud tueri ac vindicare quod præ aliis verum nobis videbatur.

Minime negligentes munus illud quod nomine THEOLOGIÆ POSITIVÆ *designatur, præcipue tamen* SCHOLASTICAM *disquisitionem conficere intendimus, memores illius quod de methodo adhibenda in sacra doctrina scribebat S. Thomas : « Quædam disputatio ordinatur ad removendum dubitationem an ita sit; et in tali disputatione theologica utendum est auctoritatibus, quas recipiunt illi cum quibus disputatur... Quædam vero disputatio est magistralis in scholis non ad removendum errorem, sed ad instruendum auditores ut inducantur ad intellectum veritatis quam intendit: et tunc oportet rationibus inniti investigantibus veritatis radicem et facientibus scire quomodo sit verum quod dicitur: alioquin si nudis auctoritatibus magister quæstionem determinet, certificabitur quidem auditor quod ita est; sed nihil scientiæ vel intellectus acquiret, sed vacuus abscedet* » (1).

Quæ ad ipsam doctrinam de gratia minus necessaria scitu dijudicavimus, minoribus typis excudenda curavimus.

JOS. VAN DER MEERSCH.

Brugis, in die octava S. Laurentii, anno Domini 1910.

---

(1) *Quodlibetum IV*, q. 9, a. 18.

PRÆFATIO ALTERIUS EDITIONIS.

In hac nova tractatus de divina gratia *editione, indolem quidem operis non immutandam censuimus, expositionem vero materiae perfectiorem reddere sumus conati* (1).

Quædam emendavimus ut videre est v. gr., n. 12, n. 30-32, n. 43, n. 47, n. 57, n. 74, n. 101, n. 160-164, n. 228, n. 314, n. 326.

Passim etiam adjunximus quœdam tum in notis ad calcem paginarum, tum in explicatis thesibus vel earum demonstrationibus ut v. gr. n. 37, n. 54, n. 70, n. 142bis*, n. 211, n. 214, n. 285, n. 326, n. 338, n. 355; tum in solvendis objectionibus, ut v. gr. n. 198, 216, 244*^{bis}*, 340; tum in considerandis rebus de quibus antea non fueramus locuti, ut v. gr. n. 29*^{bis}*, n. 213 (adnotatio), n. 254*^{bis}*, 392*^{bis}*; tum in exponendis auctorum opinionibus, ut v. gr., n. 145, n. 169*^{bis}*, n. 410*^{bis}*. Tandem* appendicem *conscripsimus in qua egimus de B. M. V.* omnium gratiarum mediatrice, *n. 412-427, et etiam de charitate prout haec est forma virtutum, n. 428.*

Crescat apud homines de divina gratia et cognitio recta et sincera admiratio; sed præsertim generose homines gratiæ cooperentur, qua fide vivant et charitate, quae ita excellentia reddit humana opera, ut mereantur de condigno intuitivam Dei visionem in aeternum possidendam ! (2).

Auctor

Brugis, 23 Maii 1924.

---

(1) Nihil mutandum censuimus animadversioni factæ, n. 302, circa quoddam argumentum adhibitum ad demonstrandam *existentiam* gratiæ mere sufficientis — 1°) Qui contendit illam *existentiam* demonstrare *ex facto* quod homines reapse *peccant*, debet probare hanc assertionem : in præsenti Providentiæ ordine nemo quodlibet committit peccatum, quin prius acceperit *gratiam* sufficientem ad illud peccatum non committendum; 2°) propositio hæc : « sine gratia sufficiente nemo potest servare mandata et superare tentationes » in sensu universali non est vera; e contrario tenendum est quod « sine *gratia* actuali stricte dicta aliquis potest quædam servare mandata et quasdam superare tentationes (v. n. 60). 3°) Ab impugnato a nobis argumento aliud est quod desumitur ex universalitate mortis Christi : sed non perspicimus quomodo ex illa universalitate logice inferri possit omnes et singulos homines, qui ad usum rationis pervenerint, accepisse *gratiam actualem stricte dictam*.

(2) Cf S. FRANÇOIS DE SALES, *Traité de l'amour de Dieu*, L XI, ch. 6.

INDEX RERUM ANALYTICUS.

INTRODUCTIO

I De notione gratiæ 1
II De divisione gratiæ 8
III Errores praecipui in re de gratia 12
1 De Pelagianismo 12
2 De Lutheranismo 14
3 De Baianismo, Jansenismo, Quesnellismo 15
4 De Rationalismo 19
5 De Modernismo 21

PARS PRIMA

De necessitate gratiæ generice spectatæ

Prænotandum. De notione necessitatis 29

Caput I

De necessitate gratiæ ad verum cognoscendum.

Art. 2s. De necessitate gratiæ ad cognoscendas veritates ordinis *naturalis* 31
Art. 2s. De necessitate gratiæ ad cognoscendas veritates ordinis *supernaturalis* 36

Caput II

De necessitate gratiæ ad actus moraliter bonos.

Art. 1s. De necessitate gratiæ ad actus *salutares* 39
Art. 2s. De necessitate gratiæ ad actus *mere honestos moraliter* . 58
Scholion I. Ulterior explicatio de hac necessitate gratiæ . . 69
Scholion II. De medio cognoscendæ hujus necessitatis gratiæ . 76
Scholion III. De amore Dei super omnia 78

Caput III

Ulterior explicatio de ratione necessitatis gratiæ . . 81

Practicum scholion ad 1am partem tractatus 88

PARS SECUNDA

De Essentia Gratiæ

Sectio Prima

De gratia sanctificante

Caput I

De notione ac essentia justificationis.

Art. 1ª. De significatione formali nominis justificatio . . . 91
Art. 2ª. De re in qua verificatur ratio justificationis . . . 93
Corollarium 1um. De eo in quo subjectatur gratia sanctificans . 108
Corollarium 2um. De hoc quod gratia sanctificans est formaliter participatio divinæ naturæ 108
Corollarium 3um. Gratia sanctificans est quasi nova natura . . 112
Scholion. De divisione gratiæ sanctificantis in operantem et cooperantem 112

Caput II

De consequentibus ad gratiam sanctificantem in anima . 114

Caput III

De causis justificationis 125

Caput IV

De dispositionibus ad justificationem

Notiones præviæ 128
Art. 1ª. De naturalibus operibus spectatis relate ad justificationem. 132
Scholion. De axiomate : Facienti quod in se est Deus non denegat gratiam 138
Art. 2ª. De positivis dispositionibus ad justificationem . . . 141

Caput V

De proprietatibus justificationis.

Art. 1ª. De cognoscibilitate justificationis 155
Art. 2ª. De inæqualitate justificationis 169
Art. 3ª. De amissibilitate justificationis 187

Sectio Secunda

De virtutibus infusis et de donis Spiritus Sancti

Connexio rerum et doctrina catholica 194

CAPUT I

De virtutibus infusis.

Art. 1ª. De existentia virtutum infusarum 196
Art. 2ª De essentia virtutum infusarum 203

CAPUT II

De donis Spiritus Sancti.

Art. 1ª De existentia donorum Spiritus Sancti 215
Art. 2ª. De essentia donorum Spiritus Sancti 218
Scholion 221

Sectio Tertia

De gratia actuali

Connexio rerum 222

CAPUT I

De existentia gratiæ actualis 222

CAPUT II

De essentia gratiæ actualis.

DISPUTATIO PRIMA.

De naturali Dei cooperatione

Art. 1ª. De Dei cooperatione naturali in creaturarum operationibus, generatim sumptis 228
Art. 2ª. De Dei cooperatione naturali specialiter considerata in voluntatis humanæ operatione 236
Scholion. De Molinismo et Banezianismo 241

DISPUTATIO SECUNDA.

De supernaturali Dei cooperatione

Art. 1ª. De essentia gratiæ actualis 245
Art. 2ª. De divisione gratiæ actualis 255

CAPUT III

De efficacia gratiæ actualis.

Connexio rerum 258
Historia controversiæ 259
Art. 1ª. De existentia gratiæ mere sufficientis et gratiæ efficacis . 263
De mente S. Augustini 278
Art. 2ª. De essentia gratiæ efficacis.
§ I. De variis theologorum sententiis circa id in quo reponenda est ipsa efficacia gratiæ actualis 282
§ II. De eo in quo consistit efficacia gratiæ actualis. . . 291
De mente Capreoli 297

Sectio Quarta

De Perseverantia

Notio ac propositiones 299

PARS TERTIA

De Merito

Connexio rerum, errores, doctrina catholica 324

Caput I

De existentia meriti 326

Caput II

De conditionibus meriti.

Art. 1ª. Conditiones meriti de condigno 331
§ 1. Conditio ex parte Dei 332
§ 2. Conditiones ex parte subjecti operantis 332
§ 3. Conditiones ex parte ipsius operis 337
Art. 2ª. Ulterior explicatio de supernaturalitate requisita ad actus meritorios de condigno 342
Art. 3ª. De conditionibus meriti de congruo 350

Caput III

De objecto meriti. 351

Practicum scholion ad 3ᵃᵐ partem tractatus 357

PARS QUARTA

De Distributione gratiæ

Connexio rerum 358

Caput I

De gratia concessa justis 358

Caput II

De gratia concessa peccatoribus 360

Caput III

De gratia concessa infidelibus . . . 363

Practicum scholion ad 4ᵃᵐ partem tractatus . . . 368

Appendix

De B. M. V. omnium gratiarum mediatrice 370
De charitate quatenus est forma virtutum. 379
Index rerum alphabeticus 381

INDEX BIBLIOGRAPHICUS (1).

I. Opera.

Fontes citamus ex DENZINGER-BENNVART, *Enchiridion symbolorum, definitionum et declarationum de rebus fidei et morum.* Friburgi Br., 1908 (2)

A. OPERA THEOLOGICA.

1° Opera generalia de theologia dogmatica.

ALEXANDER HALENSIS, *Summa theologica,* Nuremberg, 1487.
ALPHONSUS (S.) DE LIGORIO, *Opera dogmatica,* translata in latinum et edita curante AL. WALTER, Romæ, 1903.
BECANUS, *Summa theologiæ scholasticæ,* Duaci, 1641.
BELLARMINUS, *De controversiis,* Pragæ, 1721.
BONAVENTURA (S.), *Opera omnia,* Ad Claras Aquas (Quaracchi), 1882-1902.
CASAJOANA, *Disquisitiones scholastico-dogmaticæ,* Barcinone, 1888.
D'ALÈS, *Dictionnaire apologétique de la foi catholique,* Paris.
DE LUGO, *Disputationes scholasticæ et morales,* Parisiis, 1868-1869.
DEL VAL, *Sacra theologia dogmatica,* Matriti, 1906.
DE RIPALDA, *De ente supernaturali,* Parisiis, 1870.
DIONYSIUS CARTUSIANUS, *Opera omnia,* Monstrolii, an. 1896 et ss.
GONET, *Clypeus theologiæ thomisticæ,* Coloniæ Agrippinæ, 1677.
GOTTI, *Theologia scholastico dogmatica,* Venetiis, 1750.
HERRMAN J., *Institutiones theologiæ dogmaticæ,* 2 vol., Romæ, 1908.
HURTER, *Compendium theologiæ dogmaticæ,* 9ª edit. Œniponte. 1896.
PESCH, *Prælectiones dogmaticæ,* Friburgi, 3ª edit. 1908.
PETAVIUS, *Opus de theologicis dogmatibus,* Antverpiæ, 1700.
SALMANTICENSES, *Cursus theologicus,* Lugduni, 1679. —
SUAREZ, *Opera omnia,* Parisiis, 1856-1868,
TANQUERY, *Synopsis theologiæ dogmaticæ,* 2ª edit. Tornaci, 1895.
THOMAS (S.) AQUINAS. *Commentum in quatuor libros sententiarum,* Parmæ, 1856.
— *Summa contra Gentiles,* Romæ, 1888.
— *Summa theologiæ,* Romæ (ex typographica S. C. de propaganda fide ab an. 1888.)
— *Quæstiones disputatæ,* Parisiis, 1883.
— *Opuscula selecta,* Tiferni Tiberini, 1886.
VACANT-MANGENOT, *Dictionnaire de théologie catholique,* Paris.
WAFFELAERT, (Mgr.) *Méditations théologiques,* Bruges, 1910.

2° Commentarii in opera S. Thomæ.

BILLOT, *De Deo uno et trino,* Romæ, 1893.
— *De virtutibus infusis,* Romæ, 1901.
— *De gratia Christi,* 2ª edit., Prati 1912.
— *De Verbo incarnato,* 5ª edit, Prati, 1912.
— *De sacramentis,* Romæ, 1893.
— *De natura et ratione peccati personalis,* Romæ, 1894.

---

(1) In hoc indice non referimus opera SS. Patrum Ecclesiæ.
(2) Hoc opus in nostro tractatu citavimus sic: *Enchir.*

BILLUART, *Summa Sancti Thomæ hodiernis academiarum moribus accommodata,* Parisiis, Letouzey et Ané.
BUONPENSIERE, *Commentaria in I. P. Summæ theologiæ,* Romæ, 1902.
CAJETANUS, *Commentarius in Summam theologiæ S. Thomæ* — in Summa theologiæ S. Thomæ citata suprà.
CAPREOLUS J., *Defensiones theologiæ divi Thomæ Aquinatis,* Turonibus, 1900-1908.
DUMMERMUTH, *S. Thomas et doctrina præmotionis physicæ,* Parisiis, 1886.
FERRARIENSIS, *In Summam D. Thomæ contra Gentiles,* Lugduni, 1586.
JANSSENS, O. S. B (Illmus). *Summa Theologia,* T. I-IX, Friburgi Br. 1899-1921.
PÈGUES, *Commentaire français littéral de la Somme Théologique de S. Thomas d'Aquin,* Toulouse, 1907 et ss.
SYLVIUS, *Commentarii in Summam S. Thomæ,* Antverpiæ, 1697.
VASQUEZ, *Commentaria ac disputationes in Summam S. Thomæ,* Antverpiæ, 1621.

3° Tractatus speciales.

ALVAREZ, *De auxiliis divinæ gratiæ,* Lugduni, 1611.
BAINVEL J., *Nature et surnaturel,* Paris, 1903.
BALLERINI, *La crisi del pensiero moderno e le basi della fede,* Roma, 1910.
BOUQUILLON, *De virtutibus theologicis,* Brugis, 1890.
— *Theologia moralis fundamentalis,* 2ª edit. Brugis, 1890.
CARBONE, *De Modernistarum doctrinis,* Romæ, 1909.
CASINIUS, *Quid est homo,* Moguntiæ, 1862.
DE BAETS, *De ratione ac natura peccati originalis,* Gandæ, 1899.
— *Quæstiones de operibus divinis,* Lovanii, 1903.
— *De libera Christi obedientia,* Lovanii, 1905.
— *De gratia Christi,* Gandavi, 1910.
DE LA BROISE, *La Sainte Vierge,* Paris, 1904.
DEL PRADO N., *De gratia et libero arbitrio,* 3 vol., Friburgi Helv., 1907.
DE POULPIQUET, *Le miracle et ses suppléances,* Paris, 1914.
DE SMET, *De Sacramentis in genere,* Brugis, 1915.
DE SAN, *De pœnitentia,* Brugis, 1899.
DIGNANT, *De virtute religionis,* 3ª edit., Brugis, 1920.
DONAT, *Die Freiheit der Wissenschaft,* Innsbruck, 1910.
EINIG, *De Deo uno et trino,* Treveris, 1897.
— *De gratia divina,* Treveris, 1896.
— *De Deo creatore,* Treveris, 1898.
FAURE, *Enchiridion S. Aurelii Augustini,* Neapoli, 1847.
FRANZELIN, *De Deo Trino,* Romæ, 1869.
— *De Deo uno,* Romæ, 1870.
— *De Verbo Incarnato,* Romæ, 1869.
FROGET, *De l'habitation du Saint-Esprit dans les âmes justes.* Paris, 1900.
GAUCHER, *Le signe infaillible de l'état de grâce,* Le Perreux, 1907.
GOUDIN, *De gratia Dei,* Lovanii, 1874.
GODTS, *La Corédemptrice,* Bruxelles, 1920.
HUGUENY, *Critique et catholique,* Paris, 1910.
HUGON, *Hors de l'Eglise point de salut,* Paris, 1907
— *De angelis et de gratia,* Parisiis, 1920.
JUNGMANN, *De Deo uno et trino,* 4ª edit., Ratisbonæ, 1882.
— *De gratia,* 6ª edit., Ratisbonæ, 1896.
— *De Deo creatore,* 4ª edit. Ratisbonæ, 1883.

JUNGMANN, *De novissimis*, 3ª edit. Ratisbonæ, 1885.
— *De vera religione*, 3ª edit. Ratisbonæ, 1886.
KONINGS, *De gratia divina*, Lovanii, 1907.
LAHOUSSE G. *De gratia divina*, Brugis, 1902.
LAHOUSSE H. *De sacramento pœnitentiæ*, Brugis 1894.
LAMBRECHT, *De gratia*, Gandavi, 1887.
LE BACHELET, *De l'apologétique traditionnelle et de l'apologétique moderne*, Paris, 1897.
LEBRETON, *L'encyclique et la theologie moderniste*, Paris, 1908.
LESSIUS, *De perfectionibus moribusque divinis*, Parisiis, 1881.
LÉPICIER, *Tractatus de B. M. V.*, Parisiis, 1912.
LIGEARD *H., La théologie scolastique et la transcendance du surnaturel*, Paris, 1908.
MATTIUSSI, *Il veleno Kanziano*, Monza, 1907.
MAZZELLA (Card.), *De virtutibus infusis*. 3ª edit. Romæ, 1884.
MAZZELLA C. (Card.), *De gratia Christi*, Romæ, 1892.
MERCIER, (Card.), *Le Modernisme*, Bruxelles, 1908.
— *Les conclusions doctrinales du Congrès de Malines*, Bruxelles 1910.
MICHELET, *Dieu et l'agnosticisme contemporain*, Paris, 1909.
MOLINA, *Concordia*, Parisiis, 1876.
MUNCUNILL, *De vera religione*, Barcinone, 1909.
OBERDOERFFER, *De inhabitatione Spiritus sancti*, Tornaci, 1890.
PALMIERI D., *De gratia divina actuali*, Galopiæ, 1885.
— *De Deo creante et elevante*, Romæ, 1888.
PESCH, *Theologische Zeitfragen*, vierte u. fünfte Folge. Freiburgi. Br. 1908.
— *Die selige Jungfrau Maria, die Vermittlerin aller Gnaden*, Freiburg in Br., 1923.
PIGNATARO. *De gratia Christi*, (autogr.) Romæ. 1899-1900.
— *De Deo creatore*, Romæ. 1905.
ROSA, *L'enciclica « Pascendi »*. Roma, 1909.
SCHIFFINI, *De gratia divina*, Friburgi Br. 1901.
SCHIFFINI, *De virtutibus infusis*, Friburgi Br. 1901.
SOTO, *De natura et gratia*, Parisiis, 1549.
TERRIEN, *La grâce et la gloire*, Paris, 1897.
— *La mère de Dieu et la mère des hommes*, 2e p., Paris, 1902.
THAMERY, *Les deux aspects de l'immanence*, Paris 1908.
TOURNELY, *Prælectiones theologicæ de gratia Christi*, Parisiis, 1725.
VAN CROMBRUGGHE, *Tractatus de B. M. V.*, Gandæ, 1913.
VAN NOORT G., *De Deo uno et trino*, Amstelodami, 1907.
— *De gratia Christi*, Amstelodami, 1908.
— *De vera religione*, 3ª edit. Amstelodami, 1917.
— *De Deo creatore*, Amstelodami, 1903.
WAFFELAERT ILLmus, *Annotationes de virtutibus theologicis*, 2ª edit., Brugis, 1900.
— *De virtutibus cardinalibus*, Tract. I, Brugis, 1889.
WEISZ, *Kant und das Christentum*, Köln, 1904.

4° Opera exegetica de S. Scriptura.

BEELEN, etc., *Het Oud Testament*, Brugge, 1896.
— *Het Nieuwe Testament*, Brugge, 1891.
CAMERLYNCK, VAN DER HEEREN, *Commentarius in Actus Apostolorum*, Brugis, 1923.
CORLUY, *Spicilegium dogmatico-biblicum*, Gandavi, 1884.

CORNELY, etc., *Cursus Scripturæ Sacræ*, Parisiis, Lethielleux.
PRAT, *La théologie de S. Paul*, Paris, 1908.
THOMAS (S.) AQUINAS, *Commentaria in omnes S. Pauli epistolas*, Taurini, 1896.
TOBAC, *Le problème de la justification dans Saint Paul*, Louvain, 1908.
VAN STEENKISTE, *Commentarius in S. Pauli epistolas*, Brugis, 1889.
VAN STEENKISTE & CAMERLYNCK, *Commentarius in epistolas catholicas*, 5ª edit. Brugis, 1909.
— *Commentarius in Actus Apostolorum*, Brugis, 1910.

B. OPERA HISTORICA.

BARDENHEWER, *Patrologie*, Freiburgi. B., 1910.
CAPÉRAN, *Le problème du salut des infidèles*, Paris, 1912.
DE LA SERVIÈRE, *La théologie de Bellarmin*, Paris, 1909.
DENIFLE, *Luther und Luthertum*, Mainz, 1904.
DE WULF, *Histoire de la philosophie médiévale*, Louvain, 1900.
— *Histoire de la philosophie en Belgique*, Bruxelles, 1910.
FUNK (Traduction *Hemmer*) *Histoire de l'Eglise*, 3ª edit. Paris, 1899.
GRANDERATH & KIRCH, *Geschichte des Vatikanischen Konzils*, Freiburgi. Br. 1903-1906.
HÉFÉLE & LECLERQ, *Histoire des Conciles*, Paris, 1907 et ss.
HEFNER, *Die Entstehungsgeschichte des Trienter Rechtfertigungsdekretes*, Paderborn, 1909.
HEIM, *Das Wesen der Gnade... bei Alexander Halesius*, Liepzig, 1907.
JUNGMANN, *Dissertationes in historiam ecclesiasticam*, t. VII, Ratisbonæ, 1887.
KROCH-TONNING, *Der letzte Scholastiker*, Freiburgi. Br., 1904.
— *De gratia Christi et libero arbitrio*, Christiania.
MERKLE, *Concilii Tridentini diariorum Pars Prima*. Friburgi Br. 1901.
PALLAVICINI, *Concilii Tridentini Historia*, Antverpiæ, 1677.
Realencyclopädie für Protestantische Theologie, Leipzig, 1896-1907.
PAQUIER, *Luther et le Luthéranisme*, (traduction de l'ouvrage du P. Denifle), Paris, 1910.
TIXERONT, *Histoire des dogmes*, Paris, 1905-1909.
UDE, *Doctrina Capreoli de influxu Dei in actus voluntatis humanæ*, Græcii, 1905.
WETZER UND WELTE, *Kirchenlexikon*, Freiburgi. Br. 1882-1901.

C. OPERA ASECTICA.

ALPHONSE DE LA MÈRE DES DOULEURS, *Pratique de l'oraison mentale*, Bruges, 1909.
FRANÇOIS (S.) DE SALES, *Œuvres complètes*, Annecy, an. 1892 et ss.
Formation à l'humilité, Paris, 1903.
MAHIEU, *Probatio charitatis*, 3ª edit, Brugis, 1923.
— *Het brood des Levens*, 4ᵉ uitg., Brugge, 1921.
— *Le pain de vie*, Bruges, 1908.
MONSABRÉ, *La prière*, Paris, 1906.
PHILIPPUS A SS. TRINITATE, *Summa theologiæ mysticæ*, Bruxellis, 1874.
VAN DEN BERCHE, *Ordo Missæ*, Brugis, 1900.
VERMEERSCH, *Pratique et doctrine de la dévotion au Sacré-Cœur*, Tournai, 1922.
WAFFELAERT (Mgr.) *Eening der minnende ziel met God*, Brugge, 1916.
— *De geestelijke duif*, Brugge, 1918.

D. OPERA PHILOSOPHICA.

DE JAEGHER, *Institutiones philosophicæ*, 2ª edit. Rollarii, 1920.
DE MARIA, *Philosophia peripatetico-scholastica*, Romæ, 1893.
DE RÉGNON, *La métaphysique des causes*, Paris, 1906.
Elementa philosophica in usum alumnorum minoris seminarii in S. Nicolai. Gandavi, 1909.

FERRETTI, *Institutiones philosophiæ moralis*, Romæ, 1887.
GOUDIN, *Philosophia.* Coloniæ Agrippinæ. 1693.
LAHOUSSE, *Prælectiones logicæ et ontologiæ*, Lovanii, 1889.
LIBERATORE, *Institutiones philosophicæ*, Prati, 1883.
MATTIUSSI, *Fisica razionale* (manoscritto) Milano, 1896.
— *Logica* (pro manuscripto). Milano, 1895.
MERCIER, (cardinal), *Critériologie générale*, Louvain, 1906.
— *Ontologie*, 3ª edit. Louvain, 1902.
PIAT, *La morale du bonheur*, Paris, 1910.
REINSTADLER, *Elementa philosophiæ scholasticæ*, 3ª edit., Friburgi Br. 1907.
RUYSSEN, *Kant*, Paris, 1906.
SCHIFFINI, *Institutiones philosophicæ in compendium*, Augustæ Taurinorum, 1893.
— *Disputationes philosophiæ moralis*, Augustæ Taurinorum, 1891.
SENTROUL, *L'objet de la methaphysique selon Kant et selon Aristote*, Louvain 1905.
TAPPARELLI, *Saggio di dritto naturale*, Prata, 1883.
ZIGLIARA, *Summa philosophica*, 12ª edit. Parisiis, 1900.

II. Periodica.

Collationes Brugenses, Brugis.
Collationes Gandavenses, Gandavi.
Collationes Namurcenses, Namurci.
Divus Thomas, Placentiæ,
Ephemerides Theologicæ Lovanienses, Lovanii.
Etudes, Paris.
L'ami du Clergé, Langres.
La Vie diocésaine, Malines.
Les questions ecclésiastiques, Lille.
Nouvelle revue théologique, Tournai.
Revue apologétique, Bruxelles.
Revue Augustinienne, Louvain.
Revue des sciences théologiques et philosophiques, Kain.
Revue du clergé français, Paris.
Revue pratique d'apologétique, Paris.
Revue Thomiste, Paris, Toulouse.
Theologisch-praktische Quartal-Schrift, Linz.
Zeitschrift für katholische Theologie, Innsbruck.

INTRODUCTIO.

1. Tractatus divisio.

Præmittimus notionem gratiæ generice spectatæ et tractatum in quatuor dividimus partes, quarum:

prima exponit *gratiæ,* generice sumptæ, *necessitatem;*

altera intimiorem *naturam* eorum quæ internæ gratiæ nomine designantur;

tertia, *moralem* quemdam ejus effectum, nempe *meritum ;*

quarta, *distributionem* ex Dei benignitate provenientem et ab ejus sapientia ordinatam.

I. DE NOTIONE GRATIÆ.

2. Nominis gratiæ significatio multiplex.

A. Quum voces ac nomina sint signa rerum, rectæ de gratia expositioni congruum est ut imprimis de *significatione* nominis *gratia* inquiramus, seu de NOMINALI ejus DEFINITIONE (1).

Jamvero tum apud sacros, tum apud profanos auctores, nomen *gratia* diversas habet significationes inter se tamen invicem connexas: significat nempe a) *benevolentiam* qua quis afficitur erga alterum qui gratus illi dicitur: v. gr. gratiam alicujus sibi conciliare; *Invenisti gratiam apud Deum* (2);

b) *venustatem* vel *elegantiam* tum oris, tum sermonis, qua quis sibi alterius benevolentiam conciliat: v. gr. *Fallax gratia et vana est pulchritudo* (3) ;

c) *donum gratis,* ex benevolentia, *collatum:* v. gr. hanc gratiam facio tibi. Hanc formalem significationem explicat S. Paulus: *Si autem gratia, jam non ex operibus, alioquin jam non est gratia* (4);

d) *recompensationem* beneficii gratis accepti, h. e. animi gratitudinem vel signum quo ille animi sensus manifestatur: v. gr. gratias habere, reddere, agere; *Non cesso gratias agens pro vobis* (5).

In nostro tractatu usurpamus nomen *gratia* quatenus significat DONUM GRATIS A DEO COLLATUM (6).

---

(1) NOMINALIS est DEFINITIO quæ tradit quam habeat aliqua vox SIGNIFICATIONEM, sive ex *etymo,* sive ex *usu,* eoque vel *communi* omnium, vel *speciali* technico. DE JAEGHER, *Institutiones philosophicæ,* n. 33.

(2) *Luc.*, 1, 30.

(3) *Prov.*, 31, 30.

(4) *Rom.*, 11, 6.

(5) *Ephes.*, 4, 7. Nomen *gratia* adhibetur ut synonimum nomini *gratitudo.* Cf. S. THOMAS, 1-2, q. 106, a. 1.

(6) Cf. S. THOMAS, 1-2, q. 111, a. 1. Quoad significationem vocabuli *gratia,* v. etiam quæ scripsi ap. VACANT. MANGENOT, Dictionnaire de théologie catholique, art. *Grâce,* col. 1555.

3. Gratia, in sensu stricto, designat supernaturale donum.

B. Sed hîc occurrit consideranda differentia magna inter dona Dei, differentia quæ essentiam donorum respicit et quæ bene est perspicienda ut possit tradi REALIS DEFINITIO (1) gratiæ.

1) Licet omnia Dei dona sint aliquo vero sensu gratis collata, alia tamen speciali ratione sunt gratuita, utpote omni naturæ finitæ, creatæ vel creabili, *positive indebita;* alia vero sunt naturæ debita: inde distinguuntur Dei dona *naturalia* ac *supernaturalia.* Quæ paucis explicabimus.

4. Quid significet vox naturale.

Naturale dicitur id quod pertinet ad naturam; sed pro diversis modis quibus aliquid ad naturam pertinet, diversa importat vox *naturale.* Præterea vox *natura* et ipsa diversas habet acceptiones: utriusque ergo vocabuli significatio erit determinanda.

Natura, inter alia, significat: *substantiam prout ipsa est principium primum propriæ operationis,* ut dicit S. Thomas: « Naturæ nomen significat essentiam rei secundum quod habet ordinem ad propriam operationem » (2). Sic accepta natura dicitur analogice et de creatura et de Creatore; in præsenti autem solas creaturas attendimus et nomine *natura* intelligimus *quamlibet substantiam finitam,* sive creatam, sive creabilem. Porro rationabile est hîc considerare tantum quamlibet *finitam* naturam: etenim quoad perfectionem entis, infinita est distantia inter finitam et infinitam substantiam, quæ est Deus ; praeterea patet nihil supernaturale dici vel esse posse quoad ipsum Deum : quum sit Ipse perfectio prorsus infinita ac immutabilis.

Naturale vocamus id quod vel constituit naturam, vel ipsam consequitur, vel ab ipsa exigitur ne ipsa ejusque vires frustra sint, et omne quod horum ordine continetur. — Ita, ex. gr., naturalia sunt materia prima et anima quæ constituunt naturam humanam; animæ humanæ naturalis proprietas est immortalitas; intelligere et velle naturales sunt ejus actus; scientia, virtus, acquisitæ viribus intellectui et voluntati propriis, sunt naturales.

Quæ si perpendamus, persuasum habebimus vocem *naturale,* prout in præsenti adhibetur, significare id quod est naturæ *debitum,* nempe id ad quod quælibet natura finita habet quamdam positivam dispositionem seu ordinationem, et hoc in ordine sive physico, sive intellectuali, sive morali (3).

---

(1) « REALIS DEFINITIO est oratio breviter declarans *quid in se reipsa sit* res illa pro qua nomen supponit ». DE JAEGHER, *o. c.*, n. 34.

(2) *De ente et essentia,* c. 1. Cf. DE JAEGHER, *o. c.*, n. 241.

(3) « Illud autem sedulo advertendum est circa ea quæ a natura exiguntur, ne ipsæ ejusque vires sint frusta. Scilicet ea exiguntur ratione suæ perfectionis quam habent; perfectio autem ad genus vel speciem rerum spectat: quia vero nequit esse genus nisi in speciebus, et species nisi in individuis, eo ipso individua exiguntur, quæ non possunt esse nisi in aliqua multitudine determinata. At quoad certam determinatam specierum vel individuorum multitudinem indifferens est illa natura quæ exigit ipsa: atque est in potestate auctoris naturæ plura vel pauciora individua condere. Ita natura animalis exigit ea quæ cibus eius esse possint; at quod sint tot species alimentorum,

5. *Quid significet vox* supernaturale.

Supernaturale, quod hîc *naturali* opponitur, est id quod nec constituit naturam, nec ab ipsa exigitur, nec ad illam consequitur neque continetur in ordine earum perfectionum quæ a natura exiguntur, aut ex ea consequuntur, sed est aliquid quod naturæ, ultra id quod naturale ipsi est, additur, illamque perficit: quapropter supernaturale est id quod est naturæ positive *indebitum.*

Si nunc consideramus omnium substantiarum finitarum complexum (qui etiam vocatur « natura universa » vel « natura » sine addito), hoc est simpliciter et absolute supernaturale quod omni creaturæ finitæ (sive creatæ sive creabili) est positive *indebitum :* supernaturalis proinde dicitur omnis perfectio quæ, communicata alicui enti, hoc extollit ad ordinem novum perfectionis indebitæ (1).

Ex suprà dictis sequitur nomen *supernaturale* formaliter significare idem ac *naturæ indebitum,* consequenter ac *naturæ gratis datum*: quum autem nunc dentur Dei dona, alia naturalia, alia vero supernaturalia, sequitur illa generice differre in ratione *indebiti* seu *gratuiti,* ita ut supernaturalia proprie, et ratione quæ solis convenit ipsis, dicantur *gratuita* (2) ; inde factum est ut, usu theologico, nomen *gratia,* sine addito, adhibeatur ad designandum donum supernaturale. Ad rem S. Thomas: « Gratia, secundum quod gratis datur, excludit rationem debiti. Potest autem intelligi duplex debitum, unum quidem ex merito proveniens, quod refertur ad personam, cujus est agere meritoria opera... Aliud est debitum secundum conditionem naturæ; puta si dicamus, debitum esse homini quod habeat rationem et alia quæ ad humanam pertinent naturam. Dona naturalia carent primo debito, non autem carent secundo. Sed dona supernaturalia utroque debito carent et ideo specialius sibi nomen gratiæ vindicant » (3).

---

totque individua in singulis speciebus, id natura non exigit, neque hanc determinatam speciem, aut hæc determinata individua exigit. Attamen eo ipso quod aliqua species eius generis et aliqua individua alicujus speciei exiguntur, omnes quoque eæ species, omniaque individua quotcumque sint, sunt naturalia, quia *in eo ordine perfectionis* continentur, quæ exigitur a natura. Quare exsuberans multitudo eorum, quæ pulchritudini et decori universi conducere potest et ad melius esse aliorum, est quidem effectus liberalitatis auctoris naturæ non vero aliquid supra naturam.

» Illud quoque est advertendum, quod quædam licet a determinato individuo naturæ non exigantur, exigi tamen possunt a natura illius individui universim spectata, vel a collectione plurium individuorum illius naturæ. Quod vero huiusmodi est, quamvis non exigatur ab aliquo individuo determinato, ita tamen est comparatum, ut in quovis individuo sit potestas plus minus proxima ad illud. Huiusmodi autem est naturale ». PALMIERI, *De Deo creante et elevante,* p. 281, n. III.

(1) Cf. *Collat. Brug.,* t. II, p. 141 ; t. III, p. 511 ; SCHIFFINI, *De Gratia,* p. 8.

(2) Hanc differentiam notabant S. Augustinus aliique episcopi scribentes ad Innocentium I: « Etsi quadam (aiunt) non improbanda ratione dicitur gratia Dei, qua creati sumus, ut non nihil essemus nec ita essemus aliquid ut cadaver, quod non vivit, et arbor, quæ non sentit, et pecus, quod non intelligit, sed homines, qui essemus et viveremus et sentiremus et intelligeremus et de hoc tanto beneficio creatori nostro gratias agere debeamus: unde merito et ista gratia dici potest, quia non præcedentium aliquorum operum meritis, sed gratuita Dei bonitate donata est: alia est tamen, qua prædestinati vocamur, justificamur, glorificamur. » S. AUGUSTINUS, *epist.,* 177.

(3) 1-2, q. 111. a. 1, ad 2. Theologi distinguunt inter id quod est supernaturale

6. Qua in re verificetur formalis significatio vocis supernaturale.

2) Ex dictis bene intelligitur definitio *nominalis rov supernaturalis;* sed inquirenda est ejusdem definitio *realis,* nempe qua in re salvetur ratio per nomen significata. Jamvero ens supernaturale est: *effectus quo creaturæ communicatur aliquo modo Deus* PROUTI EST IN SEMETIPSO (1).

Deus, enim, quatenus est *creator,* producit substantias a se distinctas et in eis accidentia, præterea res omnes in existendo conservat, ad operandum movet, omniaque gubernat : sic omnia sunt dependentia a Deo, Ejus imitationes, et in omnibus intime est præsens ipse Deus (2). In illo ordine, scilicet naturali, communicatur divina perfectio formaliter quatenus bona a Deo producta sunt *limitatae imitationes* perfectionis divinae, et haec est communicatio Dei quatenus est creator. Sed solus Deus, *prouti est in semetipso,* est infinite supra omnem creaturam et supra omnem ordinem earum: proinde si datur aliquid simpliciter supernaturale, nempe aliquid quod omnem naturam creabilem excedit, hoc non poterit esse aliud quam aliquis effectus quo communicat se ipsum Deus *prouti est in semetipso,* ita ut Deus jam tunc non tantum communicet aliquod bonum a se productum, sed communicet semetipsum, prouti est in semetipso. In hoc ordine, Deus ipse *prouti est in semetipso,* non formaliter ut creator communicatur substantiæ finitæ ; et hæc est communicatio ipsius divinitatis licet requiri possint quædam dona in creaturis ut efficiatur prædicta communicatio. Illà porro dona in creaturis supernaturalia, quia per illa efficitur praedicta communicatio.

Hæc definitio, quæ *a priori* statuitur, optime confirmatur *a posteriori* ex consideratione donorum quæ, in præsenti Providentiæ ordine, ut supernaturalia agnoscuntur. Talia sunt imprimis a) *visio Dei intuitiva,* b) *Incarnatio Verbi,* c) *miraculum.*

a) In creatura, *visio Dei intuitiva* est operatio qua anima humana vel angelus « vident divinam essentiam visione intuitiva et etiam

---

simpliciter et supernaturale *secundum quid:* prius est, ut suprà exposuimus, id quod omni naturæ finitæ, creatæ vel creabili, est positive indebitum. Alterum est id quod *alicui* determinatæ naturæ est positive indebitum, non tamen cuilibet naturæ finitæ: tale est supernaturale *secundum quid,* vel *præternaturale.* V. gr. immortalitas est humanæ naturæ, h. e. humano composito positive indebitum; non vero indebitum angelicæ naturæ.

Deinde altera est divisio in supernaturale *quoad substantium* et supernaturale *quoad modum:* quæ divisio differt a superiori divisione, nec quasi ejus subdivisio est habenda. Dicitur supernaturale quoad substantiam id quod in sua propria et specifica ratione consideratum supergreditur naturam: v. gr. visio beatifica. Supernaturale *quoad modum* dicitur quod naturam excedit, inspecto vel modo quo efficitur vel inspectis iis circumstantiis, quæ specificam rationem rei minime immutant: v. gr. scientia naturalis philosophiæ per accidens infusa. Ita fere SCHIFFINI, *o. c.,* n. 7-8. — Jam hîc nota quod, ut postea dicemus, si agitur de *actibus* supernaturalibus theologi alii aliter explicant actum supernaturalem *quoad substantiam* et actum supernaturalem *quoad modum.*

(1) Cf. EINIG, *De Deo creante,* p. 81 ; BILLOT *De Deo uno et trino,* 2a P., thes. XLII; MERCIER, O. P. *Le surnaturel,* in *Revue Thomiste,* 1902, t. X, p. 131 ss.

(2) Cf. S. THOMAS, 1, q. 8, a. 3 ; JUNGMANN, *De Deo uno et trino,* n. 167 ss.

faciali, *nulla mediante creatura* in ratione objecti visi se habente, sed divina essentia *immediate* se *nude, clare* et *aperte* eis ostendente » (1). Descripta cognitio ideo est simpliciter supernaturalis quia, per eam Deus ipse, *prouti est in semetipso,* fit objectum cognitionis, ita ut de Deo habeatur cognitio *immediata* et *propria.* E contrario omnis *naturalis* cognitio de Deo fit per aliquam *speciem* impressam, quæ necessario proportionatur gradui immaterialitatis intellectus quem actuat seu informat, et quæ proinde nonnisi analogicam et mediatam de Deo cognitionem determinare potest (2). Posito quod ipsa visio Dei intuitiva sit simpliciter supernaturalis, omne quod ad illam positive disponit est etiam simpliciter supernaturale.

b) *Incarnatio* est unio qua humana natura singularis existit per ipsum esse personale Verbi Dei: habemus igitur, in ordine physico, communicationem qua ipse Deus, *prouti in se est,* nempe secunda Persona SS. Trinitatis, immediate *esse* suum communicat creaturæ.

c) Tandem data definitio etiam verificatur in *miraculo.* Miraculum est « effectus sensibilis qui transcendit exigentiam et facultatem naturæ totius » (3). Est proinde effectus causatus ab ipso Deo, non quidem prouti est auctor naturæ, nempe causa efficiens *prima* omnium effectuum qui secundum naturæ cursum (4) eveniunt, sed prouti in semetipso est omnipotens et valens operari effectus qui sunt præter vel contra leges physicas.

Licet in tribus effectibus supernaturalibus verificetur definitio, quam exponimus, aliter tamen ac aliter invenitur in illis; proinde terminus *supernaturalis* est analogicus.

7. Gratiæ definitio realis.

Quum in præsenti ordine Providentiæ existat ordo supernaturalis uti ex tractatu *de Deo creante ac elevante* supponimus demonstratum, quum, in hoc ordine, fastigium seu supremum donum sit visio Dei intuitiva, quumque ad illud ordinentur alia bona supernaturalia, quum hæc visio Dei intuitiva et ejus hac in terra inchoatio recte vocetur vita æterna, quum tandem sola intellectualis creatura sit capax illorum donorum, sequitur gratiam, generice sumptam, recte definiri: DONUM SUPERNATURALE A DEO CREATURÆ INTELLECTUALI CONCESSUM IN ORDINE AD VITAM ÆTERNAM (5).

---

(1) *Ex constitutione Benedicti XII, Enchir.,* n. 530. Cf. decretum concilii Florentini: *ibid.* n. 693; cf. etiam. n. 1928.

(2) Cf. S. THOMAS, I, q. 12, a. 4 et 5; BILLOT, *o. c.* 1ª P. thes XIII; HUGUENY, *A quel bonheur sommes nous destinés ?* in *Revue Thomiste,* 1904, t. XIII, p. 29 ss.; MATTIUSSI, *Il veleno* kanziano, p. 121 ss; PÈGUES, *Commentaire,* t. I, p. 317 ss., t. IV, p. 522; VAN DER MEERSCH, *De Deo uno et trino,* Brugis, 1917, n. 299.

(3) Cf. ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, *Meditationes theologicae,* in *Collat. Brug.,*

(4) Cf. DE JAEGHER, *o. c.,* n. 462 s.
t. II, p. 420 ss.

(5) Haec definitio, quoad rem, est eadem quam tradit Catechismus noster (bijvoeg aan de 11e les): « De gratie Gods is eene bovennatuurlijke gunste Gods waardoor

8, Animadversiones 1. Repugnat substantia supernaturalis,

Animadversiones. 1. Uti ex dictis patet, *supernaturale* dicit aliquam perfectionem positive indebitam naturæ, perfectionem porro quæ ipsi superadditur jam in sua essentia constitutæ: consequenter supernaturalis perfectio est aliquod accidens, non aliqua substantia : proinde *substantia supernaturalis* involvit contradictionem in terminis (1). Quapropter abstinendum est omnino a tali assertione: « Les anges ou les démons sont des êtres surnaturels par rapport à l'homme; Dieu est l'être surnaturel par excellence, hors de comparaison avec toute nature créée, au dessus de tout ». Deus est quidem supra omnem naturam finitam, creatam vel creabilem, illamque infinite superat, sed non est aliquid supernaturale h. e. aliquis effectus *positive indebitus* finitae naturæ ; item angeli et dæmones sunt supra humanam naturam sed non sunt accidentalis perfectio *positive indebita* naturæ humanæ. Hoc etiam notemus quod quando dicitur Deus agere supernaturaliter non significatur aliqua actio qua ipsa natura divina intrinsece elevaretur ad novum ordinem perfectionis positive indebitæ Deo, ut patet, sed significatur aliquis effectus in creatura a Deo productus et positive indebitus naturae in qua producitur. — Repugnat etiam ut detur aliqua substantia finita cui positive debita foret intuitiva Dei visio.

2. Abusu restringitur nomen natura ad solas materiales res.

2. Nostris diebus sæpe, abusu sermonis, restringitur nominis *natura* significatio ad solas res materiales, et proinde *supernaturale* adhibetur ad designandum omne id quod est supra phænomena, res nempe materiales et earum actiones aut passiones (2), hoc dici deberet *supra-sensibile* vel *supra-materiale.*

3. De potentia obedientiali.

3.Ut aliqua substantia creata vel aliqua ejus facultas operativa donetur aliqua perfectione supernaturali (sive hæc sit habitus, sive operatio, sive virtus transiens) requiritur *capacitas* recipiendæ illius perfectionis : non enim quælibet substantia vel facultas capax est recipiendi quamlibet perfectionem supernaturalem : v. gr. nŏn nisi *intellectu* prædita creatura est capax visionis Dei intuitivæ.

Illa capacitas, quæ non realiter distinguitur a natura, vocatur potentia *obedientialis:* nihil enim est aliud quam transcendentalis subjectio entis creati, quatenus a Deo recipere potest vel formam illi positive indebitam vel principium eliciendæ operationis illi positive indebitæ.

Creatura in *recipiendo* supernaturali influxu semper *mere passive* se habet: ipsa nihil potest active ad perfectionem quæ et quatenus hæc est supernaturalis. Inde S. Thomas potentiam

---

wij bekwaam zijn in dit leven God te dienen zoo't behoort om hem eeuwiglijk te aanschouwen in den hemel » Z. uitleg in *Canisiusblad,* 1921, bl. 64, 80.

(1) Cf. FRANZELIN, *De Deo uno.* Thes. XVI, coroll., p. 176 ss.

(2) Cf. TERRIEN, *La grâce et la gloire,* t. II, p. 319.

obedientialem describit ut *passivam:* « In anima humana, sicut in qualibet creatura, consideratur duplex potentia *passiva:* una quidem per comparationem ad agens naturale; alia vero per comparationem ad agens primum, quod potest quamlibet creaturam reducere in actum aliquem altiorem in quem non reducitur per agens naturale: et hæc consuevit vocari *potentia obedientiae* in creatura » (1). — « Capacitas creaturæ dicitur secundum potentiam *receptibilitatis,* quæ est in ipsa. Est autem duplex potentia creaturæ *ad recipiendum.* Una naturalis, quæ potest tota impleri; quia hæc non se extendit nisi ad perfectiones naturales. Alia est potentia obedientiæ, secundum quod potest *recipere* aliquid a Deo; et talis capacitas non potest impleri, quia quidquid Deus de creatura faciat adhuc remanet in potentia recipiendi a Deo » (2). — « Quando aliquid *passivum* natum est consequi diversas perfectiones a diversis agentibus ordinatis, secundum differentiam et ordinem potentiarum activarum in agentibus, est differentia et ordo potentiarum passivarum in passivo... In tota creatura est quædam *obedientialis potentia,* prout tota creatura obedit Deo ad suscipiendum in se quidquid Deus voluerit. Sic igitur et in anima est aliquid in potentia, quod natum est reduci in actum ab agente connaturali, et hoc modo sunt in potentia in ipsa virtutes acquisitæ. Alio modo aliquid est in potentia in anima quod non est natum educi in actum nisi per virtutem divinam; et sic sunt in potentia in anima virtutes infusæ » (3).

4. Conclusio.

4. Ex illis quæ exposuimus tria possumus concludere: a) ut in anima humana habeatur aliqua entitas supernaturalis hæc ab ipso Deo tamquam a causa efficiente principali est efficienda et infundenda; b) hæc entitas non est aliquid quasi violenter inditum animæ, sed est vera perfectio ejus, licet indebita, et modificat intrinsece animam (4) ; c) ex cognitis humanæ animæ facultatibus et actibus nunquam deduci potest ab illis exigi aliquam supernaturalem perfectionem (5).

---

(1) 3. q. 11, a. 1. Cf. DE JAEGHER, *o. c.,* n. 265

(2) *De Veritate,* q. 24. a. ad 3.

(3) *De Virtutibus in Communi,* q. 1, a. 10, ad 13.

Licet potentia obedientialis, formaliter spectata, sit capacitas recipiendæ perfectionis et inde *passiva,* tamen theologi quidam post Suarezium, obedientialem potentiam distinguunt in *activam* et *passivam* (cf. PESCH, *Tractatus dogmatici,* t. V, n. 60 ; LAHOUSSE, *De gratia divina,* n. 104 ; SCHIFFINI, *o. c.,* n. 5 s). Illa distinctio non est admittenda. Nam etiam quando facultas *operatur* supernaturaliter, mere *passive* se habet ad recipiendum in se principium quo *supernaturalis* redditur actio elicita a facultate; potentia porro obedientialis facultatis operativæ nihil aliud est quam capacitas *recipiendi* id quo operatio redditur supernaturalis et consequenter non datur naturalis facultas vel energia cujus essentia *tenderet* ad perfectionem supernaturalem. Cf. MAUPRÉAUX, in *Revue Augustinienne,* 1909, t. XV, p. 113. Notionem potentiæ obedientialis rite exponit R. P. DE POULPIQUET, *Le miracle et ses suppléances,* Paris, 1914, p. 181 ss. Attamen de illo libro cf. *Collat. Brugen.,* t. XX, p. 156 ss.

(4) Cf. ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, *o. c.,* in *Collat. Brug.* t. VI p. 437 in nota.

(5) Igitur falsa est assertio propugnata a D. LIGEARD, in opere *La théologie*

II. DE DIVISIONE GRATIÆ.

9. Gratiae divisio: 1. Increata et creata.

Potiores *gratiæ* divisiones hæ sunt.

1° Gratia *increata* et *creata*.

Increata est ipse Deus quatenus est amans nos, nobisque benefaciens, quatenus nempe se dat. « Ratio gratuitæ donationis est amor: ideo enim damus gratis alicui aliquid, quia volumus ei bonum. Primum ergo quod damus ei est amor quo volumus ei bonum. Unde manifestum est quod amor habet rationem primi doni, per quod omnia dona gratuita donantur » (1). *Creata* est donum supernaturale a Deo distinctum et ab ipso effectum. Nomine gratiæ simpliciter dictæ fere semper intelligitur donum creatum.

Nomen *gratia* adhibetur analogice ad significandum omne in quo verificatur ratio doni supernaturalis a Deo creaturæ intellectuali concessi in ordine ad vitam æternam (V. suprà, n. 7). Unde cum Deus aliquo modo *se* dat creaturæ intellectuali et supernaturaliter unitur illi in ordine ad salutem, puta ut objectum visionis beatificæ, Deus dici potest *gratia* increata. Hæc denominatio nullam mutationem in Deo importat nec aliquid quod esset *ipsi Deo* supernaturale. Omne supernaturale est realiter in creatura tantum, et eatenus Deus dicitur *gratia* increata quatenus perfectionem supernaturalem in *creatura* producit et sic illam unit sibi.

2. Dei et Christi,

2° Gratia *Dei* et gratia *Christi-Redemptoris*.

Hæc distinctio fit ratione causæ efficientis. Gratia *Dei* dicitur donum omne supernaturale concessum a Deo independenter a meritis Christi-Redemptoris. Gratia vero *Christi-Redemptoris* dicitur omne donum supernaturale a Deo concessum dependenter a meritis Christi-Redemptoris. Ita omnes gratiæ quæ homini post Adami lapsum dantur sunt gratiæ Christi-Redemptoris, gratiæ vero angelis et protoparentibus, ante lapsum, concessæ, gratiæ Dei, uptote non datæ intuitu meritorum Christi-Redemptoris (2). Dixi-

---

scolastique et la transcendance du surnaturel: « on peut, par l'analyse psychologique des tendances de la nature humaine, sans faire intervenir les données de la révélation, démontrer à un incroyant, qu'il y a en lui une *tendance naturellement inexplicable*, une *aspiration positive* au surnaturel » (p. 114-117). — Etiam male ponitur hæc quæstio. « Le surnaturel est-il l'introduction, dans l'homme, d'une énergie totalement étrangère à son être, OU BIEN, n'est-il que la transformation, la surélévation de l'activité naturelle elle-même » (p. 7) ? Etenim entitas supernaturalis est omnino indebita homini illique a Deo infunditur ET est accidens intrinsece modificans et elevans virtutem agendi naturalem. Cf. *Collat. Brug.*, t. XIV, p. 190; *Revue Augustinienne*, t. c., p. 106 ss., 753 ss.

(1) S. THOMAS, 1, q. 38, a. 2. Inde deducitur Spiritus Sancti nomen proprium esse donum.

(2) Cf. JUNGMANN, *De Gratia*, n. 9 ss. ; SCHIFFINI, *o. c.*, n. 12 ss. — CL. VAN NOORT, *De Gratia*, n. 4, eamdem, quoad rem, divisionem proponit his terminis: gratia *originalis* et gratia *Redemptoris*. Hoc minus placet quia in primo membro, vocabulum *originalis* non formaliter significat *causam efficientem* quæ opponitur causæ efficienti significatæ in secundo membro.

mus: Christi-*Redemptoris:* sic distinctio valet etiam in sententia eorum theologorum qui censent incarnationem Verbi futuram fuisse, ex vi præsentis decreti divinæ Providentiæ, etiamsi Adam non peccasset, et consequenter gratias omnes concedendas fuisse dependenter a Christo: sed tamen, in hac etiam hypothesi, non fuissent concessæ dependenter a Christo-*Redemptore.*

3° Gratia *externa* et gratia *interna.* *3. Externa et interna.*

Externa est donum supernaturale quod in se ipso est et remanet extrinsecum homini, v. gr. prædicatio oralis, ipsa lex divina in se spectata, bona exempla Sanctorum, miracula; etiam omnis effectus exterior Providentiæ divinæ ordinatus ad salutem hominum sive omnium sive aliquorum, sive promovens bonum, sive removens malum. Gratia *interna* est donum supernaturale quod intrinsecus hominem afficit, vel informando vel movendo. — Observandum est cum gratiis externis frequenter internas conjungi; sic ex. gr. quum homini adest externa prædicatio evangelii, sæpe gratia interna mentem ejus illuminat et salubriter movet. Licet homo absque gratia interna possit naturaliter cognoscere gratiam externam et ipsa moveri ad bonum, tamen nullus *actus salutaris* datur sine gratia interna (1), ut postea demonstrabimus.

4° Gratia *gratum faciens* et gratia *gratis data.* *4. Gratum faciens et gratis data.*

Hæc divisio fit ratione *finis* proximi ad quem ordinatur gratia. *Gratum faciens* dicitur donum supernaturale quo ipse homo, cui conceditur, conjungitur Deo, quod proinde per se et primario ordinatur ad propriam recipientis salutem. *Gratia data* dicitur gratia per quam unus homo cooperatur alteri ad hoc quod ad Deum reducatur, quæ proinde per se et primario ordinatur ad utilitatem aliorum (2). — Ad gratias gratis datas pertinent illa *charismata* quæ indicantur ab Apostolo: « Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii autem sermo scientiæ secundum eumdem spiritum, alteri fides in eodem Spiritu, alii gratia sanitatum in uno Spiritu, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum » (3).

Praedicta distinctio non eadem ratione ab omnibus theologis explicatur et applicatur, licet eamdem definitionem utriusque gratiae tradant. Veteres theologi plurimi solam gratiam sanctificantem ut *gratum facientem* habebant ; recentiores vero illius denominationem magis extendunt (4).

Specialiter nunc viget controversia circa contemplationem infusam,

---

(1) Cf. MAHIEU, *Probatio Charitatis,* p. 22 9 .
(2) Cf. S THOMAS 1-2, q. 111, a. 1.
(3) 1 Cor. 12, 8.
(4) Videsis Illmum D. L. JANSSENS, *De gratia Dei et Christi,* p. 307 ss.

utrum scilicet sit gratia *gratum faciens* vel gratia *gratis data*. Quam quaestionem ex integro pertractare hic non est locus (1).

5. Actualis et habitualis.

5° Gratia *actualis* et gratia *habitualis*.

Actualis est auxilium supernaturale per modum actus vel motionis *transeuntis*, quo auxilio anima movetur ad aliquid cognoscendum vel volendum vel agendum. *Habitualis* est donum quod Deus animæ infundit per modum habitus qualitatis *permanenter inhærentis* (2).

10. Adnotatio circa modum loquendi antiquorum scholasticorum:

Adnotatio. Editores operum S. Bonaventuræ hæc recte notant: « quoad *terminos* hîc et passim occurrentes prænotanda est quædam differentia, quæ est tum inter antiquos theologos et recentiores, tum inter ipsos antiquos. — Gratia sanctificans, ab antiquis dicta gratum faciens, a recentioribus theologis etiam habitualis vocatur, ut distinguatur a gratia actuali. Antiqui autem Scholastici solebant gratiam supernaturalem dividere in duo membra principalia, videlicet, in gratiam gratis datam et gratiam

S. Thomae

gratum facientem. Gratia gratis data iam a S. Thoma (1-2, q. 111, a. 1) cum recentioribus accipitur ut illud donum Dei supernaturale, quod « non datur ad hoc, ut homo ipse per eam iustificetur, sed potius, ut ad justificationem *alterius* cooperetur »... Etiam S. Bonaventura sæpe in hoc sensu

S. Bonaventurae

intelligit gratias gratis datas, v. g. infra d. 27, a. 1. q. 1, ad 2, et IV. Sent., d. 7, a. 1, q. 3, ad 2, d. 24, p. I. a. 2, q. 1, ad 5. In aliis autem locis idem gratiam a nobis dictam *actualem* inter *gratias gratis datas* recenset,... immo d. 28, a. 2, q. 1, explicite declarat, quod hoc nomen, præter ea quæ enumerat Apostolus I Cor. 12, 8, indicat « quidquid illud sit, quod superadditum est naturalibus, adiuvans aliquo modo et præparans voluntatem ad habitum, vel usum gratiæ » (3).

Transcribimus hîc verba S. Bonaventuræ quibus explicite docet nomine gratiæ gratis datæ intelligi non solum charismata, sed etiam illa auxilia quæ nunc a theologis vocantur *gratiæ actuales :*

« Respondeo : Ad prædictorum intelligentiam est notandum, quod vix aut nunquam liberum arbitrium destituitur omni gratia gratis data; quoniam *nomine gratiæ* gratis datæ *non solummodo* intelligimus illa *quæ enumerat* Apostolus primæ ad Corinthios duodecimo: « *Alii datur per Spiritum* » etc., sed etiam vocatur hîc gratia gratis data, *quidquid* illud sit, *quod superadditum est naturalibus, adiuvans* aliquo modo et *præparans voluntatem* ad *habitum, vel usum gratiæ*, sive illud gratis datum sit habitus, sicut timor servilis, vel pietas aliquorum visceribus inserta ab infantia, sive sit etiam aliquis *actus*, sicut aliqua *vocatio* vel *locutio*, qua Deus *excitat* animam hominis, ut se requirat (h. e. ut Deum quærat). — Sine hac quidem gratia gratis data vix aut nunquam aliquis habens usum

---

(1) Infusam contemplationem esse gratiam *gratis datam* docent PHILIPPUS A SS. TRINITATE, *Summa Theologiæ mysticæ*, t. II, p. 282 ss.; BILLOT, *De virtutibus infusis*, p. 185 ; cfr. etiam ILLmus ac REVmus WAFFELAERT, in *Collat. Brug.*, t. XIX, p. 5 ss. ; t. XXII, p. 177 ss.

(2) Ante concilium Tridentinum nomen *gratiæ actualis* vix occurrit : dicebatur autem auxilium Dei moventis vel auxilium speciale aut gratuitum (ut scilicet distingueretur a concursu universali) vel etiam gratis data ». VAN NOORT, *o, c.* p. 5. Prædictam divisionem sic exponit S. Thomas: « Dupliciter ex gratuita Dei voluntate homo adjuvatur: uno modo in quantum anima hominis *movetur* a Deo ad aliquid cognoscendum vel volendum vel agendum, et hoc modo ipse gratuitus effectus in homine non est qualitas, sed *motus* quidam animæ: « actus enim moventis in moto est motus »... Alio modo adjuvatur homo ex gratuita Dei voluntate secundum quod aliquod *habituale donum* a Deo animæ *infunditur* » I-II. Q. CX, a. 2.

(3) S. BONAVENTURÆ *opera omnia*, t. II. p. 632, *scholion.*

liberi arbitrii reperitur; et sine hac concedendum est, liberum arbitrium nunquam sufficienter disponi nec posse se disponere ad gratiam gratum facientem, sicut dicit Bernardus expresse in libro de Libero Arbitrio, capitulo decimo tertio: « Conatus liberi arbitrii ad bonum cassi sunt, si a gratia non adiuvantur, et nulli, si non excitantur ». Et post dicit, quod « gratia excitat liberum arbitrium, dum seminat cogitatum ». Si igitur prima dispositio, quæ fit ad gratiam gratum facientem, est cogitatio, et hæc non est absque dono gratiæ gratis datæ; impossible est, quod liberum arbitrium, omni gratia destitutum, ad gratiam gratum facientem disponat se ipsum.

» Ratio autem huius est haec: non quia gratia gratum faciens necessario præexigat dispositionem gratiæ gratis datæ, sed quia ipsa est quid divinum et res existens supra liberum arbitrium et etiam supra naturale iudicatorium. Ideo liberum arbitrium nunquam assurgit nec ad cognoscendam gratiam nec ad petendam, nisi aliquo modo a sursum excitetur et per aliquod donum gratiæ gratis datæ, quod tenet quasi medium inter donum gratiæ gratum facientis et naturalem libertatem voluntatis. Tenendum est igitur, quod liberum arbitrium, si excitetur per aliquod donum gratiæ gratis datæ, potest ad gratiam gratum facientem se de congruo disponere; si autem omni tali munere contingat ipsum destitui, nunquam posset ad illam disponi » (1).

Alexandri Halensis.

Alexander Halensis in hac expositione præcesserat, designando sub nomine *gratia gratis data* donum supernaturale alicui infusum et disponens, quantum in se est, subjectum cui infunditur vel ad propriam salutem, vel ad aliorum ædificationem: ita *gratia gratis data* dicitur tum fides (supernaturalis) *informis,* tum gratia sermonis (2).

II. 1) De ulteriori divisione.

Nota. 1. De aliis gratiæ divisionibus, v. gr. in *excitantem* et *adjuvantem,* in *operantem* et *cooperantem,* sermo erit ubi de *essentia* gratiæ agitur.

2) De sensu quo gratiæ dici possit aliquid creatum.

2. Omnis gratia, sive actualis, sive habitualis, utpote entitas supernaturalis, a solo Deo, tamquam a causa efficiente principali, *immediate* producitur et *ex nihilo:* creatura enim nequit esse materia aut subjectum e cujus naturali potentia educitur aliquod accidens supernaturale. Ad modum loquendi quod attinet, de gratia, sicut de omni accidente, dici potest quod, proprie loquendo, non ipsa fit, vel creatur, quia non existit per se, sed tantum *inest alii enti;* seu *inhæret alii,* nempe substantiæ. « Omne accidens non dicitur ens quasi ipsum esse habeat, sed quia eo aliquid est, unde et magis dicitur entis, quam ens... Et quia ejus est fieri vel corrumpi, cujus est esse; ideo proprie loquendo nullum accidens neque fit, neque corrumpitur, sed dicitur fieri vel corrumpi, secundum quod subjectum incipit vel desinit esse in actu secundum illud accidens. Et secundum hoc etiam gratia dicitur creari, ex eo quod homines secundum ipsam creantur id est *in novo esse constituuntur ex nihilo* » (3). Tamen communiter theologi dicunt gratiam esse *aliquid creatum* in anima, et recte quidem, ad significandum entitatem, quæ est gratia, a Deo immediate produci et infundi absque potentia ipsi correspondente.

---

(1) In II, dist. 28, a. 2, q. 1.

(2) Cf. *Summa theologica,* III, P. q. 73. membr. 2.

(3) S. Thomas, 1-2, q. 110, a. 2, ad 3. Cf. SUAREZ, *De gratia,* 1, VI, c. 1 et 2, 1. VIII, c. 2. Quantum ad hoc non datur dissensus inter S. Thomam et Suarez; cf. *Collat. Brug.,* t. XIV, p. 191.

III. ERRORES PRÆCIPUI IN RE DE GRATIA.

12. Exponendi errores.

Antequam transeamus ad primam partem tractatus explicandam, utile videtur quædam notare circa historiam revelationis dogmatum de gratia et historiam theologiæ de eodem objecto.

A. Ante Christum jam in Libro « Genesis » describitur supernaturalis status hominis (1) quocum supernaturaliter agit Deus ; prophetæ postea describunt salutem messianicam quæ etiam apparet ut supernaturale bonum, loquuntur de speciali auxilio Dei ad bene agendum, præsertim de auxilio dato toti populo Israëlis, de cœlesti remuneratore justorum (2).

B. Christus præsertim internam ac supernaturalem hominis justi cum Deo unionem docet, necessitatem illius unionis ut homo faciat opera *salutaria,* necessitatem divini auxilii ut homo ad *fidem,* quae ipsi necessaria est, perveniat, necessitatem orationis ad obtinendum Dei auxilium, necessitatem quorumdam mediorum ad salutem, v. gr. baptismatis, eucharistiæ, habitationem Dei in justo.

C. S. Paulus (3) agit præsertim de necessitate justificationis et de absoluta ejusdem gratuitate (in epist. ad Rom.), de possibilitate observandi legem per internam vim haustam ex unione cum Christo, de influxu Spiritus Sancti in anima, quo influxu homo constituitur justus et movetur seu impellitur ad facienda opera veræ justitiæ et ad augendam justitiam.

D. Quum autem varii in diversis temporis spatiis exorti sint errores qui fuerunt Ecclesiæ Magisterio occasio doctrinam de gratia catholicam declarandi vel definiendi, utile duximus jam ab initio breviter falsas illas exponere sententias, quarum cognitio non parum juvat ad claram ac distinctam veritatis oppositæ acquirendam notitiam, sed et necessaria est ut perspiciatur historice progressus theologicæ scientiæ circa objectum de quo nunc est sermo.

I. De Pelagianismo (4).

13. Pelagianismus.

1. *Pelagius docebat* a) Adamum, ante suum peccatum, fuisse in eodem statu ac sunt pueri qui nunc nascuntur, consequenter Adamum non fuisse *interna gratia* ornatum a Deo et hanc gratiam nunc non requiri ad salutem æternam; b) Adami peccatum fuisse nocivum sibimetipsi tantum: inde negabat originale peccatum in

---

(1) Cf. Tobac, ap. d'Alès, *Dict. apolog. de la foi catholique,* art. *Grâce,* col. 326.
(2) Cf. Van Der Heeren, *Psalmi,* p. XXIII; Tobac, *o. c.,* col. 327. ss.
(3) Cf. Tobac, *o. c.,* col. 330 ss.
(4) Cf. Jungmann, *De Gratia,* n. 12 ss.; Palmieri, *De gratia actuali,* p. 127 ; Funk (Traduction Hemmer), *Histoire de l'Eglise,* t. I, p. 245 ; Portalié, *S. Augustin,* in Vacant, *Dictionnaire de théologie catholique,* t. I. col. 2280, 2296, præsertim 2380 ; Loofs, *Pelagius,* in *Realencyclopädie für protestantische Theologie,* t. XV, p. 747 ss.; Van Noort, *De Gratia Christi,* n. 16 ss.; Tixeront, *Histoire des dogmes,* t. II, Paris, 1909, p. 436 ss.

posteris Adami; c) hominem valere absque interna Dei gratia observare omnia præcepta et proinde salvum fieri.

Ad nostram expositionem quod attinet, præ oculis est habendum quod Pelagius negabat necessitatem (1) omnis *internae* gratiæ, h. e., omnis interni doni supernaturalis, quo homo adjuvatur ad recte agendum, et ita vires liberi arbitrii extollebat ut *soli* humanæ voluntati tribuendum foret quod homo recte vel non recte ageret (2). Pelagianismus damnatus est a multis synodis particularibus, deinde a concilio Milevitano, anno 417, et a concilio Carthaginiensi, anno 418, utrisque a Zosimo papa solemniter confirmatis (3).

14. Semipelagianismus.

2. *Semipelagiani,* circa annum 428, gratiæ internæ existentiam ac necessitatem admittentes atque Pelagii doctrinam rejicientes, tamen in quibusdam de necessitate gratiæ erraverunt: a) « Contendebant nempe ad actu credendum et quodlibet opus salutare actu perficiendum veri nominis gratiam requiri, sed asserebant voluntatem credendi (pium credulitatis affectum), desiderium cujuslibet operis salutaris, implorationem divini auxilii solis naturæ viribus haberi. Utebantur exemplo infirmi cujus curatio tota quidem fit ope medici, sed qui ex sese sanitatem desiderare et medicum vocare potest. Docebant b) gratiam, qua homo indiget, per opera naturalia seu dispositiones naturales... saltem de congruo promereri. c) Non requiri speciale auxilium ad perseverantiam finalem. — Semipelagianismum, quem nonnulli viri ceteroquin pii, bona fide, ut videtur, tenuerunt (Joannes Cassianus, Gennadius, Faustus regiensis (4). Vincentius Lerinensis (5), impugnarunt S. Augustinus senex s. Prosper. s. Fulgentius (6), damnavit concilium Arausicanum II, anno 529 (7), condemnationem confirmavit Bonifacius II » (8).

(1) Dicimus *necessitatem :* non conveniunt auctores in solvenda quæstione num Pelagiani alicujus internæ gratiæ existentiam admiserint.

(2) L'idée fondamentale du système pélagien n'est pas uniquement dans la *négation de l'ordre surnaturel:* pour beaucoup, le pélagianisme est un naturalisme excluant l'élévation surnaturelle, l'adoption divine, la chute, tout mérite d'un ordre supérieur, mais admettant que la volonté dépend du gouvernement divin. De là cette règle solennelle d'interprétation: toutes les fois qu'Augustin exige une grâce contre Pélage, il s'agit d'un acte surnaturel. — Or, cette vue et cette règle sont incomplètes: sans doute Pélage a nié toute grâce surnaturelle, quoi qu'en aient dit les jansénistes, il admettait seulement les dons extérieurs de la révélation, de la loi, des exemples du Christ... Mais Pélage a nié plus que cela; même en dehors de l'ordre surnaturel, il a exagéré les forces de la liberté. Et ces mêmes théologiens le reconnaissent quand ils s'appuient sur la controverse pélagienne pour affirmer l'impossibilité, sans une grâce, d'observer la loi naturelle, même *quoad substantiam actus* ». PORTALIÉ, *o. c.*, col. 2381. Cf. BILLOT, *De Gratia,* p. 54, 60.

(3) Cf. *Enchir.*, n. 101 ss.

(4) Cf. GODET, ap. VACANT. MANGENOT, *Dict. de théol. cath.*, art. *Cassien,* col. 1826 ss., art *Gennade,* art. *Fauste de Riez.*

(5) Cf. BARDENHEWER, PATROLOGIE, p. 449 s.

(6) Cf. GODET, *o. c.*, art. *Fulgence de Ruspe.*

(7) « Les travaux du concile d'Orange nous sont parvenus sous forme de canons et de définitions de foi. Les canons ne sont pas l'œuvre des Pères d'Orange, mais ils procèdent de *capitula.* Les canons 9e, 11-25 concordent mot à mot avec diverses sentences de saint Prosper... Rien ne permet de dire avec certitude à quelle époque et de quel pape saint Césaire reçut les canons qu'il présenta au Concile d'Orange et fit promulguer par celui-ci (3 Juil. 1529) » HÉFELÉ-LECLERCQ, Histoire des Conciles, 2e P., t. II, p. 1085.

(8) VAN NOORT, *o. c.*, n. 17.

15. Cassiani doctrina ejusque refutatio.

Johannes Cassianus (360 ?-448 ?) in opere, conscripto a. 427 vel 428, cujus titulus *Collationes*, profitebatur non requiri gratiam ad initium salutis : « Deus cum in nobis ortum quemdam bonæ voluntatis inspexerit, illuminat eam confestim atque confortat et incitat ad salutem, incrementum tribuens ei quam vel ipse plantavit vel nostro conatu viderit emersisse » *Collationes*, XIII, c. 8. « Sin vero a gratia Dei semper inspirari bonæ voluntatis principia dixerimus, quid de Zachæi fide, quid de illius in cruce latronis pietate dicemus, qui desiderio suo vim quamdam regnis cœlestibus inferentes specialia vocationis monita prævenerunt » *o. c.*, c. 11.

Hanc Massiliensium sententiam S. Prosper Aquitanus exponebat S. Augustino his verbis: « Ad gratiam, qua in Christo renascimur, volunt hominem pervenire per naturalem facultatem petendo, quærendo, pulsando: ut ideo accipiat, ideo inveniat, ideo introeat, quia homo naturæ bono bene usus ad istam salvantem gratiam initialis gratiæ (h. e. liberi arbitrii) ope meruerit pervenire » (1).

Damnata est ab Innocentio X hæc Jansenii propositio: « Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus etiam ad initium fidei: et in hoc erant hæretici quod vellent eam gratiam talem esse cui possit humana voluntas resistere vel obtemperare » (2).

S. Augustinus Semi-pelagianorum errorem refutavit duobus operibus, nempe: *De prædestinatione Sanctorum* et *de dono perseverantiæ*, scriptis a. 428 vel 429.

16. Notula de antiquioribus scholasticis.

Nota. Errorem Pelagianorum et Semi-pelagianorum refutarunt etiam scholastici qui ulterius plures expenderunt et solverunt quæstiones de natura gratiæ, maxime de habituali gratia.

Inter illos recensendi sunt (3) præcipue Petrus Lombardus († 1164), qui in opere cujus titulus « *Libri Sententiarum* » in L. II, a 24ª ad 29ªm distinctionem exponit quædam de gratia; Alexander Halensis (†1245) (4), qui fuit magister S. Bonaventuræ; Albertus Magnus (1193-1280), qui fuit magister S. Thomæ Aquinatis; S. Bonaventura (1221-1274); S. Thomas Aquinas (1225 ?-1274); Henricus Gandavensis († 1293) (5); Scotus 1266 ?-1308), qui fuit præcipuus tunc temporis adversarius doctrinæ S. Thomæ; Capreolus (1380-1444), qui contra Scotum aliosque acute propugnavit doctrinam S. Thomæ (6); Dionysius Cartusianus (1402-1471) (7); tandem duo egregii S. Thomæ Aq. commentatores nempe Cajetanus (1469-1534) (8) et Sylvester Ferrariensis (1474-1528) (9).

II. De Lutheranismo (10).

17. Lutheranismus.

Luther (1483-1546) censebat hominem natura sua esse ita sub-

---

(1) *Prosperi epistola ad Augustinum, inter* opera S. Augustini, epist. 225

(2) *Enchir.*, n. 1095.

(3) Cf. De Wulf. *Histoire de la philosophie médiévale*. Louvain, 1900, p. 247 ss.; 370.

(4) Scripsit opus: *Summa theologica;* ibi agit de gratia in Parte 3, q. 69-73. Cf. de ejus doctrina: Heim, *Das wesen der Gnade... bei Alexander Halesius*, Leipzig, 1907.

(5) Qui fuit archidiaconus Cathedralis brugensis, an. 1276. De ejus doctrina philosophica, cf. De Wulf, *Histoire de la philosophie en Belgique*, Bruxelles, 1910, p. 103 ss.

(6) In opere cujus titulus : *Libri defensionum theologiæ divi Thomæ Aquinatis*. Cf. « Notitia » in t. I editionis factæ Turonibus cura et studio RR. PP. Paban, et Pègues, an. 1900-1908.

(7) Cfr. Krogh-Tonningh, *Der letzte Scholastiker*, Freiburg i. Br., 1904.

(8) Conscripsit commentarium in *Summam theologicam*.

(9) Conscripsit commentarium in *Summam contra Gentiles*.

(10) Cf. Krogh-Tonningh, *De Gratia Christi et de libero arbitrio*, Christiania, 1898;

ditum concupiscentiæ ut hæc esset invincilibis, ut homo nequiret observare legem Dei, ut etiam omnes hominis actus essent vere peccata: in homine proinde nulla dari potest *interna* justitia. Concupiscentia, quæ *semper manet* in homine, est ipsum peccatum originale (1).

Sed Christus ipse adimplevit legem Dei, et Christi justitia nobis communicatur, h. e. *imputatur,* ita ut homo justus sit ipsà Christi justitia. Conditio autem necessaria ut justificemur per Christi justitiam est *fides;* fides imo est ipsa *formalis justitia,* est ipsa gratia justificans (2). Hæc autem fides est *fiducia,* nempe fiducia qua confidimus nobis remitti, (h. e. *non imputari*) peccata propter Christum. — Quum doceat Luther nullam dari internam hominique inhærentem justitiam, censet etiam gratiam non dari per sacramenta, sed illa in tantum valere in quantum in homine excitant fidem seu fiduciam.

Liberum arbitrium negat Luther et contendit omnia hominis opera fieri mera necessitate, sive impius homo sit, sive pius (3).

18. Ejus damnatio

Lutheri errores primo damnati sunt a Leone X, anno 1520, deinde in concilio Tridentino (1545-1563).

Leo X damnavit 41 propositiones Lutheri inter quas, ad nostram quod attinet materiam, præcipue considerandæ sunt sequentes:

« Hæretica sententia est, sed usitata, sacramenta Novæ Legis *Justificantem gratiam* illis dare, qui non ponunt obicem ».

« In puero post baptismum negare *remanens peccatum* est Paulum et Christum simul conculcare ».

« Peccata non sunt illi remissa, nisi remittente sacerdote credat sibi remitti, imo peccatum maneret, nisi remissum crederet: non enim sufficit remissio peccati et gratiæ donatio, sed oportet etiam credere remissum ».

« In omni opere bono justus peccat ».

« Opus bonum optime factum est veniale peccatum ».

« Nemo est certus se non semper peccare mortaliter, propter occultissimum superbiæ vitium ».

« Liberum arbitrium post peccatum est res de solo titulo, et dum facit quod in se est peccat mortaliter » (4).

III. De Baianismo, Jansenismo, Quesnellismo.

19. Baianismus.

1. *Baius* (1513-1589) (5), ab anno 1550 professor Theologiæ

Köstlin, *Luther* in *Realencyklopädie fur protestantische Theologie,* t. 11, p. 724 ss; Denifle, *Luther und Luthertum,* Mainz, 1904, p. 396 ss. ; *Rapports sur les travaux du Séminaire historique de Louvain,* an. 1903, p. 8 ss, an. 1904, p. 7 ss.

(1) V. textus apud Denifle, *o. c.,* p. 399 ss; 483 ss. — Confusa, imo in se vere contradictoria est Lutheri doctrina, quatenus censet tum hominis opera, de se, esse omnia mala propter dominantem concupiscentiam, quæ est peccatum originale, tum quædam dari opera bona, quæ tamen non conferunt internam justitiam, nec sunt meritoria.

(2) Cf. *Enchir.,* n. 1009 ss.

(3) Cf. Krogh-Tonningh *o. c.,* p. 61 ss. ; Denifle, *o. c.,* p. 600 ss.

(4) Cf. *Enchir.,* nn. 741, 742, 750, 771, 775, 776.

(5) Cf. Palmieri, *De Deo creante,* Romæ, 1878, thes. 34, p. 290 ss ; Pesch, *Tracta-*

in Universitate Lovaniensi, intendit varias de gratia quæstiones, tunc temporis agitatas, examini subjicere ope præsertim S. Scripturæ, antiquorum Patrum, imprimis S. Augustini; et expurgare doctrinam catholicam ab elementis alienis, quæ, ut putabat, fuerant a Scholasticis invecta. Hac methodo errores non vitavit: imprimis erravit in hoc quod censuit statum integritatis ac rectitudinis, in quo primus homo fuerat a Deo conditus, esse *debitum* humanæ naturæ, consequenter dona, quibus ille status obtinebatur, esse dicenda naturalia, nec potuisse a Deo creari hominem absque illis donis, quin hic fuisset *malus* e manibus Dei egressus. Baius non negabat homini dari a Deo dona salutaria eaque a Deo immediate produci in homine, sed tenebat illa esse *positive debita* humanæ naturæ adeoque *naturalia* (1). — Deinde libertatem *indifferentiæ* (2) negavit Baius, tenendo nostra opera in tantum libera esse, etiamsi illa opera sint omnino necessaria, in quantum procedunt ex *inclinatione intrinseca* nobis, et absque violentia ab extrinseco illata. In præsenti porro statu generis humani post Adami lapsum omnia opera, quæ non procedunt ex gratia, sunt moraliter mala seu peccata (3): ratio est quia homo, si privatur illis donis quæ constituebant rectitudinem protoparentis, jam est intrinsece malus, et opera ejus sunt mala, licet non sint libera, libertate nempe electionis seu indifferentiæ. Tandem quoad ipsam essentiam justificationis erravit tenendo hanc non haberi formaliter per aliquod donum internum animæ infusum, sed per observationem mandatorum (4).

20. Damnatio.

Anno 1567 Summus Pontifex, S. Pius V, illam doctrinam damnavit.

Ex variis Baii operibus, selectæ sunt 79 propositiones quæ fuerunt proscriptæ » (5): præcipuæ sunt sequentes (6):

---

tus dogmatici, t. V, Friburgi Br. 1908, n. 114 ss; *Biographie nationale publiée par l'académie royale de Belgique*, t. IV, 1873, art. *De Bay; Rapport sur les travaux du Séminaire historique de Louvain*, an. 1903-1904, p. 10; LE BACHELET, apud VACANT, *Dictionnaire de théologie catholique*, art. *Baius*.

(1) Haec sententia recte assignatur ut fundamentalis error systematis Baii : cf. *Collat. Brug.*, t. XVIII, p. 207 ss.

(2) Dicimus libertatem *indifferentiae* seu *electionis*, quæ est in voluntate consequenter ad *deliberationem* intellectus. Non est confundenda libertas indifferentiæ cum libertate absolute spectata. Cf. ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, *o. c.*, in *Collat. Brug.*, t. V, p. 490 ss., 589 ss., *Méditations théologiques*, t. 1, p. 380 ss., 421 ss.

(3) Hic Baii error diversus est a sententia Ripaldæ. Cf. ID., *o. c.*, in *Collat. Brug.* t. II, p. 182 ss.

(4) De illo errore, cf. *Collat. Brug.*, t. XVIII, p. 133 ss.

(5) In bulla Pii V « Ex omnibus afflictionibus », post enumeratas 79 propositiones legebatur: « Quas quidem sententias... quamquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent in rigore et proprio verborum sensu ab assertoribus intento... damnamus ». Inde exorta est quæstio de *commate piano*, utrum nempe ponendum esset comma post vocabulum *possent*. Qui effugere condemnationem desiderabant, contendebant comma esse ponendum post vocabulum *intento*. Sed ex natura clausulæ patet comma collocandum esse post vocabulum *possent*. Cf. JUNGMANN, *Dissertationes in historiam ecclesiasticam*, t. VII, Ratisbonæ, 1887, p. 208. — Anno 1579, Gregorius XIII confirmavit condemnationem Baii latam a Pio V.

(6) Cf. *Enchir.*, n. 1090.

« Dona concessa homini integro et angelo, forsitan non improbanda ratione, possunt dici gratia; sed quia, secundum usum sacræ Scripturæ, *nomine gratiæ* ea tantum munera intelliguntur, quæ per Jesum Christum male meritis et indignis conferuntur, ideo neque merita neque merces, quæ illis redditur, gratia dici debet ».

« Quod pie et juste in hac vita mortali usque in finem vitæ conversati vitam consequimur æternam, id non proprie gratiæ Dei, sed ordinationi *naturali* statim initio creationis constitutæ iusto Dei judicio deputandum est: neque in hac retributione bonorum ad Christi meritum respicitur, sed tantum ad primam institutionem generis humani, in qua lege naturali constitutum est, ut iusto Dei iudicio obœdientiæ mandatorum vita æterna reddatur ».

« *Humanæ naturæ sublimatio* et exaltatio in consortium divinæ naturæ debita fuit integritati (1) primæ conditionis, et proinde naturalis dicenda est, et non supernaturalis ».

« Absurda est eorum sententia, qui dicunt, hominem ab initio, *dono quodam supernaturali* et gratuito, supra conditionem naturæ suæ fuisse exaltatum, ut fide, spe et caritate Deum supernaturaliter coleret ».

« *Justitia,* qua iustificatur per fidem impius, consistit formaliter in obœdientia mandatorum, quæ est operum iustitia; non autem in *gratia* [*habituali*] aliqua animæ infusa, qua adoptatur homo in filium Dei et secundum interiorem hominem renovatur ac divinæ naturæ consors efficitur, ut, sic per Spiritum Sanctum renovatus, deinceps bene vivere et Dei mandatis obœdire possit ».

« Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur ».

« Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis conditio ».

21. Notula circa catholicos theologos.

Nota. Tunc temporis etiam exorta est celebris inter catholicos controversia, *de auxiliis* seu *de efficacia gratiæ,* inter Dominicanos et Patres Societatis Jesu. Clemens VIII congregationem de auxiliis ad litem finiendam instituit, quæ integris novem annis, 1598-1607, causæ extricandœ insudavit. Paulus V, anno 1607, disputationibus finem imposuit, et prohibuit *ne quis partem suæ oppositam aut qualificaret aut censura quapiam notaret* (2). Illius controversiæ objectum infrà exponemus.

Controversia hæc publice agi cœpit anno 1582, in universitate Salmanticensi (3). Anno 1588, Ludovicus Molina opus ex professo de disputatis tunc quæstionibus edidit sub titulo: *Concordia liberi arbitrii cum gratiæ donis,* etc. Anno 1595 Bannez opus conscripsit cujus titulus: *Apologia Fratrum Prædicatorum... adversus novas quasdam assertiones cujusdam doctoris Ludovici Molinæ nuncupati.*

Deinde duæ exortæ sunt scholæ, quarum tamen sectatores non in omnibus de gratia quæstionibus eamdem propugnaverunt solutionem. Bannez (1528-1604) secuti sunt Th. De Lemos († 1629), Alvarez († 1635), Sylvius (1581-1649). Gonet (1616-1681), Goudin (1639-1695), Gotti (1664-1742), Billuart (1685-1757); Molinæ (1535-1600) inhæserunt Vasquez

---

(1) Nomine *integritatis* intelligit Baius' statum in quo natura habet omnia quæ requiruntur ut sit vere et simpliciter bona, ita ut si quoddam illorum deficit, fiat natura intrinsece mala, seu *privata* perfectione, h. e. carens perfectione ipsi *debita.* Inde tenebat sublimationem humanæ naturæ esse ipsi *debitam* ut esset simpliciter bona, consequenter hanc sublimationem vocabat naturalem. Cf. CASINIUS († 1755), *Quid est homo* — editio curante Scheeben, Moguntiæ, 1862, p. 5, 51.

(2) Cf. *Enchir.,* n. 1090.

(3) Cf. *Collat. Brug.,* t. XV, p. 33 ss.

(1551-1604), Suarez (1548-1617), Bellarminus (1) (1542-1621), Lessius (1554-1623), de Ripalda († 1648).

22. *Jansenimus,*

2. *Jansenius* (2) (1585-1638), ab anno 1618 professor in Universitate Lovaniensi, ab anno 1636 episcopus Yprensis, Baii methodo inhærens, præsertim S. Augustini operibus perlegendis operam dedit; doctrinam suam exposuit in libro, cujus titulus « Augustinus », qui editus est post mortem suam, sc. anno 1640: quo in opere propugnabatur theoria Baii, et nominatim sententia de *delectatione victrici,* quatenus nempe homo semper et necessario id agit ad quod magis attrahitur delectatione actualiter desiderata.

Anno 1641, liber « Augustinus » prohibitus fuit ab Urbano VIII, et anno 1653, Innocentius X damnavit quinque propositiones excerptas ex dicto libro.

En propositiones damnatæ (3): 1. Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus et conantibus, secundum præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia: deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant.

2. Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur.

Declarata et damnata uti hæretica.

3. Ad merendum et demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.

Declarata et damnata uti hæretica.

4. Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei; et in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere et obtemperare.

Declarata et damnata uti falsa et hæretica.

5. Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse aut sanguinem fudisse.

Declarata et damnata uti falsa, temeraria, scandalosa, et, intellecta eo sensu, ut Christus pro salute dumtaxat prædestinatorum mortuus sit, impia, blasphema, contumeliosa, divinæ pietati derogans, et hæretica.

23. *Nota de objecto infallibilitatis,*

Nota. Quum damnata fuisset Jansenii doctrina, Jansenistæ effugium quæsierunt contendentes damnatas propositiones non inveniri in libro « Augustinus » vel si in eo contineantur, non eo sensu contineri quo damnantur; in talibus factis definiendis Ecclesiam non esse infallibilem. Inde exorta est quæstio de *objecto infallibilitatis* Ecclesiæ, nominatim utrum Ecclesia sit infallibilis in ferendo judicio de *factis dogmaticis,* et in specie de sensu auctoris in aliqua propositione (4). Alexander VII, anno

---

(1) Cf. DE LA SERVIÈRE, *La théologie de Bellarmin,* Paris, 1909, p. XXI, 578 ss.

(2) Cf. JUNGMANN, *o. c.* p. 217 ss. ; *Biographie nationale,* t. X, art. *Jansenius ;* JANSENIUS, Etude par des membres du Séminaire d'histoire ecclésiastique de Louvain, Louvain 1893 ; de doctrina Jansenii et de illis qui illam propugnaverunt usque ad finem saeculi XVIII, cf. DE BECDELIÈVRE, ap. D'ALÈS, *Dict. apol. de la foi cath.,* art. *Jansénisme.*

(3) Cf. *Enchir.,* n. 1092 ss. — Jansenistarum errores, præsertim de re morali damnati sunt ab Alexandro VII, annis 1665, 1666, 1667, ab Innocentio XI, anno 1679, et ab Alexandro VIII, anno 1690 : cf. *o. c.,* n. 1101-1145, 1151-1216, 1289-1321.

(4) De historia illius controversiæ, cf. JUNGMANN, *o. c.,* p. 257 ss. ; TURMEL, *Histoire de la théologie positive du concile de Trente au concile du Vatican,* Paris, 1906, p. 82 ss. — De doctrina circa objectum infallibilitatis Ecclesiæ, cf. DE BROUWER, *De Ecclesia Christi,* Brugis, 1891, n. 232 ss. ; VAN NOORT, *De Ecclesia Christi,* Amstelodami, 1909. n. 86 ss. ; *Collat. Brug.,* t. XIII, p. 159 ss. ; 238 ss.

1656, constitutionem dedit in qua dicit: « Quinque illas propositiones ex libro prænemorati Cornelii Jansenii Episcopi Yprensis, cui titulus est : *Augustinus,* excerptas ac in sensu ab eodem Cornelio intento damnatas fuisse, declaramus et definimus » (1).

24. Quesnellismus

3. *Quesnellus* (2) (1634-1719) erat sacerdos Oratorii Parisiensis, ac decursu temporis post mortem Arnaldi (1696) caput totius factionis Jansenistarum evasit. Jansenii doctrinam defendit præsertim de vi necessitante gratiæ ac de impossibilitate ei resistendi. Clemens XI, anno 1713, proscripsit 101 propositiones.

Ad rem nostram respiciunt sequentes (3) :

« Jesu Christi gratia, principium efficax boni cujuscumque generis, necessaria est ad omne opus bonum; absque illa non solum nihil fit, sed nec fieri potest ».

« In vanum, Domine, præcipis, si tu ipse non das quod præcipis ».

« Gratia Christi est gratia suprema, sine qua confiteri Christum nunquam possumus, et cum qua nunquam illum abnegamus ».

« Gratia est operatio manus omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest aut retardare ».

« Quando Deus vult animam salvam facere, et eam tangit interiori gratiæ suæ manu, nulla voluntas humana ei resistit ».

« Gratia Adami, sanctificando illum in semetipso erat illi proportionata: gratia christiana, nos sanctificando in Jesu Christo, est omnipotens et digna Filio Dei ».

« Extra Ecclesiam nulla conceditur gratia » (4).

Nota. Quosdam errores, damnatos in Baio et Quesnello, de *justificatione, gratia, virtutibus,* renovavit synodus Pistoriensis et iterum proscripsit Pius VI, anno 1794 (5).

IV. De Rationalismo.

25. Rationalismus.

Luther ejusque sequaces *sola fide,* absque operibus, justificari hominem contendebant; sed ad fidei *objectum materiale* (h. e. *id quod est credendum*) determinandum ac statuendum, nullam aliam agnoverunt regulam quam *uniuscujusque propriam interpretationem S. Scripturæ* (6).

Rejecto prorsus Magisterio Ecclesiæ, ideoque regula fidei proxima, qua indiget homo, invaluit *individualismus* religiosus, quo nomine intelligitur hîc illa cogitandi *methodus,* qua unusquisque, suæ fidens menti, ea solum ut a Deo revelata habet, quæ ipse in S. Scriptura detegit, aliis rejectis. Inde factum est ut diversissimæ circa dogmata exsurgerent opiniones ac ut nulla jam possibilis foret unitas fidei vel confessionis fidei (7).

---

(1) *Enchir.,* n. 1098.
(2) Cf. Jungmann, *o. c.,* p. 292 ss.
(3) Cf. *Enchir.,* n. 1351 ss.
(4) Variæ *de Ecclesia* damnatæ sunt propositiones Quesnelli, *Ibid.,* n. 1422 ss.
(5) *Ibid.,* n. 1516 ss.
(6) Cf. Bossuet, *Histoire des variations,* L. XV, n. 115 ; d'Alès, *Etudes,* t. 112, p. 19 ss.
(7) Inde patet ex fundamentali Protestantismi principio de libertate cogitandi sequi

Porro quum homines jam nescirent quid ipsis esset credendum, et nullam invenirent normam, secundum quam statueretur objectum fidei, *nihil* jam *crediderunt* et incœpit illa propensio ad rejiciendam ipsam revelationem divinam omnemque supernaturalem ordinem, deinde tendentia ad religionem explicandam per cognitionem solius rationis humanæ ita ut nihil admittatur nisi quod ab *humana ratione* inveniri potest: hic error generalis, qui maxime a sæculo XVIII propagatus fuit ac diffusus, ac varia deinde complexus est systemata, vocatur *rationalismus* (1). Secundum quem rejicitur *omne supernaturale,* omnis a Deo *revelatio,* omnis *fides,* h. e. adhæsio *intellectus* ad aliquid ut *verum* propter auctoritatem Dei revelantis, et proinde omnis *gratia,* quæ nonnisi per fidem cognosci potest; admittitur religio naturalis, sc. complexus veritatum de Deo et officiorum erga illum, quæ et quatenus naturali rationis lumine detegi possunt.

26. Damnatio,

Rationalismus, quoad fundamentum ejus, damnatus fuit a Pio IX in « Syllabo » dato anno 1864, et in concilio Vaticano. (1869-1870).

Ex « Syllabo » notemus sequentes propositiones damnatas (2) :

« Humana ratio, nullo prorsus Dei respectu habito, unicus est veri et falsi, boni et mali arbiter, sibi ipsi est lex et naturalibus suis viribus ad hominum ac populorum bonum curandum sufficit ».

Alloc. *Maxima quidem* 9 junii 1862.

« Omnes religionis veritates ex nativa humanæ rationis vi derivant ; hinc ratio est princeps norma qua homo cognitionem omnium cuiuscumque generis veritatum assequi possit ac debeat ».

Epist. encycl. *Qui pluribus* 9 novembris 1846.

Epist. encycl. *Singulari quidem* 17 martii 1856.

Alloc. *Maxima quidem* 9 junii 1862.

« Christi fides humanæ refragatur rationi: divinaque revelatio non solum nihil prodest, verum etiam nocet hominis perfectioni ».

Epist. encycl. *Qui pluribus* 9 novembris 1846.

Alloc. *Maxima quidem* 9 junii 1862.

« Prophetiæ et miracula in sacris Litteris exposita et narrata sunt poetarum commenta, et christianæ fidei mysteria philosophicarum investigationum summa; et utriusque Testamenti libris mythica continentur inventa ; ipseque Jesus Christus est mythica fictio ».

Epist. encycl. *Qui pluribus* 9 novembris 1846.

---

impossibilitatem existentiæ alicujus *societatis* religiosæ protestanticæ : quod rite animadvertit Aug. Sabatier. « On voit d'ici les deux termes de l'antinomie inhérente au protestantisme : si vous n'avez pas de confession de foi, qui êtes-vous ? quelle société formez-vous ? Et si vous promulguez une profession de foi, si vous voulez me l'imposer d'autorité et malgré la résistance de ma conscience, comment êtes-vous encore protestant ? » *Journal de Genève,* 5 Mai 1896 ; cit. a D. BALTUS, *Le protestantisme contemporain,* Namur, 1899, p. 10.

(1) Cf. FUNK, *o. c.,* t. II, p. 298 ss. ; HERGENRÖTHER-KAULEN, *Kirchenlexikon,* t. X, col. 798 ss. Nomine « Aufklärung » designant in Germania Acatholici illam temporis periodum, qua, præsertim a sæculo XVIII mediante, impugnata et abjecta est fides antiqua, imo omnis christianismus positivus et etiam de aliis objectis cognitionis humanæ invectæ sunt sententiæ novæ.

(3) *Enchir.,* n. 1703 ss.

Alloc. *Maxima quidem* 9 junii 1862.

In concilio Vaticano asseritur ipsum factum revelationis divinæ, ejusque in præsenti generis humani conditione necessitas, obligatio fidei, existentia signorum revelationis certissimorum quæ omnium intelligentiæ sunt accomodata, distinctio inter fidem divinam et naturalem de Deo cognitionem (1).

V. De Modernismo (2).

27. Modernismus. 1. Origo.

1. Quum Kant (1724-1804) philosophicum suum systema exposuit, nova incœpit periodus in historia Rationalismi (3); non solum enim omnem a Deo revelationem rejecit Kant, sed ulterius ipsum valorem cognoscendi objectivum denegavit *speculativæ rationi humanæ,* (4) ideoque originem dedit huic theoriæ quæ postea vocata est *agnosticismus* (5). Sed simul ac Kant speculativi ac ratiocinantis intellectus valorem auferebat, *practicæ* rationi agnoscebat valorem absolutum, nempe testimonio conscientiæ, quo homo necessitatur ad admittendam *obligationem moralem* (quæ a Kant vocatur *imperativus categoricus*). Quum vero hæc non possit admitti nisi tribus præsuppositis, sc. libertate humana, immortalitate animæ humanæ et Dei existentia, hæc admittebat Kant. Sed bene hîc notemus *actum,* quo homo agnoscit in se obligationem moralem (et postulata tria quæ præsupponuntur) non esse, secundum Kant, vere *scientificum,* h. e. intentionaliter apprehendentem ipsam rem et ejusdem rationem; sed est potius actus *fidei,* nempe assensus alicui propositioni non propter perspectam evidentiam ejusdem intrinsecam, sed propter ineluctabilem, et quasi cæcam necessitatem adhærendi. Hoc secundum principium a Kant propositum originem dedit theoriæ de *immanentia vitali.*

Igitur ab influxu Kant principaliter derivatum est systema quod

---

(1) *Ibid.* n. 1785 s., 1789 ss., 1795, 1806 ss., 1810 ss.

(2) Cf. *Collat. Brug.,* t. XIII, p. 111 ss., 195 ss., 275 ss. — « De mot *Modernisme* nous est venus d'Italie ; et M. Loisy commet une erreur historique en prétendant que ce mot à été trouvé par les adversaires orthodoxes de ceux à qui on l'applique (*Simples reflexions,* p. 13). Depuis bien des années, Murri et ses disciples se l'attribuaient comme un titre de gloire, et, en Italie, adversaires et partisans de la doctrine nouvelle l'acceptaient et l'employaient sans distinction et sans conteste. Les citations des *modernistes* italiens, accumulées dans l'ouvrage de M. A. Cavallanti, intitulé *Modernismo e Modernisti* et publié en 1906, sont la preuve évidente que le Pape n'a fait autre chose dans son Encyclique que de prendre le mot comme un fait, comme une dénomination existante, déjà passé dans le langage courant, et sans y attacher d'autre signification que celle que lui attribuaient, autour de lui, d'un commun accord, partisans et adversaires ». Cazes, *Autour du Modernisme,* in *Revue Thomiste,* 1909, t. XVII, p. 217.

(3) Cf. Kirn, *Realencyclopädie für protestantische Theologie,* t. XIV, p. 456.

(4) De systemate Kantii, cf. Weisz, *Kant und das Christentum,* Köin, 1904 ; Card. Mercier, *Critériologie,* Louvain, 1906, p. 47, 166, 230, 331, 389 ; Ruyssen, *Kant,* Paris, 1905 ; Sentroul, *L'objet de la Métaphysique selon Kant et selon Aristote,* Louvain, 1905 ; *Les préambules de la question Kantienne,* in *Revue néo-scolastique,* 1907, p. 197 ; *La philosophie religieuse de Kant* in *Revue des sciences philosophiques, et théologiques,* 1910, t. IV, p. 49.

(5) Cf. Ghossat, ap. D'Alès, *Dictionnaire apologétique de la foi catholique,* T. I, art *Agnosticisme.*

vocatur Modernismus (1). Integri hujus systematis exponendi non est hîc locus, sed breviter indicabimus quo modo, in prædicto systemate, auferatur omne supernaturale et proinde omnis gratia (2).

II. A *Oppositio cum supernaturali ordine* **generice spectato**: *a) per agnosticismum.*

II. A. Prænotemus *cognoscibilitatem* omnis entis supernaturalis radicitus rejici ab illis qui *agnosticismo* adhærent, h. e. systemati quod asserit nostræ cognitionis intellectualis objectum esse tantum *phænomena,* nempe sensibiliter apparentia, et consequenter nullum ens suprasensibile, v. gr. Deum, animam, a nobis posse cognosci aut ejus existentiam posse demonstrari ratiocinio intellectus nostri; proinde in hoc systemate omnis entitas supernaturalis, utpote immaterialis seu spiritualis, incognoscibilis censetur nec de illa potest ulla ratio haberi, nec proinde de ullo effectu supernaturali a Deo producto in anima, nec etiam de effectu sensibili supernaturaliter producto a Deo, quatenus est omnipotens et Dominus totius universi.

En verba encyclicæ « Pascendi »: « Vi hujus (agnosticismi) humana ratio *phænomenis* omnino includitur, rebus videlicet quæ apparent eaque specie qua apparent: earumdem prætergredi terminos nec jus nec potestatem habet. Quare nec ad Deum se erigere potis est, nec illius existentiam, ut per ea quæ videntur, agnoscere. Hinc infertur, Deum scientiæ objectum directe nullatenus esse posse; ad historiam vero quod attinet, Deum subjectum historicum minime censendum esse » (3).

b) per negàtionem supernaturalis ordinis implicitam in theoria de immanentia vitali.

B. Non solum ut incognoscibile habent Modernistæ omne supernaturale, sed ulterius omne quod ad religionem spectat ita explicant ut supernaturale *positive negent:* quod imprimis valet de ordine supernaturali *universim* seu *generice* spectato, deinde de *singulis* quæ illum ordinem ingrediuntur.

1. Ordo supernaturalis, *universim seu generice* spectatus, negatur in theoria de *immanentia vitali:* etenim secundum hanc omnis religio (sive naturalis *dicatur,* sive supernaturalis) est aliqua evolutio *sensus religiosi* inhærentis omni animæ: nam in omni anima, vi ejusdem naturæ, habetur *indigentia divini* (le besoin du *divin*) (4) ; ex hac indigentia oritur per subconscientiam (5) ipse sensus religiosus (le *sentiment* religieux) nempe aliqua adhæsio ad *divinum,* ad *Incognoscibile;* hæc adhæsio est quasi *intuitio* di-

---

(1) De modo quo a Kantismo derivatur Modernismus cf. MATTIUSSI, *Il veleno Kanziano,* Monza, 1907 ; *Sergius von Grum Ergimaylo,* Die philosophischen Voraussetzungen des *Modernismus,* in *Zeitschrift für katholische Theologie* (Innsbruck), t. 33, 1909, p. 438-470.

(2) Modernismus damnatus est a Pio X præsertim decreto « Lamentabili » 3 Julii 1907, (cf. *Echir.,* n. 2001 ss. ; *Collat. Brug.,* t. XII, p. 521 ss.) et encyclica « Pascendi » 7 Sept 1907. (cf. *Enchir.,* n. 2071 ss. ; *Collat. Brug.,* t. XII, p. 597, 661).

(3) Cf. *Enchir.,* n. 2072 ; *Collat. Brug.,* t. XII, p. 599 s. Ulteriorem explicationem et asserta quædam Modernistarum vide *ibid.,* t. XIII, p. 195 ss.

(4) Modernistæ dicunt indigentiam *divini* et non indigentiam *Dei,* quia nolunt agnoscere Deum personàlem, nempe ens intellectu et voluntate præditum, realiter omnino distinctum a mundo. Cf. MICHELET. *Dieu et l'agnosticisme contemporain,* Paris, 1909, p. 80 s. Hoc egregium opus lectoribus nostris commendamus.

(5) De subconscientia cf. o. c., 115 ss.

vini, est et dicitur *fides;* porro intellectus humanus cogitat de hac fide et efformat primo quasdam sententias vulgares et simplices, quæ sunt expressiones illius fidei, deinde invenit sententias magis excultas et distinctas, quæ sunt *dogmata.* Illa porro dogmata necessario accommodata sunt sensui religioso cujus sunt effectus; quum vero ille sensus religiosus, utpote vitalis, sit mutabilis pro diversitate temporis, mutabilia etiam sunt dogmata. Omnes igitur religiones (sc. complexus dogmatum, præceptorum et rituum) quæ fuerunt in mundo, sunt, et erunt, nihil aliud important quam naturalem evolutionem sensus religiosi humani: sicut religio, generice spectata, est necessaria, nempe sequela veræ indigentiæ seu exigentiæ animæ, ita etiam omnes religiones diversæ sunt tot sequelæ naturales prædicti sensus religiosi sese evolventis per decursum sæculorum: uti patet, in hac theoria negatur omnis *supernaturalis* interventus Dei, et affirmatur fidem omnem, omnemque virtutem procedere *spontanee ex sola anima* et ejus naturali *exigentiæ omnino proportionari.* In hoc præcise continetur negatio ordinis *supernaturalis* et sita est quasi essentia Modernismi (1). Notemus non minus auferri realitatem ordinis *supernaturalis* ab eo qui diceret hanc religionis originem et evolutionem oriri quidem ex naturali indigentia *divini,* humanæ animæ insita, fieri vero cum concursu seu influxu Dei et sub ejus Providentia: nam quidam concursus generalis Dei, influxus quidam ejus physicus non est supernaturalis, sed naturalis, utpote omnino requisitus a natura creata.

28, Damnatio quatenus docetur immanentia vitalis,

et proinde religionis omnis origo ab indigentia divini ex sensu religioso qui vocatur fides;

En verba encyclicæ « Pascendi » :

— « Religio, sive ea naturalis est sive supra naturam, ceu quodlibet factum, explicationem aliquam admittat oportet. Explicatio autem, naturali theologia deleta adituque ad revelationem ob rejecta credibilitatis argumenta intercluso, immo etiam revelatione qualibet externa penitus sublata, extra hominem inquiritur frustra. Est igitur in ipso homine quærenda: et quoniam religio vitæ quædam est forma, in vita omnino hominis reperienda est. Ex hoc *immanentiæ religiosæ* principium asseritur. Vitalis porro cuiuscumque phænomeni, cujusmodi religionem esse iam dictum est, prima veluti motio ex indigentia quapiam seu impulsione est repetenda: primordia vero, si de vita pressius loquamur, ponenda sunt in motu quodam cordis, qui *sensus* dicitur. Eam ob rem, cum religionis obiectum sit Deus, concludendum omnino est, fidem, quæ initium est ac fundamentum cuiusvis religionis, in sensu quodam intimo collocari debere, qui ex indigentia divini oriatur. Hæc porro divini indigentia, quia nonnisi certis aptisque in complexibus sentitur, pertinere ad conscientiæ ambitum ex se non potest; latet autem primo infra conscientiam, seu ut

(1) « Le modernisme consiste essentiellement à affirmer que l'âme religieuse doit tirer d'elle-même, rien que d'elle-même, l'objet et le motif de sa Foi. Il rejette toute communication révélée qui, du dehors, s'imposerait à la conscience, et ainsi il devient, par une conséquence nécessaire, la négation de l'Autorité doctrinale de l'Eglise établie par Jésus-Christ, la méconnaissance de la hiérarchie divinement constituée pour régir la société chrétienne ». CARDINAL MERCIER, *Le Modernisme* (Collection « Science et Foi ») Bruxelles, 1908, p. 25.

mutuato vocabulo a moderna philosophia loquuntur, in *subconscientia,* ubi etiam illius radix occulta manet atque indeprehensa. — Petet quis forsan, hæc divini indigentia, quam homo in se ipse percipiat, quo demum pacto in religionem evadat? Ad hæc modernistæ: Scientia atque historia, inquiunt, duplici includuntur termino; altero externo, aspectabili nimirum mundo, altero interno, qui est conscientia. Alterutrum ubi attigerint, ultro quo procedant non habent: hos enim præter fines adest *incognoscibile.* Coram hoc *incognoscibili,* sive illud sit extra hominem ultraque aspectabilem naturam rerum, sive intus in *subconscientia* lateat, indigentia divini in animo ad religionem prono, nullo, secundum *fideismi,* scita, prævertente mentis iudicio, peculiarem quemdam commovet *sensum:* hic vero divinam ipsam *realitatem,* tum tamquam obiectum, tum tamquam sui causam intimam, in se implicatam habet atque hominem quodammodo cum Deo coniungit. Est porro hic *sensus* quem modernistæ fidei nomine appellant, estque illis religionis initium.

in quo sensu etiam revelatio consistit

Sed non hic philosophandi, seu rectius delirandi, finis. In eiusmodi enim sensu modernistæ non fidem tantum reperiunt ; sed, cum fide inque ipsa fide, prout illam intellegunt, *revelationi* locum esse affirmant. Enimvero ecquid amplius ad revelationem quis postulet? An non revelationem dicemus, aut saltem revelationis exordium, *sensum* illum religiosum in conscientia apparentem, quin et Deum ipsum, etsi confusius, sese, in eodem religioso *sensu,* animis manifestantem? Subdunt vero: Cum fidei Deus obiectum sit æque et causa, revelatio illa et de Deo pariter et a Deo est; habet Deum videlicet revelantem simul ac revelatum. Hinc autem, Venerabiles Fratres, affirmatio illa modernistarum perabsurda, qua religio quælibet, pro diverso aspectu, naturalis una ac supernaturalis dicenda est. Hinc *conscientia religiosa* ut regula universalis traditur, cum revelatione penitus æquanda, cui subesse omnes oporteat, supremam etiam in Ecclesia potestatem, sive hæc doceat sive de sacris disciplinave statuat » (1)...

qui sensus paulatim evolvitur.

« *Religiosus* igitur *sensus,* qui per *vitalem immanentiam* e latebris *subconscientiæ* erumpit, germen est totius religionis ac ratio pariter omnium, quæ in religione quavis fuere aut sunt futura. Rudis quidem initio ac fere informis, ejusmodi *sensus* paullatim atque influxu arcani illius principii unde ortum habuit, adolevit una cum progressu humanæ vitæ, cujus, ut diximus, quædam est forma. Habemus igitur religionis cujuslibet, etsi supernaturalis, originem: sunt nempe illæ *religiosi sensus* meræ explicationes. Nec quis catholicam exceptam putet; immo vero ceteris omnino parem: nam ea in conscientia Christi, electissimæ naturæ viri, cujusmodi nemo unus fuit nec erit, *vitalis* processu *immanentiæ,* non aliter, nata est... Non heic jam de veteri errore agitur, quo naturæ humanæ supernaturalis ordinis veluti jus tribuebatur. Longius admodum processum est: ut nempe sanctissima religio nostra, in homine Christo æque ac in nobis, a natura, ex se suapte sponte, edita affirmetur. Hoc autem nil profecto aptius ad omnem supernaturalem ordinem abolendum. Quare a Vaticana synodo jure summo sancitum fuit: *Si quis dixerit, hominem ad cognitionem et perfectionem quæ naturalem superet, divinitus evehi non posse, sed ex seipso ad omnis tandem veri et boni possessionem jugi profectu pertingere posse et debere, anathema sit* » (2)

---

(1) *Enchir.,* n. 2074 ; *Collat. Brug.,* t. XII, p. 600 s.

(2) *Enchir.,* n. 2077 ; *Collat. Brug.,* t. XII, p. 603. In laudata encyclica, alio in loco, dicit Pius X de modernistis apologetis : « Ad quem finem modernistæ apologe-

2. De quibusdam, ut sic dicam, *elementis* religionis supernaturalis, *singillatim spectatis*, breviter indicabimus qua ratione a modernistis auferantur.

29. B. Oppositio cum elementis religionis supernaturalis **singillatim spectatis !**

a) per negationem divinæ revelationis et fidei

a/ *Revelatio, active* sumpta, est « actio Dei ad extra specialis qua mentem suam creaturæ significat, hoc significatum ceu verbum suum testando seu auctoritate sua muniendo » (1). Jamvero Modernistæ, quatenus Agnosticismo adhærent, Dei existentiam, ejusque naturam ac attributa, omnemque ejus operationem ad extra prorsus ignorant; quatenus Immanentismo inhærent censent revelationem nihil aliud esse quam actionem hominis internam qua conscius est de relatione sua ad divinum (2). — E medio sublata revelatione active spectata, jam evanescit revelatio, *objective* spectata, h. e. complexus veritatum a Deo revelatarum. Et sane pro Modernistis veritates revelatæ nihil aliud sunt quam formulæ quæ per evolutionem sensus religiosi, tamquam ejusdem expressiones, sunt exortæ. Nominatim mysteria, stricte dicta, quæ in catholica religione ut præcipua habentur, nempe SS. Trinitatis mysterium et Incarnationis, explicant Modernistæ per influxum philosophiæ græcæ in convictiones religiosas primorum christianorum (3). — Sublatis veritatibus a Deo realiter revelatis, perit etiam *fides* proprie dicta, nempe *intellectus* adhæsio ad aliquid ut *verum* propter *auctoritatem Dei revelantis:* jam suprà exposuimus quomodo nomine fidei a Modernistis intelligatur aliud omnino ac adhæsio intellectus statim descripta (4).

b) per negationem divinæ originis Ecclesiæ

b/ *Societas* religiosa *supernaturalis,* qualis est catholica Ecclesia (5), omnino rejicitur a Modernistis, *primo* quidem quia non agnoscunt Christum, vel alium, fuisse vere legatum Dei et proinde fruentem ea auctoritate, ab ipso Deo concessa, quæ requiritur ut habeatur societas divinitus constituta; *deinde* quia omnia supernaturalia, quæ huic societati competunt, v. gr. vinculum sociale, h. e. charitatem supernaturalem, proprietates, media, quà supernaturalia, rejiciunt; *tertio* quia Ecclesiæ originem explicant ex duplici necessitate quæ naturaliter exsurgit inter homines qui eidem fidei religiosæ adhærent (6).

---

tæ ad *immanentiæ* doctrinam revertuntur. Elaborant nempe ut homini persuadeant, in ipso atque intimis ejus naturæ ac vitæ recessibus celari cujuspiam religionis desiderium et exigentiam, nec religionis cujuscumque sed talis omnino qualis catholica est. hanc enim *postulari* prorsus inquiunt ab explicatione vitæ perfecta ». *Collat. Brug.*, t. c., p. 668. — De assertis modernistarum et de refutatione cf. *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 208 ss. ; MICHELET, *o. c.* p. 183 ss., nominatim p. 295 ss., ubi A. exponit quomodo ex theoria de *immanentia vitali* logice ad pantheismum, imo ad atheismum, processus fiat ; CARBONE, *De Modernistarum doctrinis*, Romæ. 1909, p. 54 ss.

(1) ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, *Meditationes theologicæ, Collat. Brug.*, t. II, p. 299.

(2) Cf. *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 196, 206, 208 284.

(3) Cf. *Collat. Brug.*, t. c. p. 285.

(4) Cf. *Collat. Brug.*, t. c., p. 203, 276.

(5) Cf. *Collat Brug.*, t. c., p. 436 ss.

(6) Cf. encyclica « Pascendi », *Collat. Brug.*, t. XII, p. 614 s. ; quoad ulteriorem

c/*Gratia* ipsa (nempe habitus permanenter animæ inhærens, vel motio transeunter animam afficiens) — licet de ea parum loquantur explicite Modernistæ — nequit tamen in horum systemate admitti, quia ipsa nota *supernaturalitatis* aufertur ab illo qui contendit vitam christianam *postulari* ab anima (non tantum illi convenire, illamque perficere), et ex analysi tendentiarum *psychologicarum, abstractione facta ab omni revelatione,* detegi necessitatem alicujus auxilii divini, quod esset *gratia* proprie dicta, nempe *supernaturale auxilium* (1).

c) per negationem gratiæ.

Conclusio nostræ expositionis erit quod Modernistæ, sicut naturalem cognitionem de re suprasensibili *radicitus* annihilant, ita supernaturalis cognitionis vitæque omnis *principia,* sive objectiva sive subjectiva, penitus delent. Qua de re Summus Pontifex in encyclica « Communium rerum » dolens dicebat: « Horum (sc. Modernistarum) tela in Ecclesiæ animam, tamquam in trunci radicem, conjiciuntur, ut certo ictu ac destinato feriant. Est enim ipsis propositum christianæ vitæ doctrinæque turbare fontes; sacrum fidei depositum diripere; per pontificiæ auctoritatis et episcoporum contemptum divinæ institutionis fundamenta convellere; novam Ecclesiæ formam imponere... totam denique divinæ Sponsæ deformare faciem, vano fulgore perculsi recentioris cujusdam humanitatis, hoc est, falsi nominis scientiæ » (2).

29bis. Nota de naturalismo.

Naturalismus absolutus est doctrina quæ docet humanam naturam humanamque rationem cunctis in rebus magistram esse et principem oportere, nihilque Deo auctore esse revelatum, nec ullum a Deo indebitum naturæ humanae auxilium infundi (3).

Naturalismo porro plus minusve accedunt qui partialiter supernaturalem ordinem, qualis fuit a Deo invectus, rejiciunt.

Ita naturalismo cuidam adhærebat *Pelagius* quum negabat peccatum originale et necessitatem supernaturalis et internæ gratiæ ad salutem.

Naturalismo etiam *Lutherus* adhærebat quum originale peccatum docebat esse *essentialem humanæ naturæ* corruptionem et non nisi imputatam justitiam homini agnoscebat.

Baius et Jansenius, licet fundamentalem Lutheri errorem rejicerent, tamen etiam falsum propugnarunt et cuidam naturalismo ad-

---

explicationem, cf. *Collat. Brug.,* t. XIII, p. 283. ... Catholici factum institutionis Ecclesiæ *demonstrant* ex evangeliis, consideratis tamquam libris *historicis :* hæc demonstratio omni sua vi privatur in doctrina Modernistarum, quippe qui in his libris, utpote *religiosis,* nihil aliud agnoscunt quam expressionem *sensus religiosi* hominum qui illos scripserunt. Cf. *Collat. Brug.,* t. XIII, p. 282, 286.

(1) Cf. THAMIRY, *Les deux aspects de l'immanence,* Paris, 1908, p. 285 ; MICHELET, o. c., p. 273 ; encyclica « Pascendi » *Collat. Brug.,* t. XII, p. 668 s. et t. XIII, p. 210.

(2) Cf. *Collat. Brug.,* t. XIV, p. 320.

(3) Cf. LEO XIII, encycl « Humanum genus », 20 Apr. 1884 *Acta,* t. II, p. 61.

hæserunt quatenus tenuerunt justitiam primi hominis pertinere ad *integritatem* (non ad essentiam) humanæ naturæ, illamque justitiam esse necessariam ut homo sit in statu *normali* et careat miseria : erat proinde illa justitia vere naturalis, utpote positive debita naturæ ne hæc sit mala.

Modernistæ rigidiores, qui doctrinam de immanentia vitali absolute admittunt, etiam naturalismo absoluto adhærent, quippe qui omnem divinam revelationem proprie dictam rejiciunt, censentque omnem sanctitatem, omnemque religionem, oriri ex *naturali indigentia* divini, quæ in hominis subconscientia latet. — Sed illi qui, prædictæ doctrinæ non adhærentes, illa tamen tamquam methodo utuntur pro apologesi (h. e. ad demonstranda motiva credibilitatis religionis christianæ vel necessitatem amplectendi eam) etiam adducuntur ad hoc ut statuant *exigentiam* in humana natura ad ordinem rerum qui, secundum Ecclesiæ doctrinam, est vere supernaturalis: et sane, qui contendunt hominem in semetipso (h. e. in inspectis suis tendentiis vel sua infirmitate morali), detegere *indigentiam* boni religiosi vel auxilii, quod in sola christiana religione invenitur, eo ipso asserunt illud bonum vel illud auxilium esse *debitum* humanæ naturæ, ne ipsa sit mala : quæ assertio ad naturalismum pertinet (1).

---

(1) Videsis ea quae scripsimus in *Collat. Brug.*, t. XIX, p. 103, 236, 303, ubi sententiam dijudicavimus expositam a R. P. Valensin, ap. D'ALÈS, *Dict. apol. de la foi cath.* art. *Immanence*, col. 588.

PARS PRIMA

DE NECESSITATE GRATIÆ

GENERICE SPECTATÆ

Prænotandum.

30. De ordine dicendorum.

1. Gratiæ generice sumptæ notionem exposuimus ejusdemque definitionem dedimus (n. 7). Possemus nunc gratiæ *existentiam* demonstrare, nempe ostendere a Deo, in praesenti Providentiæ ordine, dona supernaturalia concedi quibus homines æternam salutem consequantur (1). Attamen non requiritur ut seorsim fiat illa demonstratio: sufficit ut gratiæ *necessitas* demonstretur, nempe ut demonstretur requiri omnino gratiam ut homines valeant assequi finem ad quem de facto destinantur et moventur a Deo ; cæteroquin pleraque argumenta, quibus utimur, ita asserunt gratiæ necessitatem ut simul affirment realiter concedi gratiam.

31. Necessitatis notio.

2. Multiplici ratione aliquid dicitur necessarium sive in ordine logico, sive in ordine ontologico, sive in ordine morali.

Sufficiat notare hoc: *necessarium* est vel id quod non potest *non esse:* inde distinguitur ens necessarium et ens contingens, vel id quod, hypothesi facta, non potest *non fieri :* hoc sensu, necessaria dicuntur phænomena physica : v. gr. lapis, nullo retinente obice, necessario deorsum fertur ; vel id quod *non aliter* fieri potest: v. gr. actus necessarius, in creaturis, est operatio quæ non aliter fieri potest ac fit, est nempe actus qui procedit a potentia necessario *ita* agente ; vel id quod *requiritur* ut aliquid fiat, nominatim id quod requiritur ut aliquod agens assequatur finem. In hoc ultimo sensu loquimur nunc de *necessitate gratiæ :* investigamus scilicet utrum et qua ratione requiratur gratia in homine ut valeat recte vivere et ultimum finem assequi.

Necessitas physica et moralis

A. Quum autem de *auxilio* ad operandum sermo sit, illius necessitas correspondet hominis impotentiæ ad aliquid faciendum: hîc occurrit distinguenda duplex impotentia *physica et moralis. Physica* habetur quando facultas vel entitative improportionata est et incapax ad aliquem actum eliciendum, vel ad actum applicari nequit propter defectum alicujus conditionis physice requisitæ. Ita ex. gr. physica impotentia laborat phantasia ad intelligendum; item

---

(1) Cf. VAN DER MEERSCH, ap. VACANT. MANGENOT, *Dict. de théol. cath.*, art. *Grâce*, col. 1558 ss.

oculus ad videndum, quando non adest aliquod objectum sensibile sufficienter cum oculo conjunctum. Quod physice possibile est, fieri potest moraliter impossibile. Impotentia *moralis* habetur quando facultas, physice quidem capax aliquem actum eliciendi, tamen inspectis hominum moribus, de facto talem actum vel nunquam vel fere nunquam ponit. Et ratio hujus est quia actio aliqua nimis *difficilis* est: quod autem nimis difficile est homines vel nunquam vel fere nunquam faciunt (1).

32. Necessitas medli et praecepti,

B. Præter necessitatem physicam et moralem, mox expositas, aliam distinctionem ponunt theologi, scilicet necessitatem *medii* et necessitatem *præcepti* (2).

Aliquid necessarium est *necessitate medii* ad aliquem finem, puta salutem, quotiescumque requiritur *quia est medium:* aliis verbis quando ad salutem a) conducit *positive,* per modum *causæ* formalis, efficientis, vel disponentis, et b) *tamquam positive conducens* requiritur.

« Est autem aliquid necessarium *necessitate præcepti,* quando requiritur *quia præcipitur,* seu quando eatenus requiritur quatenus per ejus omissionem violaretur *lex* et sic obex poneretur ad salutis consecutionem.

« Ita gratia sanctificans, supposita elevatione ad ordinem supernaturalem, necessaria est *necessitate medii*... E contrario auditio Missæ die dominica est *necessaria necessitate* dumtaxat *præcepti,* quatenus Missam voluntarie negligens legem transgreditur et sic per peccatum obstaculum ponit ad salutem consequendam » (3).

Caput I

DE NECESSITATE GRATIÆ AD VERUM COGNOSCENDUM.

Prænotandum. *Verum* est objectum judicii veri, judicium porro verum est illud quod est conforme rei, seu illud quo affirmatur esse id quod est vel negatur esse id quod non est. *Veritas,* formaliter sumpta, est ipsa conformitas judicii cum re. Sed vocabulum

---

(1) Ab hac morali impotentia, et ab illa physica impotentia, quæ est facultati *intrinseca* eique *per se* competit, recte distinguitur aliqua physica impossibilitas quæ est *ab extrinseco* et *per accidens ;* quia non ex natura facultatis et necessario, sed contingenter ex defectu extrinsecæ conditionis pendet. V. gr. cum intellectus noster talis sit ut ab una cognitione ad aliam procedat et ita successive notitias sibi comparet rerum, exigitur ab eo spatium quoddam temporis ut plures scientias addiscat ; unde si tempus exiguum ei suppetit, vel quia reapse tempus vitæ est breve, vel quia etsi in vita longa, nonnisi modico tempore intellectus in cognoscendis rebus se exercet, fieri nequit ut ipse scientias plures acquirat : sed hæc impossibilitas non est mera *difficultas* (oriens ex modo agendi communi hominum) sed vera impossibilitas physica orta ex defectu conditionis physice necessariæ. Ita Palmieri. *De Gratia actuali,* Thes XIX, p. 90.

(2) Cf. Illmus et Revmus Waffelaert, *Annotationes de virtutibus theologicis,* n. 158.

(3) *Collat. Brug.,* t. IV, p. 389 s.

veritas sæpe accipitur materialiter seu objective pro objecto judicii veri vel pro propositione vera (1).

ARTICULUS Ius. De necessitate gratiæ ad cognoscendas veritates ordinis *naturalis*.

33. Gratia non est physice necessaria ad cognoscendas veritates naturales

PROPOSITIO PRIMA. *Homo, etiam in statu præsenti naturæ lapsæ, physice capax est, ex solis naturæ viribus, cognoscendi veritates quaslibet sibi naturales, distributive acceptas, et quaslibet partiales earum collectiones; speciatim vero illas quæ pertinent ad fundamentum moralitatis.*

Probatio 1æ Patris. a) In philosophia, ex ipsa consideratione de natura intellectus, deducitur illum esse essentialiter ordinatum ad cognoscendum omne quod quomodocumque participat rationem entis, sed omnem cognitionem naturalem esse acquirendam ex sensibus: quælibet igitur veritas, quæ ex sensibilibus, ope abstractionis, percipi potest, est homini naturaliter cognoscibilis et ad illam cognoscendam est physice capax. Ad rem S. Thomas: « Unaquæque forma indita rebus creatis a Deo habet efficaciam respectu alicujus actus determinati, in quem potest secundum suam proprietatem, ultra autem non potest nisi per aliquam formam superadditam. Sic igitur intellectus humanus habet aliquam formam, scilicet ipsum lumen intelligibile, quod est de se sufficiens ad quædam intelligibilia cognoscenda, ad ea scilicet in quorum notitiam per sensibilia possumus devenire » (2).

b) Nec dici potest hanc conclusionem infirmari ex theologia, nempe ex doctrina de peccato originali : nam admittendum est quod vi solius peccati originalis et effectuum qui immediate ex illo sequuntur, cæteris omnibus paribus, humana natura non facta

---

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. XI, p. 344 ss. ; t. XIII, p. 658 ss. — *Kant* (1724-1804) intendendo *crisim* instituere *rationis puræ* ad hoc devenit ut illi capacitatem negaret cognoscendi res immateriales, prouti in se sunt, imo omne quod est supra mera phænomena ejusque leges. Inde rationem veritatis in hoc constituit quod esset mera *rectitudo* judicii *ad leges* secundum quas agere debet ; in qua definitione continetur *subjectivismus*. Cf. SCHWALM, *Revue Thomiste*, 1897, t. V, p. 84 ; SENTROUL, *L'objet de la metaphysique selon Kant et selon Aristote*, p. 72 ; *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 117 s. Eamdem, quoad substantiam, notionem veritatis amplexi sunt *Modernistæ*, hoc tamen præsertim propugnando quod illa rectitudo *subjectiva* cognitionis non a sola ratione dependet sed etiam a voluntate aliisque facultatibus, nempe uti aiunt, *a vita tota*, et quod proinde veritas est mutabilis. Cf. SCHWALM, l. c. ; *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 280, 285. Errorem hunc circa veritatis notionem proscripsit Pius X damnando propositionem 58am in decreto « Lamentabili » : « Veritas non est immutabilis plus quam ipse homo, quippe quæ cum ipso, in ipso et per ipsum evolvitur ». Cf. *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 114. Jam patet quod a ratione veritatis dependet ratio muneris seu influxus gratiæ ad verum cognoscendum.

(2) 1-2, q. 109, a, 1. Cf. DE JAEGHER, o. c., n. 412 ss., 434 ss. ; PALMIERE. *De Gratia*, thes. XIX. CASINIUS, *o. c.*, p. 184, rite admimadvertit creaturas posse plus vel minus perfici intrinsece intra ambitum naturæ. Cf. ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, *o. c.*, in *Collat. Brug.*, t. II, p. 116 ss.

est intrinsece debilior quam fuisset eadem humana natura in omni possibili statu naturæ puræ (1).

34. illas etiam quæ sunt fundamentum ordinis moralis.

Probatio 2æ Partis. Veritates quæ pertinent ad fundamentum moralitatis, sunt nominatim Dei existentia, item existentia legis naturalis vere obligatoriæ ejusdemque sanctionis, ejusdem legis præcepta, animæ immortalitas. Ad illa cognoscenda hominem esse physice capacem constat ex *theodicea naturali* et ex *philosophia morali.*

De Dei existentia doctrina S. Scripturæ, concilii Vaticani.

Sed præterea ex *ipsa S. Scriptura* edocemur hominem posse naturali rationis lumine cognoscere ex creaturis ipsum Deum (2). Et hoc definivit *concilium Vaticanum*: « Eadem sancta mater Ecclesia tenet et docet Deum rerum omnium principium et finem, naturali humanæ rationis lumine e rebus creatis certo cognosci posse : *invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur* ». (3) « Si quis dixerit Deum unum et verum creatorem et Dominum nostrum, per ea quæ facta sunt, naturali rationis lummine certo cognosci non posse : anathema sit » (4). Hoc assertum magis determinatum fuit a Pio X in formula jurisjurandi contra Modernismum, in qua formula profitemur: « Deum, rerum omnium principium et finem naturali rationis lumine per ea quæ facta sunt, hoc est per *visibilia* creationis opera, tamquam causam per effectus, certo cognosci, adeoque demonstrari etiam posse » (5).

35. Oppositæ doctrinae condemnatio : Bautain.

Ante concilium Vaticanum Lud. Bautain (1796-1867), anno 1840, a S. Sede obligatus est ad subscribendam, inter alias, hanc propositionem: « Quamvis debilis et obscura reddita sit ratio per peccatum originale remansit tamen in ea sat claritatis et virtutis, ut ducat nos cum certitudine ad (cognoscendam) existentiam Dei, ad revelationem factam Judæis per Moyen et Christianis per adorabilem nostrum Hominem-Deum » (6),

Bonetty.

Tandem Augusto Bonetty (1789-1879), anno 1855, subscribendum fuit thesibus a S. C. Indicis propositis, inter quas: « Ratiocinatio Dei existentiam, animæ spiritualitatem, hominis libertatem cum certitudine probare potest. Fides posterior est revelatione, proindeque ad probandam Dei existentiam contra atheum, ad probandam animæ rationalis spiritualitatem ac libertatem contra naturalismi ac fatalismi sectatorem allegari convenienter nequit » (7).

36. Impotentia moralis ad

PROPOSITIO SECUNDA. *In præsenti generis humani conditione, longe maxima pars hominum nequit, propter multas varias-*

---

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. X, p. 464. *Essentialis* aptitudo intellectus humani ad cognoscendum verum remansit integra post peccatum originale : cf. quae scripsimus in tractatu *de Deo uno et trino*, n. 900.

(2) *Sap. 13.* 1-9 ; Rom. *1*, 18 ss. Cf. CORLUY, *Spicilegium dogmatico-biblicum*, Gandavi, 1884, t. I, p. 75 ss. ; BILLOT, *De Deo uno et trino*, Thes. I ; VAN NOORT, *De Deo uno et trino*, Amstelodami, 1907, p. 5.

(3) Sess. III, cap. 2. *Enchir.*, n. 1785.

(4) *Enchir.*, 1806.

(5) *Enchir.*, n. 2145 ; *Collat Brug.*, t. XV, p. 564.

(6) *Enchir.*, n. 1627.

(7) *Enchir.*, n. 1650.

congruam religionis naturalis cognitionem.

que difficultates, solis rationis humanæ viribus, pertingere ad congruam religionis naturalis cognitionem, ideoque divina revelatio est de facto moraliter necessaria.

Praenotandum. « Nomine *cognitionis congruæ* intelligimus eam, quæ sufficit ut homo de Deo ejusque cultu satis recte sentiat, ac totam suam vitam secundum regulas naturalis honestatis instituere valeat. Ad hunc autem finem, non sufficit a) cognitio unius aut alterius veritatis religiosæ, v. g. existentiæ Dei ; sed requiritur cognitio *sat ampla* et evoluta veritatum theoreticarum et practicarum, v. g. cognitio unius veri Dei, conditoris ac provisoris omnium, modi illum colendi, immortalitatis animæ, principiorum primariorum et secundariorum legis naturalis, cum eorum applicatione ad casus in proprio cujusque statu obvios. Cœteroquin ambitum cognitionis congruæ in individuo determinare, æque impossibile est ac definire quot cibis et qualibus cibis homo indigeat ad sane vivendum. Neque sufficit b) cognitio dubia seu conjecturalis, aut fœdis erroribus permixta ; sed requiritur cognitio *certa* et a magnis saltem erroribus libera. Denique non sufficit c) cognitio religionis post multos tandem annos, aut fere sub finem vitæ acquisita, sed requiritur cognitio *matura,* ex qua tota vita componi possit » (1).

Probatio 1æ Partis. a) De facto gentes paganas congrua religionis cognitione caruisse constat ex hoc quod certo scimus de earum persuasionibus et modo agendi ; b) præterea apparet quænam sint difficultates quibus impediuntur homines ad consequendam illam cognitionem : sunt nempe complexionis indispositio, necessitas rei familiaris, pigritia ; deinde longum exercitium intellectus requisitum ad studium simul ac animæ fluctuatio et turbatio præsertim tempore juventutis, propter diversos passionum motus ; tandem propter debilitatem intellectus in judicando et permixtionem phantasmatum multi in dubitatione remanerent, præcipue quum videant a diversis qui sapientes dicuntur, diversa doceri (2).

37.
Inde necessitas moralis revelationis.

Probatio 2æ Partis. Ex ipso statu, in quo genus humanum versatur nunc, deduximus moralem impotentiam hominum moraliter omnium ad acquirendam congruam cognitionem de religione etiam mere naturali ; sed huic morali impotentiæ auxilia mere naturalia per se satis fuissent. Sed de facto Deus dedit *revelationem,* quæ est auxilium *supernaturale* (3) : nulli enim creaturæ debitum est ut

(1) VAN NOORT. *De vera religione,* n. 23.

(2) Cf. S. THOMAS, *Summa contra Gentiles,* L. 1, c. 4 ; *Sum. Theol.,* I, q. 1, a. 1 ; JUNGMANN, *De vera religione,* n. 97 ; VAN NOORT, *o. c.,* n. 25 s ; MUNCUNILL, *De vera religione,* Barcinone 1909, n. 116 ss.

(3) Cf. Illmus ac Revmus Waffelaert, *o. c.,* in *Collat. Brug.,* t. II, p. 299-307 ; MERCIER, O. P., *Les actes surnaturels,* in *Revue Thomiste,* t. XV., p. 50.

ab ipso Deo, propriam manifestante cognitionem, edoceatur, quum omnis creaturæ, intellectu præditæ, cognitio naturalis sit per species intelligibiles acquisitas vel inditas et intellectui creato proportionatas. Ideo *in præsenti generis humani statu,* revelatio, licet sit supernaturalis, est tamen de facto necessaria moraliter : quia ipsa est auxilium illud quod concessit Deus ut omnes homines possint ad congruam cognitionem religionis pervenire. Hoc docuit concilium Vaticanum : « Huic divinæ revelationi tribuendam est ut ea quæ in rebus divinis humanæ rationi *per se impervia non sunt,* in præsenti quoque generis humani conditione ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci possint » (1). — Igitur *secunda pars propositionis* est tenenda *fide ecclesiastica ;* dicitur *fide ecclesiastica :* quia non est veritas, ut videtur, ab ipso Deo revelata, sed veritas ab Ecclesia infallibiliter definita propter connexionem cum veritatibus a Deo revelatis (2).

quod definitur in concilio Vaticano.

Adnotatio.

Ex dictis patet revelationem nequaquam esse *physice* necessariam ad cognitionem veritatum naturalium, sed tantum *moraliter;* imo non absolute esse moraliter necessariam, sed tantum *hypothetice,* i. e. supposito quod Deus nolit alio auxilio inferioris ordinis subvenire impedimentis quibus, ut in pluribus, ratio naturalis tenetur ne sufficientem et expolitam notionem acquirat eorum omnium ad quae inquisitio ejus per se pertingere potest.

Valde conveniens fuit ut morali hominum impotentiæ, de qua loquimur, Deus per revelationem præberet remedium: « Ut quia per divinam revelationem debebat homo instrui de his quæ humanæ mentis captum omnino superant... per eamdem quoque revelationem simul et semel haberet, quo ratio in sua propria sphæra juvaretur, atque hoc modo semper magis magisque perspicuum fieret nonnisi unam esse nunc viam, nonnisi unum nunc mediorum ordinem, extra quem non solum non pervenitur ad supernaturalem vitæ æternæ beatitudinem, sed ne ipsum quidem simplex naturæ bonum obtinetur et salvatur » (3).

38. Ne confundatur moralis necessitas revelationis cum psychologica indigentia ;

Nota. 1. Ne igitur habeatur *moralis* necessitas revelationis acsi *psychologica* indigentia animæ esset, et caveamus a sententiis quibus asseritur ab humana anima *postulari* vel *exigi* revelationem. Etenim si humana anima, prouti in se est, consideratur, invenitur physice seu psychologice capax acquirendæ congruæ cognitionis de religione naturali (4).

---

(1) *Enchir.,* n. 1785. Quomodo ex eventibus comprobetur hæc veritas doctissime exposuit CARD. MERCIER *: Les conclusions doctrinales du Congrès de Malines,* Bruxelles, 1910, p. 11.

(2) De duplici objecto infallibilis magisterii Ecclesiæ cf. *Collat. Brug.,* t. VI, p. 582 s., t. XIII, p. 159 ss., t. XIV, p. 411, 418.

(3) Card. BILLOT, *De Gratia,* p. 61 s.

(4) Cf. *Collat. Brug.,* t. XIX, p. 170 ss., VAN DER MEERSCH, *De Deo uno et trino,* n. 900.

Moralis vero necessitas revelationis non demonstratur nisi consideratis a) *ex una parte*, morali impotentia hominum ad prædictam acquirendam cognitionem, *et* b) *ex altera parte, facto* revelationis.

Inde Pius X methodum reprobavit quæ demonstrare conatur *exigentiam* ad ordinem supernaturalem inesse humanæ naturæ : « Hic autem queri vehementer Nos iterum oportet non desiderari a catholicis hominibus, qui, quamvis *immanentiæ* doctrinam ut doctrinam rejiciunt, ea tamen pro apologesi utuntur, idque adeo incauti faciunt, ut in natura humana non capacitatem solum et convenientiam videantur admittere ad ordinem supernaturalem, quod quidem apologetæ catholici opportunis adhibitis temperationibus demonstrarunt semper, sed germanam verique nominis exigentiam » (1).

nec exposita doctrina cum Traditionalismo ;

2. Nec dicas doctrinam propositam de morali necessitate revelationis reduci ad *Traditionalismum* « Nam sive mitiorem, sive rigidiorem traditionalismi formam consideres, aperta videbis discrimina in doctrina catholica, cujus est semper recta incedere inter extremos errores oppositos. Equidem mitiores traditonalistæ moralem tantum impotentiam rationis videbantur asserere, sed illam extendebant ad omnia et singula individua, ad omnes et singulas veritates, usque ad primam basim totius ordinis moralis, quæ est existentia Dei. Quod quam diversum sit ab eo quod adstruimus nemo est qui non videat. Sed et longe longeque magis distamus a rigidioribus, qui cum physicam etiam ponerent rationis impotentiam, nihil relinquebant unde perfici posset qualiscumque de fidei fundamentis demonstratio sive ante sive post acceptum revelationis adjutorium, in cæcum et irrationabilem per omnia fideismum necessario impingentes » (2).

nec revelatio externa cum actu fidei interno.

3. Revelatio, active sumpta (3), est gratia *externa* (4) ; huic correspondet in homine fides, seu assensus intellectus ad veritatem revelatam, propter auctoritatem Dei revelantis. Hic porro assensus, ut sit *sicut oportet*, debet esse supernaturalis ; supernaturalis autem redditur gratia *interna* intellectui, uti postea dicemus.

Veram proinde revelationis notionem destruunt Modernistæ quatenus nomine revelationis nihil aliud significare intendunt quam conscientiam hominis de suis cum Deo relationibus. « Pour les modernistes la révélation... n'est point la manifestation divine d'une vérité : c'est une émotion, une poussée du sentiment religieux qui, à certains moments, affleure, pour ainsi dire, des profondeurs de la subconscience et où le croyant reconnaît une touche divine. Cette émotion provoque, par une réaction spontanée, une représentation imaginative ou intellectuelle qui à son tour la soutient et la nourrit » (5). Pius X damnavit hanc propositionem 20, decreto « Lamentabili » : « Revelatio nihil aliud esse potuit quam acquisita ab homine suæ ad Deum relationis conscientia » (6).

---

(1) Encyclica « Pascendi » in *Collat. Brug.*, t. XII, p. 668 s. Cf. Collat Brug., t. XVI, p. 680, t. XIX, p. 170, 236, 381.

(2) BILLOT, *De Gratia*, p. 61.

(3) V. suprà, n. 29.

(4) V. suprà. n. 9.

(5) LEBRETON, *L'encyclique et la théologie moderniste*, Paris, 1908, p. 29 Cf. *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 206, 208, 212.

(6) *Enchir.*, n. 2020.

ARTICULUS IIus. **De necessitate gratiæ ad cognoscendas veritates ordinis** *supernaturalis.*

39. Physice necessaria revelatio ad cognoscendas veritates supernaturales.

PROPOSITIO. *Ad cognitionem veritatum ordinis supernaturalis requiritur omnino ipsa divina revelatio ; ad assensum vero eidem revelationi proportionatum, interior quoque gratiæ illustratio, physica necessitate requiritur* (1).

Probatio 1æ Partis. *Supernaturalis* dicitur ordinis hæc veritas quæ per se creato intellectui est impervia, quæ nempe a creato intellectu, naturaliter agendo, non potest detegi, Atqui evidens est talem veritatem non posse aliter cognosci quam per manifestationem ab ipso Deo factam : quæ est revelatio.

40. Interna gratia est physice necessaria ad assensum proportionatum divinae Revelationi.

Probatio 2æ Partis. Revelatio est aliquid creaturæ simpliciter indebitum, est nempe propriæ Dei cognitionis manifestatio, ab ipso Deo immediate alicui creaturæ facta ; est proinde quædam communicatio Dei *prouti est in semetipso*. Intellectus creatus, licet de se non sit ordinatus ad cognoscendum per tale medium cognitionis, est tamen physice omnino capax talis cognitionis, nempe est physice capax *credendi* propter auctoritatem Dei revelantis. Non ideo internam gratiam requiri dicimus, quia absque illa incapax foret intellectus ad credendum. « Si de *substantia* cognitionis sermo sit, dicendum quod nulla esse potest *physica* gratiæ necessitas, neque ad intelligendum sensum ejus quod in revelatione proponitur, neque ad assentiendum veritati in ea propositæ » (2).

Sed alia est ratio. Etenim in præsenti Providentiæ ordine homo est a Deo destinatus ad finem prorsus supernaturalem, nempe ad intuitivam Dei visionem. Ad hunc porro finem adipiscendum homo tendere et positive disponi debet per fidem, nempe per intellectus adhæsionem ad veritates a Deo revelatas et nominatim ad illas a Deo revelatas veritates, quæ, creato intellectui imperviæ, de ipsa Dei natura prouti in se est et de ejus operibus supernaturalibus nos edocent. Ut igitur intellectivus *assensus* sit proportionatus a) *revelationi,* quatenus hæc est *medium* salutis supernaturalis, et b) ipsi *fini* supernaturali consequendo, requiritur ut ille assensus sit *supernaturalis,* consequenter ut intrinsece elevetur per interiorem gratiam. — Hoc clarius innotescet quando loquemur de necessitate gratiæ ad omnem actum salutarem. Jam notemus, quod postea demonstrabimus, a Deo revelatum esse et, ut tale, ab Ecclesia definitum quod fides *salutaris,* seu credere *sicut oportet,* non potest fieri absque interna gratia.

41. Ulterior explicatio de doctrina concilii Vaticani de necessitate Revelationis.

Nota. In Congregationibus antecedentibus Sessionem III concilii Vaticani, quæ locum habuit die 24 Aprilis, 1870, non paucæ disputationes

(1) Cf. Card. BILLOT, *De Gratia,* p. 57.
(2) Card. BILLOT, *o. c.,* p. 62.

actæ sunt *de necessitate Revelationis divinæ*, occasione doctrinæ a nonnullis catholicis tunc jam a pluribus annis propugnatæ sub nomine *Traditionalismus* (1).

Jamvero *tria* clare definivit concilium : 1) « Deum, rerum omnium principium et finem, naturali humanæ rationis lumine, e rebus creatis, certo cognosci posse ». Hac definitione damnatur directe illa Traditionalismi forma crudior qua asserebatur ideam Dei non posse haberi ab homine nisi ipsi ea communicetur per revelationem et proinde hominem debere in se suscipere ideam Dei et existentiæ Ipsius fide divina, et non esse certitudinem de existentia Dei, nisi primum habeatur illa *fide divina* (2). Directe etiam damnatur opinio quæ invaluit inde a sic dictis encyclopædistis Galliæ et inde ab initio philosophiæ criticæ in Germania : opinio scilicet existentiam Dei omnino certo non posse probari certis argumentis, et argumenta illa, quæ tanto in honore omni tempore habita sunt, non esse talia quæ rem evincere possint (3). Patres vero concilii Vaticani noluerunt directe damnare mitiorem Traditionalismi formam quæ asserit hominem non posse certo cognoscere Deum nisi per institutionem magisterii socialis, et consequenter, sufficere quod homo fide *humana* ideam Dei in se suscipiat et dein efformet argumenta ex ratione pro existentia Dei (4).

2) Concilium distinguendo *naturalem* cognoscendi Deum viam (quæ est *per naturale humanæ rationis lumen, e rebus creatis*) ab alia via, quæ est *supernaturalis* (quæ consistit in hoc quod Deus seipsum ac æternæ voluntatis suæ decreta humano generi revelavit), statuit hanc divinam revelationem esse, in præsenti generis humani conditione, *moraliter necessariam*, nempe necessariam ut homines, communiter sumpti, possint, firma certitudine et nullo admixto errore, cognoscere ea, quæ humanæ rationi per se impervia non sunt, et quæ spectant Deum ac religionem (5).

Notemus bene *hanc* necessitatem non esse absolutam ; nec oriri *per se* ex ipsa natura humana, sed *per accidens*, nempe propter difficultates quibus nunc, de facto, aggravantur homines ; revelationem esse *supernaturalem*, proinde simpliciter indebitam, etiam admissa impotentia morali qua labo-

(1) Cf. GRANDERATH-KIRCH, *Geschichte des Vatikanischen Konzils*, t. II, p. 424 ss.
(2) Cf. *Collect. Lac.*, t. VII, col. 129 ss., 150.
(3) Perniciosissimam opinionem, quod existentia Dei nequit certo demonstrari ex argumentis solo naturalis rationis lumine notis, etiam improbavit Leo XIII quando de Kantismo vel Neo-kantismo ingravescente in Gallia dicebat : « Nous réprouvons de nouveau ces doctrines qui n'ont de la vraie philosophie que le nom, et qui, ébranlant la base même du savoir humain, conduisent logiquement au scepticisme universel et à l'irréligion. Ce nous est une profonde douleur d'apprendre que, depuis quelques années, les catholiques ont cru pouvoir se mettre à la remorque d'une philosophie qui, sous le spécieux prétexte d'affranchir la raison humaine de toute idée préconçue et de toute illusion, lui dénie le droit de rien affirmer au delà de ses propres opérations, sacrifiant ainsi à un subjectivisme radical toutes les certitudes que la métaphysique traditionnelle, consacrée par l'autorité des plus vigoureux esprits, donnait comme nécessaires et inébranlables fondements à la démonstration de l'existence de Dieu, de la spiritualité et de l'immortalité de l'âme, et de la réalité objective du monde extérieur. Il est profondément regrettable que ce scepticisme doctrinal, d'importation étrangère et d'origine protestante, ait pu être accueilli avec tant de faveur dans un pays justement célèbre par son amour pour la clarté des idées et pour celle du langage ». *Lettre aux archevêques, évêques et au clergé de France*, 8 Sept. 1899. Cf. *Collat. Brug.*, t. IV, p. 564.
Etiam Pius X, in Encyclica « Pascendi » ex supra relata doctrina concilii Vaticani damnavit errorem Modernistarum adhærentium *agnosticismo*. Cf. *Collat. Brug.*, t. XII, p. 600 ; t. XIII, p. 196 s.
(4) Cf. *Collect. Lac.*, l. c.
(5) Cf. *Enchir.*, n. 1785-1786.

rant nunc homines ad sibi acquirendam solo rationis lumine congruam cognitionem de religione (1).

3) Concilium affirmat revelationem esse *necessariam absolute*, eo quod « Deus ex infinita sua bonitate ordinavit hominem ad finem supernaturalem, ad participanda scilicet bona divina quæ humanæ mentis intelligentiam omnino superant » (2).

Caput II

DE NECESSITATE GRATIÆ AD ACTUS MORALITER BONOS.

42. Quid actus moraliter boni,

Praenotandum. Nomine *actus moraliter boni* intelligimus hîc omnem actum *viæ, liberum* libertate *electionis, conformem regulæ* agendi in ordine ad *ultimum* finem. Dicitur : actus *viæ* h. e. peractus in hac vita : de his actibus solis hîc est sermo ; *liber* et *electivus :* non enim agitur de omni actu voluntatis (3), sed de illo actu quo homo *eligit,* h. e. unum recipit alio recusato (4), de illo proinde actu qui homini vere est imputabilis quia est ejusdem præ electione dominus ; *conformis regulæ agendi in ordine ad ultimum finem :* per hoc enim simpliciter bene aut male agit homo per quod tendit ad *ultimum* finem vel ab hoc se avertit : conformitas actus ad regulam agendi ad ultimum finem adipiscendum est *moralis honestas* (5).

salutares,

Sed, uti jam scimus, in præsenti Providentiæ ordine, hominis ultimus finis, subjective spectatus, nempe ipsa adeptio seu possessio Summi Boni est *supernaturalis*, consistit scilicet in intuitiva Dei visione : actus quibus homo positive tendit ad hunc finem dicuntur actus *salutares.* Sed ignorare potest homo prædictum finem, vel ab ipso positive averti, et nihilominus naturaliter cognoscere ponendos actus moraliter honestos, conformes legi naturali

mere honesti.

---

(1) Cf. *Collect. Lac.*, t. VII, col. 1345.

(2) *Enchir.*, n. 1786.

(3) « Liberum (libertate electiva) præsupponit voluntarium eique superaddit aliquid, activam nempe voluntatis indifferentiam in agendo, qua indifferentia si voluntas careat relate ad actum determinatum hic actus quidem erit voluntarius, id est procedens vitaliter ab appetitu rationali, sed non erit liber, (libertate electiva) verum necessarius. Hinc omne liberum est volontarium sed non omne voluntarium est liberum (sensu explicato)... ». *Collat. Brug.*, t. VII, p. 83 s.

(4) Cf. S. Thomas, 1, q. 83, a. 3. Notemus etiam hoc S. Thomæ assertum : electio est idem quod voluntas *ut ratio* » *Sum. Theol.*, III, q. 18, a. 4. Duplex distinguitur voluntatis actus : unus est voluntas *ut natura,* alter voluntas ut *ratio :* de hac distinctione, cf. S. Thomas, in 2, d. XXXIX, q. II, a. 2 ; in III, d. XVII, q. 1, a. 1, sol. 3 ad 5 ; in IV. d. L. q. II. a. 1, sol 1 ; *Sum. Theol.*, I, q. 83, a. 4 ad 1 et 2 ; III, q. 18, a. 3, obj. 1 ; — S. Bonaventura, in II, d. XXIV, p. 1, a. 2, q. 3 (t. II, p. 566), d. XXXIX, a. 2 q. 1 (t. c., p. 869). ibid. dub. 2 (t. c., p. 916) ; in IV, d. XLIX p I, a. I. q. 2 (t. IV, p. 1003) ; — Capreolus, in III, d. XVI, a. 1 (t. V, p. 243 ss.). — *Collat. Brug.*, t. V. p. 408, 588, t. XV, p. 40. Nomine liberi actus non unice designatur actus *electionis :* cf. Illmus ac Revmus Waffelaert, *Meditationes theologicæ*, in *Collat. Brug.*, t. V. p. 551 ss. ; 585 ss. ; etiam t. XII, p. 512 s.

(5) Cf. Van der Meersch, *De Deo uno et trino*, n. 497.

vel etiam legi positivæ. Inde duplex circa gratiæ necessitatem quæstio exsurgit : prima relate ad actus *salutares ;* secunda relate ad actus *mere moraliter honestos.*

Articulus Ius. **De necessitate gratiæ ad actus** *salutares.*

43. Ad omnes actus salutares necessariam esse gratiam demonstratur : I) ex S. Scriptura : a) verbis Christi,

PROPOSITIO PRIMA. *In homine ad omnes actus salutares necessaria est gratia, h. e. aliquod donum internum ac supernaturale.*

Demonstratio.

A. ex S. SCRIPTURA.

1. Ex verbis Christi :

« Ego sum vitis vera et Pater meus agricola est. Omnem palmitem in se non ferentem fructum tollet eum : et omnem qui fert fructum purgabit eum ut fructum plus afferat... Sicut palmes non potest ferre fructum a semeptiso, nisi manserit in vite, sic et vos, nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites : qui manet in me et ego in eo, hic fert fructum multum : quia sine me nihil potestis facere » (1).

1° Christus hîc loquitur ut homo, ut Redemptor : nam specialem cum fidelibus relationem manifestat, quæ ipsi propria est (et non convenit Patri) et qua ejusdem naturæ cum hominibus se exhibet (sicut vitis est cum palmitibus) (2).

Ut textum bene intelligamus, perpendamus quædam summa capita doctrinæ Christi:

a) Christus missus est a Patre ut prædicaret *regnum Dei* et ut ejusdem regni participes redderet homines (3).

b) Illud regnum Dei exigit in membris ejus moralem perfectionem seu justitiam (4).

c) Illa moralis perfectio non obtinetur nisi fide et ab hac dependet. *Jo.* VI, 44, 65-66 ; estque vita quædam, *Matth.* V. VIII (5) quam ipse Christus hominibus attulit, *Jo.* X, 10.

d) Illa vita incipit immateriali seu spirituali quadam nativitate, *Jo.*, III, 3-5 ; et conservanda est cœlesti cibo, *Jo.* VI, 48-57 ; et est effectus cujusdam interni influxus Christi, *Jo.* XV, 1-6 ; hujus vitæ operatio præcipua et maxime propria est amor perfectus erga Deum

---

(1) Jo. XV, 1-5.

(2) « Iste locus evangelicus, fratres, ubi se dicit Dominus vitem, et discipulos suos palmites, secundum hoc dicit, quod est caput Ecclesiæ, nosque membra ejus, mediator Dei et hominum homo Christus-Jesus. Unius quippe naturæ sunt vitis et palmites. Propter quod quum esset Deus, cujus naturæ non sumus, factus est homo, ut in illo esset vitis humana natura, cujus et nos homines palmites esse possemus ». S. AUGUSTINUS, *In Evangelium Joannis,* tractatu 80.

(3) *Marc,* I, 14 ; *Jo.,* V. 37, VII, 16, VIII, 16-18. Cf. *Collat. Brug.,* t. VII, p. 578.

(4) Matth. VII, 21, VI, 33. ; cf. BATIFFOL, *L'enseignement de Jésus,* p. 159 ss.

(5) Cf. BATIFFOL, *o. c.,* p. 162.

et erga proximum, *Matth.* XXII, 37-39 ; cum illo amore connectitur specialis præsentia Dei in homine ; præsentia scilicet Dei prout est in semetipso, prout est Pater et Filius, *Jo.*, XIV, 23 ; et cum illa præsentia viget amicitia inter Deum et hominem, ibid.

Ex his sequitur *vitam*, de qua loquitur Christus, *Jo.* XV, 1-5, non esse naturalem quemdam effectum facultatum et operationum hominis sed esse extra sphæram naturalis activitatis: illa nempe vita est donum a Christo procedens, dependenter a conditionibus quas Christus determinavit; deinde illa vita est simpliciter *supernaturalis* quum importet unionem omnino indebitam Dei cum homine.

Hisce positis, Christus in illa pericopa : « Ego sum vitis vera... » docet quod vitæ illius, de qua sermo est et quæ est æterna (1), *nullum opus fieri ab homine potest* nisi per influxum a Christo et ex ipso procedentem, ita ut ex illo influxu habeat opus ut sit fructuosum, h. e. salutare, pertinens nempe ad supernaturalem vitam de qua loquitur Christus. Ex his verbis Christi nondum possumus definire genus illius influxus, sed est certe *supernaturalis* quidam influxus et *internus*, efficiens ut opera humana ab illo procedentia sint salutaria : ergo est *gratia* (2).

44. b) doctrina S. Pauli ;

2. Ex doctrina S. Pauli.

a) « Cum enim quis dicat : ego quidem sum Pauli. Alius autem : ego Apollo : nonne homines estis ? Quid igitur est Apollo ? Quid vero Paulus ? Ministri ejus cui credidistis, et unicuique sicut Dominus dedit. Ego plantavi, Apollo rigavit ; sed Deus incrementum dedit » (3).

Apostolus hîc loquitur directe de illis qui sunt *ministri* Dei in docendo : ipsi non proprie causant fidem et salutares effectus in his qui credunt ; sed conatus illorum in opere salutis proximi procurandæ efficacitatem habent ab influxu Dei interno in animabus, sicut ab interna plantæ virtute provenit ut crescat, non a plantante vel irrigante. Quod Apostolus hîc docet de effectibus salutaribus quos describit, debet, propter paritatem rationis, dici de quolibet salutari opere (4).

b) « Fiduciam autem talem habemus per Christum ad Deum :

---

(1) *Jo.* x, 28.

(2) Ad rem S. Augustinus : Magna gratiae commendatio fratres mei : corda instruit humilium, ora obstruit superborum. Ecce cui, si audeant, respondeant, qui ignorantes Dei justitiam et suam volentes constituere, justitiae Dei non sunt subjecti. — Vox vestra (superborum) est quod homo a semetipso facit justitiam. Hoc est altum elationis vestrae. Sed veritas contradicit : Palmes non potest ferre fructum a semetipso nisi manserit in vite. — Ne quisquam putaret saltem parvum aliquem fructum posse a semetipso palmitem ferre, cum dixisset : « hic fert fructum multum », non ait : quia sine me parum potestis facere ; sed : « nihil potestis facere ». Sive ergo parum sive multum sine illo fieri non potest, sine quo nihil fieri potest » *In evangelium Joannis*, tract. 82. Cf. *Enchir.*, n. 197.

(3) 1 *Cor.*, III, 4-6.

(4) Cf. CORLUY, *o. c.*, t. II, p. 285 ; VAN STEENKISTE, *Commentarius in S. Pauli epistolas*. Brugis, 1889, t. II, p. 247.

non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis : sed sufficientia nostra ex Deo est : qui et idoneos nos fecit ministros novi testamenti : littera enim occidit, Spiritus autem vivificat » (1).

Vim argumenti sic exponit Corluy (2) : « Negat itaque apostolus se esse a semetipso idoneum ad quidlibet cogitando assequendum quasi a seipso, id est ex proprio facultatum suarum fonte ; sed, ait, sufficientia nostra ad idipsum præstandum a Deo est mentem illuminante et voluntatem movente. Jam satis clare indicat contextus S. Paulum non loqui de cogitatione qualibet, sed de cogitatione qua vellet quis genuinam evangelii doctrinam assequi et eam hominibus persuadere, adeoque de cogitatione in ordine supernaturali. Ad hujusmodi cogitationem negat se sibi sufficere, sed non nisi ex Dei auxilio se ad eam esse idoneum declarat... Legitimo ratiocinio a paritate rationis extenditur ad omnes fideles quod apostolus dicit de se aliisque novi testamenti præconibus ; item extenditur ad omnes actus salutares id quod apostolus dicit de cogitatione efficaci ad doctrinam evangelicam cordibus hominum inserendum. Quare S. Augustinus ita solet adhibere hunc textum ac si apostolus loquens in persona omnium hominum, de quavis cogitatione salutari dixisset, et sic fere theologi post ipsum ».

c) « Gratia enim estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis : Dei enim donum est, non ex operibus, ut ne quis glorietur. Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Jesu in operibus bonis (ἐπὶ ἔργοις ἀγαθοῖς), quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus » (3).

Sicut Apostolus docuerat (2 *Cor.*, 3, 5) præcones novi testamenti non esse *ex sese,* ex naturâ sua, capaces habendæ cogitationis efficacis ad doctrinam evangelicam cordibus hominum inserendam, ita, in citato textu, docet statum salutis, pro omnibus hominibus, esse *gratuitum donum* Dei et non causari ex ipsis operibus hominum : in quo continetur *actiones hominum* non esse *de se,* ex natura sua, salutares : ideoque nequeunt gloriari homines ac si ipsorum propriis operationibus tribuenda foret salus. Sed præterea explicat Apostolus quod justificati, qua tales, sunt *opus, factura* Dei, ita ut eatenus justificentur quatenus *creentur* in Christo Jesu, et sic creati, quasi *de novo* et secundum *interiorem hominem* producti in Christo, evadant porro capaces faciendi opera bona, h. e. opera salutaria. Ergo docet apostolus quod hominum opera ex sese nihil valent ad salutem, et quod, e contrario, ex ipso influxu Christi, nempe ex gratia, evadant opera vere salutaria.

(1) 2 *Cor.*, III, 5.
(2) *O. c.*, p. 282, 284.
(3) *Ephes.*, II, 8-10.

d) « Cum metu et tremore vestram salutem operamini. Deus est enim, qui operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate » (1).

His verbis *confirmatur* influxu Dei in *interno supernaturali* (quia est ad salutem), fieri bona h. e. *salutaria* hominum opera libera.

Nota, In allatis textibus, ubi exhibetur influxus divinus, ibi semper est sermo de supernaturali Dei influxu : nam semper agitur de auxilio Dei in homine, non quatenus hic est creatura vel homo, sed quatenus ad justificationem tendit vel secundum hanc agit ; justificatio porro est omnino supernaturalis, uti jam diximus et postea, ex professo, demonstrabimus.

45.
2) ex Traditione
a) Patribus : ante hæresim Pelagianam,

B. EX TRADITIONE.

1. *Ex ss. Patrum et ecclesiasticorum scriptorum assertis.*

a) Ante exortam Pelagianorum hæresim.

S. Irenæus (130 ?-202 ?) : « Dominus pollicitus est mittere Paracletum, qui nos aptaret Deo... Et sicut arida terra, si non percipiat humorem, non fructificat, sic et nos lignum aridum exsistentes primum nunquam fructificaremus vitam sine superna voluntaria pluvia » (2). — *Tertullianus* (160 ?-240 ?) specialiter de hominis conversione et pœnitentia agens, hæc divinæ gratiæ tribuenda esse docet : « Hæc erit vis divinæ gratiæ, potentior utique natura, habens in nobis subjacentem sibi liberam arbitrii potestatem,,, quæ quum sit et ipsa naturalis atque mutabilis, quoquo vertitur, natura convertitur » (3). — *Origenes* (182-254 ?) : « Non sufficit ad perficiendam salutem sola voluntas humana, nec idoneus est mortalis cursus ad consequenda cœlestia et ad capiendam palmam supremæ vocationis Dei in Christo Jesu, nisi hæc ipsa voluntas nostra bona, promptumque propositum et quæcumque illa in nobis esse potest industria divino vel juvetur vel muniatur auxilio... ita etiam nostra perfectio non quidem nobis cessantibus et otiosis efficitur, nec tamen consummatio eius nobis, sed Deo, qui est prima et præcipua causa operis adscribetur »... « E duobus unus effici debet intellectus, id est, ut neque quæ in nostro arbitrio sunt putemus sine adjutorio Dei effici posse, neque ea quæ in manu Dei sunt putemus absque nostris actibus et studiis et proposito consummari » (4). — *S. Ambrosius* (340-397) : « Video quia ubique Domini virtus studiis cooperatur humanis, ut nemo possit ædificare sine Domino, nemo custodire sine Domino, nemo quidquam incipere sine Domino » (5). — *C. Marius Victorinus*

(1) *Philipp.*, II, 12-13.
(2) *Adversus hæreses*, L, III, 17, 2.
(3) *De Anima*, cap. 21.
(4) *De principiis*, L. III, I, 18, 22.
(5) *In Lucam*, II, 84.

(scribens circa finem sæculi IV[1]) clare exponit quomodo ad actum salutarem requiratur Dei influxus et tamen ille actus sit liber (1) : « Sic enim dixit *salutem vestram operamini.* Sed rursus ne unusquisque parum gratiam Deo referat, si ipse sibi salutem operari videatur adjectum est illud : *Deus est enim qui operatur in vobis, et voluntate et efficacia, pro bona voluntate.* Ergo salutem vestram, inquit, operamini : sed ipsa operatio tamen a Deo est. Deus enim operatur in vobis, et operatur ut velitis ita. Et velle quasi nostrum est, unde nos operamur nobis salutem. Et tamen quia ipsum velle a Deo nobis operatur, fit ut ex Deo et operationem et voluntatem habeamus. Ita utrumque mixtum est, ut et nos habeamus voluntatem et Dei sit ipsa voluntas... Operatur autem Deus in nobis et velle et agere pro bona voluntate. Ita, qui non ex Deo operatur, primo non habet velle ; deinde, etiamsi habuerit velle, efficaciam non habet, quia non habet bonam voluntatem » (2).

Etiam Patres græci prædictam gratiæ necessitatem asserunt. *S. Gregorius Nanzianzenus* (330 ?-390) : « Quoniam enim nonnulli sunt, qui ob recte facta ita animis efferuntur, ut id totum sibi ipsis adscribant, nec quicquam Creatori, et sapientiæ eorum auctori... his verbis eos docet Paulus quod ipsum etiam recte velle, divino auxilio indigeat ; imo, ut rectius loquar, voluntas quoque ipsa et electio eorum, quæ recta et cum officio conjuncta sunt, divinum quoddam beneficium est atque a Dei benignitate manans » (3). — *S. Gregorius Nyssenus* (329 ?-394) : « Idcirco cum ad malum quidem ac vitium in nobis fuit appetitus, non opus est adjutore, quippe in voluntate nostra vitiositate seipsam ultro perficiente ; quod si in melius inclinatio fiat, Deo opus est, qui studium ac desiderium ad opus perducat » (4). Etiam alio in loco (5) attribuit Spiritui Sancto inhabitanti originem bonorum operum quibus vita fit cara Deo — *S. Joannes Chrysostomus* (344-407) ait : « Neque enim possibile est bonum aliquod nos recte agere non adjutos superna gratia » (6).

46. post hæresim Pelagianam ;

b) Post exortam Pelagianorum hæresim, anno 410, catholica doctrina fuit propugnata a *S. Hieronymo* (340 ?-420) (7) sed maxime a *S. Augustino* (354-430) et deinde ab ejusdem discipulis *S. Hilario Arelatensi* († 449 ?) et præsertim *S. Prospero Aquitano* († 463 ?).

S. Augustinum in materia, de qua agitur, exponenda gaudere speciali prorsus auctoritate constat testimoniis ipsius ætate jam

(1) Cf. TIXERONT, *o. c.*, p. 281.
(2) *In epist. ad Philipp.*, II, 12 s.
(3) *Oratio XXXVII*, n. 13 ; (alibi orat. XXXII).
(4) *Orat. IV De oratione dominica* (P. G., t. 44, col. 1166).
(5) *De instituto christiano* (P. G., t. 46, col. 304).
(6) *In Genesim*, Homilia XXV, 7, (P. G., t. 53, col. 228).
(7) Nominatim in his operibus : *Commentarius in Jeremiam, Dialogus adversus Pelagianos.*

prolatis et postea etiam emissis. S. Hieronymus, v. gr. dicebat Augustinum tamquam *conditorem antiquæ rursus fidei* prædicari. Augustinus exstitit veluti anima omnium conciliorum quæ in Africa contra Pelagium habita sunt. S. Cœlestinus I, Summus Pontifex (422-432) scribebat : « Augustinum sanctæ recordationis virum pro vita sua atque meritis in nostra communione semper habuimus, nec unquam hunc sinistræ suspicionis saltem rumor adspersit : quem tantæ scientiæ olim fuisse meminimus, ut inter magistros optimos etiam ante a meis semper decessoribus haberetur » (1). S. Prosper aiebat : « Viginti et eo amplius anni sunt, quod contra inimicos gratiæ Dei, catholica acies hujus viri ductu et pugnat et vincit » (2).

Circa *gratiæ necessitatem*, S. Augustinus docet *nullum opus salutare fieri posse absque influxu Christi :* « Non quia sine me parum potestis facere, sed nihil potestis facere ; sive ergo parum, sive multum, sine illo fieri non potest, sine quo nihil fieri potest » (3). — « Peccato Adæ arbitrium liberum de hominum natura periisse non dicimus (4) : sed ad peccandum valere in hominibus subditis diabolo ; ad bene autem pieque vivendum non valere, nisi ipsa voluntas hominis Dei gratia fuerit liberata, et ad omne bonum actionis, sermonis, cogitationis, adjuta » (4). « Intelligenda est enim gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, qua sola homines liberantur a malo, et sine qua nullum prorsus sive cogitando sive volendo et amando, sive agendo faciunt bonum : non solum ut monstrante ipsa quid faciendum sit sciant, verum etiam ut præstante ipsa faciant cum dilectione quod sciunt. Hanc quippe inspirationem bonæ voluntatis atque operis poscebat Apostolus eis quibus dicebat : Oramus autem ad Deum ne quid faciatis mali... » (6).

Nota. In his et aliis textibus, quando Augustinus loquitur de

---

(1) *Enchir.*, n. 128.

(2) *Contra Collatorem*, c. 1, n. 2. Cf. JUNGMANN, *De Gratia*, n. 50 ; MAZZELLA, *De gratia*, n. 39 ss. Licet S. Augustino ipsam hæresim Pelagianorum refutanti et catholicæ fidei doctrinam statuenti consenserit tota Ecclesia, sunt tamen « præter hæc plures quæstiones incidentes valde difficiles ac profundæ, de quibus vir sapientissimus pro mira ingenii sui fœcunditate multum disputavit et scripsit. Quamvis vero etiam in his nostra quidem sententiâ Augustini expositio vix unquam sit relinquenda, attamen si quis ab eo in uno aliove puncto dissentiret, id per sè vitio verti non posset. Ad quæstiones enim illas incidentes spectant, quæ sapientissime scribit Cœlestinus P. ad episcopos Galliæ : *Profundiores vero difficilioresque partes incurrentium quæstionum, quas latius pertractarunt, qui hæreticis restiterunt sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus adstruere* ». JUNGMANN, *o. c.*, n. 50. Cf. PORTALIÉ. o. c., col. 2462-2470. Ab Alexandro VIII damnata fuit (a. 1690) hæc propositio : « Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere et docere non respiciendo ad ullam Pontificis bullam. » *Enchir.*, n. 1320.

(3) *Tractatus in Joannis Evangelium*, Tract. 21, n. 3. v. suprà, n. 43.

(4) S. Augustinus semper libertatem indifferentiæ propugnavit. Cf. PORTALIÉ, *o. c.*, col. 2387 ss.

(5) *Contra duas epistolas Pelagianorum*. L. II. c. 5, n. 9. (P. L. t. XLIV, col. 577).

(6) *De correptione et gratia*, c. II, n. 3. P. L. t. XLIV, col. 917.

opere bono, pio, semper hoc dicit de opere *salutari* :hoc enim solum est vere seu simpliciter *bonum ;* etiam, secundum S. Augustinum, non datur *vera* virtus nisi in homine *justo,* qui nempe ex fide vivit : nám « si veram justitiam non habent impii, profecto nec alias virtutes *comites* ejus et *socias* » (1). Ratio ultima hujus est quia omnes homines sub peccato nascuntur et ideo sunt sub diabolo donec renascantur in Christo (2).

Gratiæ cujus necessitatem inculcat S. Augustinus, *naturam* sic describit : « adjutorium bene agendi adjunctum naturæ atque doctrinæ per inspirationem flagrantissimæ et luminosissimæ caritatis » (3). Quibus verbis clare indicatur auxilium internum, distinctum tum a natura hominis, tum a gratia externa, nempe hîc specialiter, doctrina Christi.

2. *Ex Ecclesiae definitionibus.*

47. *b) Ecclesiae definitionibus.*

a) In concilio Carthaginensi, a. 418, approbato a S. Zosimo, Romano Pontifice (417-419), docetur gratiam Dei qua justificatur homo per Jesum Christum non ad solam remissionem peccatorum valere, quæ jam commissa sunt, sed etiam ad adjutorium ut non committantur » (4) ; deinde ulterius explicatur munus simul ac necessitas ejusdem gratiæ : « Item, quisquis dixerit, eandem gratiam Dei per Jesum Christum Dominum nostrum propter hoc tantum nos adjuvare ad non peccandum, quia per ipsam nobis revelatur et aperitur intelligentia mandatorum, ut sciamus, quid appetere, quid vitare debeamus, non autem per illam nobis præstari, ut quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus atque valeamus, A. S. » (5). Tandem docetur ita ad opera salutaria requiri gratiam ut simpliciter *possimus* illa facere : « Item placuit, ut quicumque dixerit, ideo nobis gratiam justificationis dari, ut, quod facere per liberum jubemur arbitrium, facilius possimus implere per gratiam, tamquam et si gratia non daretur, non quidem facile, sed tamen possimus etiam sine illa implere divina mandata, A. S. » (6).

b) In documento quod vocatur *Indiculus de gratia* repetuntur ea quæ ex suprà laudato concilio citavimus, et hæc ponitur conclusio : « His ergo ecclesiasticis regulis et ex divina sumptis auctoritate documentis, ita adjuvante Domino confirmati sumus, ut omnium bonorum affectuum atque operum et omnium studiorum omniumque virtutum, quibus ab initio fidei ad Deum tenditur, Deum profiteamur auctorem, et non dubitemus, ab ipsius gratia omnia

---

(1) *Contra Julianum,* L. IV, c. 3, n. 16-18. P. L. t. XLIV, col. 746.
(2) *Contra duas epistolas Pelagianorum,* L. II, c. 5, n. 9. Cf. *Contra Julianum.* l. c. *Opus imperfectum contra Julianum,* L. I, n. CV. P. L, t. XLV, col. 1119.
(3) *De gratia Christi,* n. 38. P. L. t. XLIV, col. 373. Cf. *De natura et gratia,* cap. 53. n. 62.
(4) *Enchir.,* n. 103.
(5) *Ibid.,* n. 104.
(6) *Ibid.,* n. 105.

hominis merita prævenìri, per quem fit, ut aliquid boni et velle incipiamus et facere. Quo utique auxilio et munere Dei non aufertur liberum arbitrium, sed liberatur, ut de tenebroso lucidum, de pravo rectum, de languido sanum, de imprudente sit providum. Tanta enim est erga omnes homines bonitas Dei, ut nostra velit esse merita, quæ sunt ipsius dona, et pro his, quæ largitus est, æterna præmia sit donaturus » (1).

c) In concilio Arausicano II, a. 529, thesim nostram continet præsertim can. 7 : « Si quis per naturæ vigorem bonum aliquid, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare, ut expedit, aut eligere, sive salutari, id est evangelicæ prædicationi consentire posse confirmat absque illuminatione et inspiratione Spiritus Sancti, qui dat omnibus suavitatem in consentiendo et credendo veritati, hæretico fallitur spiritu » (2).

In concilio Arausicano II, quod habitum est centesimo circiter anno postquam incœperat semipelagianismus, magis explicite describuntur actus qui possunt præcedere ipsam fidem salutarem et præsertim asseritur necessitas gratiæ ad omnem actum *salutarem,* qua talem.

d) In concilio Tridentino, a. 1545-1563, iterum fuerunt canones statuti quibus damnantur qui non admittunt absolutam necessitatem gratiæ ad omne opus salutare (3).

48. In illis conciliorum documentis, quibus gratiæ necessitas asseritur, vel explicite sermo est de salutaribus operibus, vel adjungitur gratiam requiri ut opera fiant **sicut oportet**, nempe *ad salutem :* quod specialiter innotescit in his verbis concilii Arausicani : « Ac sic secundum supra scriptas sanctarum Scripturarum sententias, vel antiquorum Patrum definitiones, hoc Deo propitiante et prædicare debemus et credere, quod per peccatum primi hominis ita inclinatum et attenuatum fuerit liberum arbitrium, ut nullus postea aut diligere Deum *sicut oportuit,* aut credere in Deum, aut operari propter Deum quod bonum est, possit, nisi eum gratia misericordiæ divinæ prævenerit » (4).

Non igitur definitur gratiam requiri ut homo possit credere, diligere, sed ut hoc possit *sicut oportet* ad salutem (5).

---

(1) *Ibid.*, n. 141. Circa illud documentum notemus : S. Coelestinus I, anno 431, scripsit ad episcopos Galliae epistolam, in qua laudibus effert doctrinam S. Augustini (v. suprà n. 46). Huic autem epistolae fuerunt annexa *capitula,* seu documentum quod vocatur : *De gratia Dei indiculus* seu *praeteritorum Sedis apostolicae episcoporum auctoritates* (cf. *Enchir.* n. 128 ss). Hoc documentum non fuit datum ab ipso Romano Pontifice ; fuit probabilius confectum a sancto Prospero et publicatum sub Pontifice Sixto III (432-440) Attamen illud documentum haberi debet tamquam fideliter exprimens Ecclesiae doctrinam de gratia : tum quia est collectio sententiarum desumptarum ex Summorum Pontificum epistolis et ex conciliis, tum etiam quia de facto fuit admissum tamquam continens genuinam Ecclesiae doctrinam. Cf. *Dict de théol. cath.*, t. II, art. *Célestin* 1er, col. 2052 ss. ; TIXERONT, *o. c.*, p. 290. In illo documento jam damnatur semipelagianismus, qui incoeperat diffundi ante mortem S. Augustini, v. suprà n. 14 et 15.

(2) *Enchir.* n. 180.

(3) Cf. *Enchir.*, n. 812, 813.

(4) *Enchir.*, n. 199.

(5) Cf. PALMIERI, *De gratia actuali,* thes XXII, XXIV ; Card. BILLOT, *De gratia,* p. 63.

3. *Confirmatur ex precibus* Ecclesiæ : « Ne imputes omne peccatum servorum tuorum et servarum, sed purifica nos in veritate tua, et *dirige gressus nostros,* ut in *pietate* et *justitia* et *simplicitate* cordis ambulemus et agamus, quæ bona et placita sunt coram te ac coram principibus nostris » (1). « Domine Deus omnipotens... tua nos hodie salva virtute ut in hac die ad nullum declinemus peccatum, sed semper ad tuam justitiam faciendam nostra procedant eloquia, dirigantur cogitationes et opera » (2). — « Protector in te sperantium Deus, sine quo nihil validum, nihil sanctum..... (3). Largire nobis... Domine semper spiritum *cogitandi* quæ *recta* sunt propitius *et agendi :* ut qui sine te esse non possumus, secundum te vivere valeamus » (4). « Actiones nostras, quæsumus Domine, adspirando præveni et adjuvando prosequere : ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat et per te semper finiatur » (5). 49.

Argumenti ex precibus desumpti *valorem* (6) inculcat S. Augustinus scribendo : « Utinam tardi corde et infirmi, qui non possunt scripturas vel earum expositiones intelligere, sic audirent vel non audirent in hac quæstione disputationes nostras, ut *magis intuerentur orationes suas,* quas semper habuit Ecclesia et habebit ab exordiis suis donec finiatur hoc sæculum. De hac enim re quam nunc adversus novos hæreticos tueri et defensare compellimur, nunquam tacuit in precibus suis... Sicut ergo in *his orationibus,* ita et in hac fide nata est et crescit et crevit Ecclesia... Nec oraret Ecclesia ut perseveraret in fide Christi,... nisi crederet Dominum sic in potestate habere cor nostrum ut bonum quod non tenemus nisi propria voluntate, non tamen teneamus nisi ipse in nobis operatur et velle. Nam si hæc ab ipso poscit Ecclesia, sed a seipsa sibi dari putat, non veras, sed perfunctorias orationes habet ; quod absit a nobis » (7). 50.

Sic etiam *Indiculus de gratia Dei :* « Præter has autem beatissimæ et Apostolicæ Sedis inviolabiles sanctiones... obsecrationum quoque sacerdotalium sacramenta respiciamus, quæ ab Apostolis tradita in toto mundo atque in omni Ecclesia catholica uniformiter celebrantur, *ut legem credendi lex statuat supplicandi.* Cum enim sanctarum plebium præsules mandata sibimet legatione fungantur, apud divinam clementiam humani generis agunt causam, et tota secum Ecclesia congemiscente, postulant et precantur, ut infidelibus donetur fides, ut idololatrae ab impietatis suæ liberentur erroribus, ut Judæis ablato cordis velamine lux veritatis appareat, ut hæretici catholicæ fidei perceptione resipiscant, ut schismatici spiritum redivivæ charitatis accipiant, ut lapsis pœnitentiæ remedia conferantur, ut denique catechumenis ad regenerationis sacramenta perductis cœlestis misericordiæ aula reseratur. Hæc autem non perfunctorie neque inaniter a Domino peti, rerum ipsarum monstrat effectus : quandoquidem ex omni errorum genere plurimos Deus dignatur attrahere, quos

(1) *Ex epist. I Clementis ad Cor.,* c. LX, 3.
(2) *Oratio ad Primam.*
(3) *Oratio Dom, III post Pentecosten.*
(4) *Oratio Dom. VIII post Pentecosten.*
(5) *Una ex orationibus post Litanias in Breviario Romano.*
(6) Cf. CABROL, *Dictionnaire d'archéologie chrétienne et de liturgie,* art. *Célestin.*
(7) *De dono perseverantiæ,* c. 23, n. 63. P. L. t. XLV, col. 1031. Cf. BOUIX, *Tractatus de jure liturgico,* Parisiis, 1853, p. 22 ss., p. 71, ss.

erutos de potestate tenebrarum transferat in regnum Filii charitatis suæ, et ex vasis iræ faciat vasa misericordiæ » (1).

Tandem Leo XIII eumdem valorem rituum indigitat : « Quo loco apte cadit animadvertisse, quod sacri ritus, tametsi per se instituti non sunt ad dogmatum catholicorum evincendam veritatem, eadem tamen viva propemodum exprimunt splendidequè declarant » (2).

51. 3) ex ratione theologica.

C. EX RATIONE THEOLOGICA.

« *Actus* perducentes ad finem (3) oportet esse *fini proportionatos.* Nullus autem actus excedit proportionem *principii activi.* Vita autem æterna est finis excedens proportionem naturæ humanæ... (4), et ideo homo per sua naturalia non potest producere opera meritoria proportionata vitæ æternæ, sed ad hoc exigitur altior virtus,... quæ est virtus gratiæ. Et ideo sine gratia homo non potest mereri vitam æternam » (5).

« Et facile etiam constat, impossibilitatem de qua nunc sermo, non jam attendi in ordine impossibilitatis moralis tantum, sed *physicae ;* i. e. non ratione alicujus vitii naturæ cui remedium adhibere oporteat, sed ratione intrinsecæ conditionis naturæ creatæ, in quantum creata natura est. Si enim unio cum divina essentia tamquam cum forma intelligibili, supra proprium omnis naturæ creatæ ordinem esse noscitur, absolute impossibile est ut ex propriis cujuscumque creaturæ principiis fluant ea ex quibus quovis modo ad eam unionem, connexamque operationem ordinetur » (6).

52. Etiam ad initium fidei esse necessarium gratiam

PROPOSITIO SECUNDA. *Etiam ad initium fidei salutaris et ad quodvis opus bonum quod positive ducit ad aliquem actum salutarem necessaria est gratia interna.*

Hæc propositio est de fide divina.

Prænotandum. In præcedenti propositione egimus de necessitate gratiæ ad actum deliberatum ac electivum, nunc de actibus indeliberatis qui præcedunt ipsam electionem et ad hanc positive disponunt. Hæc secunda propositio est directa contra errorem Semi-pelagianorum, V. suprà, n. 14.

---

(1) *Enchir.,* n. 139.

(2) *Litteræ encyclicæ* « Orientalium », 30 Sov. 1894. *Leonis XIII Acta,* Brugis, Desclée, t. V, p. 305.

(3) In hoc argumento, verbis S. Thomae exposito, agitur de actibus *perfecte* salutaribus, quibus nempe homo vere, et quidem *de condigno,* meretur finem ultimum supernaturalem : demonstratur porro illos actus, quia debent esse intrinsece proportionati fini supernaturali, non posse fieri absque gratia : inde indicatur *ratio necessitatis gratiae* ad illos actus.

(4) Vitam æternam, nempe visionem beatificam, esse omninò supernaturalem demonstratur a S. Thoma, 1, q. 12, a. 4 ; 1-2, q. 5, a. 5. Cf. BILLOT, *De Deo uno et trino,* P. 1a, Thes. XIII, V. suprà, n. 6. Cf. VAN DER MEERSCH, *De Deo uno et trino,* n. 297.

(5) THOMAS, 1-2, q. 109, a. 5.

(6) BILLOT, *De gratia,* p. 88.

A. EX S. SCRIPTURA.

demonstratur : 1) ex S. Scriptura

1. Ex illis textibus, quibus prima propositio fuit demonstrata (n. 43) : qui, si recte intelliguntur, edocent totum omnino salutis et sanctificationis negotium ab ipsa dependere.

2. Etiam ex illis textibus quibus postea demonstrabimus omnino *gratuitam* esse justificationem et proinde opera *naturalia* nunquam esse exigitiva gratiæ, neque ut dispositionem positivam ad gratiam, neque ut ejusdem meritoria, ne de congruo quidem : sufficiat hæc citari ex S. Paulo : « Justitia autem Dei per fidem Jesu Christo » (1). Sed « (Deus) nos liberavit et vocavit vocatione sua sancta non secundum opera nostra sed secundum propositum suum et gratiam » (2). « Gratia enim estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis : Dei enim donum est, non ex operibus, ut ne quis glorietur » (3). Igitur opera nostra, etiam bona, qua talia, et absque gratia, nihil valent ad salutem.

3. Signanter quoad fidei initium : « Nemo potest venire ad me nisi Pater qui misit me traxerit eum : sunt quidam ex vobis qui non credunt... Propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me nisi fuerit ei datum a Patre meo » (4).

Jamvero agitur hîc de initio salutis sc. de fide in Christo. Ad hoc requiritur tractio *interna*, sc. aliqua directa et immediata Dei in homine operatio, bene distinguenda ab effectu naturali qui sequitur ex prædicatione Evangelii, nempe ab auditione et intellectione doctrinæ propositæ a Christo (5). Prætera hæc salutaris tractio est supernaturalis quia pertinet ad ordinem vitæ salutaris quæ, uti demonstravimus, est simpliciter supernaturalis.

Confirmatur ex hoc facto ; « Die autem sabbatorum egressi sumus (Paulus et socius) foras portam juxta flumen, ubi videbatur oratio esse : et sedentes loquebamur mulieribus, quæ convenerant. Et quædam mulier, nomine Lydia, purpuraria civitatis Thyatirenorum, colens Deum, audivit : cujus Dominus aperuit cor, intendere his, quæ dicebantur a Paulo » (6). Clare hîc exhibetur internus Domini influxus in mentem Lydiæ, quo influxu intellexit, sicut oportebat ad fidem salutarem, quæ dicebantur a Paulo.

53.

B. EX TRADITIONE.

54. 2) ex Traditione : a) SS. Patrum assertis

1. *Ex assertis Patrum.* Textus, quos suprà, n. 45-46, citavimus asserunt gratiæ necessitatem ad opus salutare, ita ut totaliter gratiæ sit adscribendum. *S. Ambrosius* dicit : « Multa enim ad

(1) *Rom.*, III, 22.
(2) *2 Tim.*, I, 9.
(3) *Ephes.*, II, 8-9.
(4) *Jo.*, XLIV, 65-66.
(5) Ipse LOISY, *Le quatrième évangile*, p. 451, n. 7, scribebat : « La formule du V. 44... suppose évidemment quelque chose de plus que la simple proposition ou même l'intellection de la vie salutaire ».
(6) *Act.*, XVI, 13-14.

usum substantiæ largitur (Deus) humanæ, et hoc non potest esse divinum sacrificium, ubi est usus naturæ. Edere, bibere, dormire, aliaque etiam ministeria corporis dono sunt tibi collata, non a te relata Deo munera. Quidquid autem sanctum cogitaveris, hoc Dei munus est, Dei inspiratio, Dei gratia » (1). — « Audeo tamen etiam ego dicere, quod homo viam non possit adoriri, nisi Dominum habeat prævientem... Vides itaque quia ubique Domini virtus studiis cooperatur humanis ; ut nemo possit ædificare sine Domino, nemo custodire sine Domino, nemo incipere sine Domino » (2).

Negari nequit apud unum alterumve ex Patribus quædam inveniri asserta quæ, obvio intellecta sensu, important, a natura, non a gratia, esse initium salutis (3) ; et hujus opinionis se, ante episcopatum, fuisse testatur ipse S. Augustinus (4). Sed exortis circa gratiam erroribus, re maturius perpensa, hanc opinionem omnino retractavit *S. Augustinus* (5) et catholicam doctrinam propugnavit : nempe ipsam piam cogitationem, quæ ad fidem ducit, esse a gratia divina (6) ; et generatim nulla ratione aliquid meriti ad vitam salutarem posse inesse operibus ab homine naturaliter factis (7). — *S. Prosper* contra Cassianum propugnat virtutum et operum meritoriorum semina seu principia esse gratiam et sic concludit : « Ergo omnia quæ ad vitam et ad pietatem pertinent, non per naturam, quæ vitiata est, habemus, sed per gratiam, qua natura reparatur, accepimus » (8). Auctor operis *De vocatione omnium gentium,* scripti medio sæculi V, clare dicit: « Multa sunt alia in canonicarum serie Scripturarum, quæ vitandæ prolixitatis studio præterimus, quoniam quæ assumpsimus, nec pauca sunt nec levia, nec obscura: quibus plenissime declaratur omnia quæ ad promerendam vitam æternam pertinent, sine gratia Dei nec inchoari, nec augeri posse, nec perfici et contra omnem elationem de libero arbitrio gloriantem, illam invictissime reniti sententiam dicentis Apostoli: *Quis enim te discernit ?* (1 *Cor.* IV, 7). Igitur profunditas illius quæstionis, quam secundum admirationem Apostoli impenetrabilem confitemur, per liberi arbitrii velle et nolle non solvitur. Quia licet insit homini bonum nolle, tamen nisi donatum non habet bonum velle: et illud contraxit natura per culpam, hoc recipit natura per gratiam » (9).

---

(1) *De Cain et Abel,* L. I, c. 10, n. 45.
(2) *Expositio evangelii secundum Lucam,* L. II, n. 84.
(3) Cf. TIXERONT, *o. c.*, t. II, p. 147, 282.
(4) *De prædestinatione Sanctorum,* c. 3, n. 7.
(5) *Retractationum,* L. I, c. 23, n. 3.
(6) Cf. *De prædestinatione Sanctorum,* c. 2, n. 5.
(7) *Ibid.*, n. 10. Cf. *De dono perseverantiæ,* n. 49.
(8) Contra Collatorem, c. 13 (alias c. 37) n. 5.
(9) L. I, c. 35, P. L. t. LI, col. 685 s.

Nota. Nequeunt ut faventia semi-pelagianismo adduci hæc S. Irenæi verba : « Et ideo prophetæ bonum quidem hortabantur homines, justitiam agere bonumque operari, sicut per multa ostendimus : quia in nobis sit hoc, et propter quod bonus Deus præstavit bonum consilium per prophetas » (1). Ut patet, non dicit S. Irenæus in nostra potestate, *absque gratia* esse bonum salutare operari ; sed dicit nos, quia *liberi* sumus simul ac infirmi, indigere exhortatione ad bonum. 55.

Immerito exhibentur a cl. Tixeront (2) S Optatus Milevitanus et S. Hieronymus ac si scripserint quæ continent semi-pelagianismum. Etenim S. Optatus. loco ibi citato, habet hæc : « Est enim Christiani hominis, quod bonum est velle ; et in eo, quod bene voluerit, currere : sed homini non est datum, perficere : ut post spatia, quæ debet homo implere, restet aliquid Deo, ubi deficienti succurrat : quia ipse solus est perfectio, et perfectus solus Dei Filius Christus. Cæteri omnes semiperfecti sumus. Quia nostrûm est velle, nostrûm est currere ; Dei, perficere. » (3). Quum Donatistæ omnimodam in hac vita jactitarent perfectionem, qua omnis defectus excluderetur, advertit Optatus nostrum esse, (utique per gratiam) velle et currere, sed eam perfectionem, quæ careat omni nævo tantum in cœlo haberi. Et hujus rei ultima ratio est quia solus Deus est ipsa perfectio, Christus est perfectus, et cæteri omnes sunt tantum semiperfecti (4).

Quæ a S. Hieronymo in *Dialogo adversus Pelagianos* indicantur, veræ doctrinæ de gratiæ necessitate ad omnes et singulos actus salutares omnino consona sunt : « *Atticus* (5). Non sic donata est liberi arbitrii gratia, ut Dei per singula tollatur adminiculum..... Dormitat ergo Deus in operibus nostris, semel data liberi arbitrii potestate : nec orandus est, ut in singulis operibus nos juvet, quum voluntatis nostræ sit et proprii arbitrii, vel facere si volumus, vel non facere si nolumus..... Oro te non legisti : *Non enim volentis neque currentis, sed miserentis est Dei ?* (*Rom.* 9, 16). Ex quibus intelligimus nostrum quidem esse velle et currere : sed ut voluntas nostra compleatur et cursus, ad Dei misericordiam pertinere : atque ita fieri, ut et in voluntate nostra et in cursu, liberum servetur arbitrium ; et in consummatione voluntatis et cursus, Dei cuncta potentiæ relinquantur. Scilicet nunc mihi Scripturarum testimonia replicanda sunt, quomodo per singula, Dei a sanctis flagitetur auxilium ; et in singulis operibus suis, illo adjutore et protectore uti desiderent » (6). — « Sicut rami et flagella vitium illico contabescunt quum fuerint a matrice præcisa : ita omnis hominum fortitudo marcescit et deperit, si a Dei auxilio deseratur. *Nemo,* inquit *potest venire ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum (Johan.* VI. 44). Quando dicit, nemo potest venire ad me frangit superbientem arbitrii libertatem : quod etiam si velit ad Christum pergere, nisi fiat illud quod sequitur : *nisi Pater meus cœlestis traxerit eum,* nequidquam cupiat et frusta nitatur : simul et hoc animadvertendum, quod qui trahitur, non sponte currit ; sed aut retractans et tardus, aut invitus adducitur. Qui non potest suis viribus et labore venire ad

(1) *Adversus hæreses,* L. IV, c. 37, n. 2.

(2) *O. c.,* 282.

(3) *De schismate Donatistarum,* L. II, n. 20 (opus scriptum an. 385).

(4) Cfr. JUNGMANN, *De gratia,* n. 73.

(5) Atticus, in dialogo, catholicam defendit doctrinam contra Critobulum hæresim propugnantem.

(6) *Dialogus adversus Pelagianos,* L. I.

Jesum, quomodo potest omnia simul peccata vitare? Et vitare in perpetuum, et Dei sibi potentiæ nomen assumere » (1)

56. b) definitionibus Ecclesiæ

2. *Ex Ecclesiæ definitionibus.*

S. Cœlestinus I docet : « His ergo ecclesiasticis regulis et ex divina sumptis auctoritate documentis, ita adiuvante Domino confirmati sumus, ut omnium bonorum affectuum atque operum et omnium studiorum omniumque virtutum, quibus ab initio fidei ad Deum tenditur, Deum profiteamur auctorem, et non dubitemus, ab ipsius gratia omnia hominis merita præveniri, per quem fit, ut aliquid boni et velle incipiamus et facere » (2).

Concilium Arausicanum II sequentia statuit :

« Si quis ad invocationem humanam gratiam Dei dicit posse conferri, non autem ipsam gratiam facere, ut invocetur a nobis, contradicit Isaiæ Prophetæ, vel Apostolo idem dicenti : « Inventus sum a non quærentibus, me, palam apparui his, qui me non interrogabant » (3).

« Si quis sicut augmentum, ita etiam initium fidei ipsumque credulitatis affectum, quo in eum credimus, qui iustificat impium et ad (re) generationem sacri baptismatis pervenimus, non per gratiæ donum, id est per inspirationem Spiritus Sancti corrigentem, voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem, sed naturaliter nobis inesse dicit, Apostolicis dogmatibus adversarius approbatur » (4).

« Si quis sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, studentibus, petentibus, quærentibus, pulsantibus nobis misericordiam dicit conferri divinitus, non autem ut credamus, velimus, vel hæc omnia, sicut oportet, agere valeamus, per infusionem et inspirationem Sancti Spiritus in nobis fieri confitetur, et aut humilitati, aut obœdientiæ humanæ subiungit gratiæ adiutorium, nec, ut obœdientes et humiles simus, ipsius gratiæ donum esse consentit, resistit Apostolo dicenti : quid habes, quod non accepisti ! et : Gratia Dei sum, id, quod sum » (5).

« Hoc etiam salubriter profitemur et credimus, quod in omni opere bono non nos incipimus, et postea per Dei misericordiam adjuvamur, sed ipse nobis nullis præcedentibus bonis meritis et finem et amorem sui prius inspirat, ut et baptismi sacramenta fideliter requiramus, et post baptismum cum ipsius adiutorio ea, quæ sibi sunt placita, implere possimus. Unde manifestissime credendum est, quod et illius latronis, quem Dominus ad paradisi

(1) *O. c.*, L. III.
(2) *Enchir.*, n. 141.
(3) *Ibid.*, n. 176.
(4) *Ibid.*, n. 178.
(5) *Ibid.*, n. 179.

patriam revocavit, et Cornelii centùrionis, ad quem angelus Domini missus est, et Zachaei, qui ipsum Dominum suscipere meruit, illa tam admirabilis fides non fuit de natura, sed divinæ largitatis donum » (1).

Concilium Tridentinum eamdem doctrinam clare proponit, declarando : « Ipsius iustificationis exordium in adultis a Dei per Christum Jesum præveniente gratia sumendum esse, h. e. ab ejus vocatione qua, nullis eorum exsistentibus meritis, vocantur : ut qui per peccata a Deo aversi erant, per eius excitantem atque adjuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum iustificationem eidem gratiæ libere assentiendo et cooperando disponantur, ita ut, tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat,.. neque tamen sine gratia Dei movere se ad justitiam coram illo libera sua voluntate possit » (2).

C. EX RATIONE THEOLOGICA.

57. 3) ex ratione theologica.

Si actus salutaris est proportionatus ultimo fini supernaturali, debet elici gratia ; atqui in præsenti Providentiæ ordine omnis actus salutaris est proportionatus ultimo fini supernaturali; ergo in præsenti Providentiæ ordine, omnis actus salutaris debet gratiâ elici.

Declaratur antecedens. Uti infrà, n. 85, dicetur potuisset Deus de potentia absoluta concedere supernaturalem beatitudinem homini qui, hac in terra tantùm secundum naturalem rectitudinem egisset, et non alios actus posuisset quam naturaliter honestos. Sed in hac hypothesi, illi actus humani non essent *ex sese* positive duccentes ad supernaturalem finem, nec essent *intrinsece* proportionati tali fini. Ut actus sit *ex sese* positive ducens ad supernaturalem finem, seu *intrinsece* proportionatus tali fini, oportet ut sit *intrinsece elevatus* et proinde ut eliciatur aliquo *supernaturali* principio (sive permanente, sive transeunte), seu ut eliciatur *gratia.* Hoc valet de omni actu positive et *ex sese* ducente ad supernaturalem finem, sive remote, sive proxime ordinet ad finem prædictum.

Declaratur minor. Argumentis desumptis ex S. Scriptura et Ecclesiæ Traditione constat quod, in præsenti Providentiae ordine, omnis actus vere salutaris seu positive conducens (sive remote, sive proxime) ad æternam beatitudinem, debet fieri modo quo sit *proportionatus* illi fini, debet esse *sicut oportet* ad hunc finem.

Objectiones.

58. Objectiones.

1. In S. Scriptura legitur : « Hominis est animam præparare » (3) ; ergo ibi docetur initium salutis ab ipso homine, non a Deo, per gratiam, procedere.

(1) *Ibid.*, n. 200.
(2) *Ibid.*, n. 797.
(3) *Prov.*, XVI, 1.

R. Concedo textum, explico sensum et inde nego consequens. Nam integer textus est hic : « Hominis est animam præparare : et Domini gubernare linguam » : quæ secunda pars, secundum textum hebraïcum, sic est vertenda : a Domino venit exauditio linguæ. Sensus proinde proverbii hic est : homini convenit elicere desideria, facere proposita ; sed Dei est exaudire vota quæ lingua humana exprimit ; est proinde quasi idem ac nostrum adagium : Homo proponit, sed Deus disponit ; de mensch mikt, maar God beschikt (1). Non igitur ille textus agit de præparatione animæ ad fidem vel ad salutem, sed de omnimoda subjectione hominis ad divinam providentiam.

2. In S. Scriptura legitur : « Petite et dabitur vobis ; quærite et invenietis : pulsate et aperietur vobis » (2). Igitur docetur ipsam ab homine petitionem, etsi mere naturalem, ipsius conatus ad bonum, esse valida, efficacia coram Deo.

R. Explico sensum textus et inde nego consequens. Etenim his verbis docet Christus necessitatem orationis ad hoc ut homo possit præstare quæ requiruntur in membro regni messianici, cujus indolem exponit Christus ; etiam inculcat efficacitatem orationis. Hæc autem illimitata assertio : « Petite et dabitur vobis... etc. » non impedit quominus subintelligatur requisita gratia ad hoc ut oratio sit *sicut oportet.* Jamvero aliunde cognoscimus non esse, in præsenti ordine Providentiæ, vere salutares illas orationes quæ fiunt absque gratia.

3. In S. Scriptura legitur : « Convertimini ad me... et ego convertar ad vos, dicit Dominus exercituum » (3). Ergo docetur initium conversionis esse ab homine, non a Deo.

R. Explico sensum et nego consequens. In dato textu non agitur directe de prima conversione alicujus hominis, nec de conversione populi ab idololatria ad veri Dei cultum, sed de majori acquirenda pietate, de majori studio ad cultum Dei, quod si magis se convertat populus ad Deum, majora etiam beneficia accipiet a Deo. Sed iterum illa conversio ad Deum non fit absque gratia, cui libere cooperari debet homo.

Præterea alio in loco legitur : « Converte nos, Domine, ad te, et convertemur » (4) : quibus prius a Deo dependere conversionem asseritur. Inde in Concilio Tridentino explicatur utrumque : « Cum dicitur, *convertimini ad me,* et *ego convertar ad vos,* libertatis nostræ admonemur ; cum respondemus ; *converte nos, Domine, ad te et convertemur,* Dei nos gratia præveniri confitemur » (5).

---

(1) Cf. BEELEN, *Het oud Testament,* B. IV, *Het boek der spreuken,* bl. 53.
(2) *Matth.,* VII, 7.
(3) *Zachar.,* I, 3.
(4) *Jerem., Thren.,* V, 21.
(5) *Enchir.,* n. 797.

4. In parabola de quinque talentis exhibetur Dominus distribuens dona sua hominibus et dans *unicuique secundum propriam virtutem* (1). Atqui ea quæ distribuit Dominus sunt dona gratiæ salutaris, et virtus propria unicuique sunt ejus opera bona naturalia. Ergo gratia conceditur propter meritum bonorum operum naturalium.

R. Nego minorem, quia non est certa, et omni in hypothesi, nego consequens. —

Prænotare debemus adversarios ut ex hoc testimonio sententiam suam deducere valeant, duo debere demonstrare : a) talenta, hoc loco, significare gratias supernaturales et gratum facientes ; b) hæc verba « *secundum propriam virtutem* » significare veram exigentiam operum naturalium ad dona supernaturalia.

Jamvero primum non certo, et secundum ne probabiliter quidem statui potest. Indicabimus breviter varias interpretationes hujus loci et simul ostendemus ex illis non consequi sententiam Semipelagianorum.

a) Multi interpretes tenent illa verba *secundum propriam virtutem* non pertinere ad ipsam substantiam parabolæ et consequenter ex illis verbis nihil proprie doceri ; si ita res se habet tunc omnino evanescit objectio (2).

b) Inter illos qui admittunt hæc verba *secundum propriam virtutem* pertinere ad substantiam parabolæ, alii dicunt hîc agi de donis *gratis datis :* iterum si ita res se habet evanescit argumentum. Alii tenent hîc agi de donis gratum facientibus : tunc optime intelligi potest in parabola doceri dona illa concedi secundum mensuram gratiæ sanctificantis quæ jam præsupponitur in homine.

c) Tandem si diceretur hîc intelligendum esse complexum omnium donorum supernaturalium quæ Deus alicui concedit, tunc dicendum quod Deus potest quidem gratiam adtemperare *indoli naturæ* uniuscujusque, quæ cum gratia cooperari debet. Id autem faceret Deus ex mero consilio suæ voluntatis quin a parte naturæ sit aliqua exigentia et quin aliquod *meritum* ad gratiam inveniatur in operibus naturalibus (3).

---

(1) *Matth.*, XXV, 14 ss.

(2) Cf. CASAJOANA, *Disquisitionis scholastico-dogmaticæ*, V. IV, 1a p. disquisit. IV, n. 38 ; KNABENBAUER, *Commentarius in Evangelium secundum Matthæum*, t. II, p. 368 s.

(3) Hæc est sententia S. Ambrosii : « Datur unicuique sine merito, unde tendat ad meritum ; et datur ante ullum laborem, unde quisque mercedem accipiat secundum suum laborem. Quod ita esse, etiam evangelicæ veritatis testimonio agnoscitur, ubi per comparationem dicitur, quod homo peregre proficiscens, vocavit servos suos, et tradidit illis substantiam suam : et uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii vero unum ; unicuique secundum propriam virtutem ; id est, secundum propriam et naturalem possibilitatem ; non autem secundum proprium meritum ; quia aliud est posse operari, aliud operari : et aliud est posse habere caritatem, aliud habere caritatem. Non itaque omnis reparabilis reparatur, nec omnis sanabilis sanatur :

5. Præceptum conversionis ad Deum est juris naturalis, atqui nihil est de jure naturali quin per naturales vires impleri possit. Ergo homo suis viribus in Deum converti potest.

R. *Dist. maj.* : prout hæc conversio fieri possit in statu naturæ puræ, *conc.* : prout hæc conversio exigitur in statu præsentis Providentiæ, *subd.* : est præceptum juris naturalis absoluti, *nego* ; est præceptum juris naturalis mere *hypothetici. Conc.*

Contradist. min. et dist. pariter consequens.

Conversio ad Deum, qualis nunc præcipitur, quæ videlicet perficiatur credendo, sperando, diligendo et pœnitentiam agendo, prout oportet, ut iustificationis gratia obtineatur, hæc conversio, inquam, est juris naturalis hypothetici, h. e. consequenter ad revelationem et ordinem præsentis divinæ providentiæ. Quare nihil vetat, quominus ejus præceptum supernaturale quoque dicatur. Quod non ita est intelligendum, prout nonnulli finxerunt, quasi actus, quibus illud ope divinæ gratiæ est adimplendum, exuant connaturalem modum operandi intellectus et voluntatis circa propria obiecta, sed prout optime hanc rem declaravit card. de Lugo (De fide divina disp. 13, n. 12). Dicitur itaque supernaturale dupliciter. Primo, quia obligatio ab eo imposita non cognoscitur hîc et nunc practice nisi media superna illustratione intellectus, quæ voluntatem moveat ad illud implendum, secundum quod exigit finis, ad quem homo in præsenti Providentia a Deo est evectus. Secundo, quia actus, quibus reipsa hæc obligatio impletur, ob statum præsentis elevationis sunt supernaturales, Deo concurrente per auxilium suæ gratiæ. Quocirca tale præceptum reipsa obligat ad actum supernaturalem, adeoque et ipsum merito supernaturale dicitur : nam obligat ad eum actum, qui haberi potest, qui quidem esse nequit nisi supernaturalis, siquidem Deus ei non opitulatur nisi juxta præsentem ordinem suæ Providentiæ (1).

6. Homo per solas naturales vires cognoscere potest motiva credibilitatis, adeoque religionem revelatam esse credibilem et credendam. Atqui hæc naturalis cognitio est initium veræ fidei ; ergo initium veræ fidei adscribi potest solis naturæ viribus.

R. *Conc. Maj.*

Dist. min. : hæc cognitio est initium veræ fidei, sed *mere naturalis, transeat* ; est initium veræ fidei *salutaris, nego.*

Contradist. conseq. : initium veræ fidei *mere naturalis* adscribi potest solis naturæ viribus, *conc.* ; initium veræ fidei *salutaris*... nego.

Imprimis notemus ex cognitione naturali de credibilitate et de

---

quia reparabilem et sanabilem esse, de natura est, reparatum autem et sanatum esse, de gratia est ». *De vocatione Gentilium,* L. II, c. 2.

(1) Ita SCHIFFINI, *De gratia,* n. 93, p. 137.

credenditate religionis *non necessario* sequi ipsum *actum* fidei naturalis : potest enim homo libere non velle credere, licet cognoscat et rationabile et obligatorium esse credere. Sed deinde ut fides sit *sicut oportet* ad salutem, h. e. salutaris, prærequiritur supernaturalis influxus Dei in animam : actus enim *naturalis* fidei non valet ad salutem, et id quod positive influit in actum *salutarem* debet esse ejusdem ordinis ac ipse, proinde supernaturale : inde saltem ultimum credenditatis judicium practicum et credulitatis affectus, ad quæ consequitur fides salutaris, debent esse supernaturalia (1). Judicia vero naturalia credibilitatis et credenditatis possunt esse dispositio *negativa* ad fidem salutarem, non positiva.

Adnotatio. Demonstravimus gratiæ necessitatem ad omnem actum *salutarem* et ad omnem actum, etiam indeliberatum, qui positive disponit vel ducit ad actum salutarem : in hoc jam implicite continetur requiri gratiam ut homo, qui per peccatum mortale est a Deo aversus, possit *salutariter convertere* se iterum ad Deum. Totam autem conversionem considerans S. Thomas pulcherrime exponit necessitatem gratiæ ad illam : « Homo nullo modo potest resurgere a peccato per seipsum sine auxilio gratiæ. Cum enim peccatum transiens actu, remaneat reatu... non est idem resurgere a peccato quod cessare ab actu peccati ; sed resurgere a peccato est reparari hominem ad ea quæ peccando amisit. Incurrit autem homo triplex detrimentum peccando, ut ex suprà dictis patet (a. 1, et q. 85, q. 87, a. 6) scilicet maculam, corruptionem naturalis boni, et reatum pœnæ. *Maculam* quidem incurrit, in quantum privatur decore gratiæ ex deformitate peccati (2). *Bonum* autem *naturæ* corrumpitur in quantum natura hominis deordinatur, voluntate hominis Deo non subjecta ; hoc enim ordine sublato, consequens est ut tota natura hominis peccantis inordinata remaneat (3). *Reatus* vero *pœnæ* est per quem homo peccando mortaliter meretur æternam pœnam. 59.

» Manifestum est autem de singulis horum trium quod non possunt reparari nisi per Deum. Cum enim decor gratiæ proveniat ex illustratione divini luminis, non potest talis decor in anima reparari, nisi Deo denuo illustrante ; unde requiritur habituale donum quod est gratiæ lumen (4). Similiter ordo naturæ reparari non potest, ut scilicet voluntas hominis Deo subjiciatur, nisi Deo voluntatem hominis ad se trahente (5)... Similiter etiam reatus pœnæ æternæ remitti non potest nisi a Deo, in quem est offensa commissa et qui est hominum judex. Et ideo requiritur auxilium gratiæ ad hoc quod homo a peccato resurgat, et quantum ad habituale donum, et quantum ad interiorem motionem » (6).

---

(1) De judicio credibilitatis et credenditatis cf. *Collat. Brug.*, t. II, p. 559, t. III, p. 69, 193, t. VI, p. 458, 591.

(2) Hic supponitur demonstrata existentia gratiæ sanctificantis, in cujus amissione consistit *reatus culpæ*, seu *macula peccati* Cf. BILLOT, *De natura et ratione peccati personalis*, thes. IV et V, p. 62 ss ; *Collat Brug.*, t. VIII, p. 374 ss.

(3) Hic animadvertamus quod *personalis* peccati reatus non est solum privatio doni supernaturalis sed etiam, et præcipue, inordinatio *naturae* hominis, quatenus ejus voluntas est positive non subjecta Deo.

(4) S. Thomas gratiam sanctificantem hîc designat nomine : *illustratio divini luminis, lumen* gratiæ.

(5) Motione nempe *supernaturali*, quum agatur de actu *salutari* ; cf. S. THOMAS, 1-2, q. 109 a. 6.

(6) 1-2, q. 109, a 7.

ARTICULUS IIus. **De necessitate gratiæ ad actus *mere honestos moraliter.***

60. Non necessariam esse gratiam ad omnes actus mere honestos demonstratur : 1) ex ratione theologica,

PROPOSITIO PRIMA. *In statu præsenti potest homo, absque auxilio gratiæ, solis naturæ viribus, perficere quædam opera moraliter bona* (1).

Hæc propositio est *theologice certa.*

Demonstratio.

A. EX RATIONE THEOLOGICA.

Fide enim, saltem ecclesiastica (2), tenendum est in hominibus, post prævaricationem Adæ, *liberum arbitrium minime esse exstinctum,* viribus licet attenuatum et inclinatum (3).

Hoc posito sic ratiocinandum : homini inest potestas *physica* faciendi quædam opera moraliter bona, præterea opera honesta non sunt semper difficilia, vel difficiliora inhonestis : potest etiam haberi naturalis delectatio concomitans vel subsequens opera moraliter honesta. Ergo in libero arbitrio habetur et *physica* et *moralis* potentia ad opera quædam bona.

Antecedens quoad secundam partem patet ipsa experientia ; quoad primam partem sic manifestum fit : si enim homo naturaliter obligatur præceptis legis naturalis requiritur in libero arbitrio physica potentia ad illa adimplenda (4) ; atqui ita est ; ergo.

Quam doctrinam bene exponit S. Bonaventura : « Si liberum arbitrium in solis naturalibus suis relinquatur, adhuc remanebit ei rationis judicium, per quod cognoscet parentes esse honorandos. Et constat, quod si habet hoc naturale judicatorium, per illud per quod potest *nosse* parentes esse honorandos, per illud potest *cogitare ;* et cum habeat naturalem instinctum, potest etiam *velle ;* et cum habeat exteriora organa subservientia, potest *opere implere* » (5).

Pariter S. Thomas : « Quia tamen natura humana per peccatum non est totaliter corrupta..., potest quidem homo etiam in statu naturæ corruptæ, per virtutem suæ naturæ aliquod bonum particulare agere » (6).

61. 2) ex Traditione.

B. EX TRADITIONE.

De doctrina S. Augustini agemus postea in solvenda difficul-

---

(1) Loquimur de operibus non solum *objective,* sed etiam *subjective* bonis : ita ut non solum quoad speciem, sed etiam in individuo cum omnibus ipsorum adjunctis sint vere honesta.

(2) Fides ecclesiastica est ea qua propter auctoritatem Ecclesiæ infallibiliter definientis, vera esse credimus ea quæ Ecclesia *vera* quidem, *non* tamen a Deo *revelata* esse definit.

(3) In *Conc. Trident.,* sess. VI, c. 1 ; *Enchir.,* n. 793.

(4) Inde ad omnia et singula legis naturalis præcepta adimplenda habetur *physica* potentia in voluntate.

(5) In II, dist. XXVIII, a. 2. 3. (t. II, p. 689).

(6) I-2, q. 109, a. 2.

tate. Mens Ecclesiæ maxime elucet in suis declarationibus quibus damnavit doctrinam Lutheri, Baii, Jansenii, Quesnelli et synodæ Pistoriensis.

Fundamentalis error Baii exprimitur hac damnata propositione : « Distinctio duplicis amoris, *naturalis* videlicet quo Deus amatur ut auctor naturæ, et *gratuiti* quo Deus amatur ut beatificator, vana est et commentitia... » (1). Consequenter damnatæ sunt hae propositiones : « Liberum arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio nonnisi ad peccandum valet » (2). « Cum Pelagio sentit qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex naturæ solis viribus ortum ducit, agnoscit » (3). — Pius VI damnavit Synodi Pistoriensis doctrinam qua inter dominantem cupiditatem et caritatem dominantem non admittebat *affectus medios* a natura ipsa insitos suapteque natura laudabiles (4).

62. Objectio.

Objicitur : « Omne quod non ex fide est, peccatum est » (5). Respondetur : hîc non agitur de fide divina, supernaturali, sed de persuasione de liceitate alicujus actionis ; sicut nunc diceretur : qui non ex bona fide agit, peccat.

63. Difficultas ex apparenti contradictione inter diversas Ecclesiæ declarationes.

Difficultas autem præcipua oritur ex assertis S. Augustini et canonibus concilii Arausicani II ab una parte, ab altera vero parte ex damnatis propositionibus a Baio prolatis : videtur nempe Ecclesia ut verum definivisse contra Pelagium idem quod ut falsum damnavit contra Baium.

Nempe concilii Arausicani II canon 20 sic sonat : « Multa Deus facit in homine bona quæ non facit homo. Nulla vero facit homo bona, quæ non Deus præstat ut faciat homo » (6). Canon 22 : « Nemo habet de suo nisi mendacium et peccatum. Si quid autem habet *homo veritatis atque justitiæ, ab illo fonte est quem debemus sitire in hac eremo, ut ex eo quasi guttis quibusdam irrorati non deficiamus in via* » (7). — Baii vero fuit damnata hæc propositio « *Liberum arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio, nonnisi ad peccandum valet* » (8). Videtur igitur Ecclesia primo *asseruisse*, postea *negasse* : hominem, ex natura sua, absque gratia, non nisi mala moraliter opera posse facere.

64. Solutio.

Solutio non omnino eadem traditur ab omnibus catholicis (9) ; sed optima methodus est ad intelligendum sensum canonum desumptorum ex concilio Arausicano II inquirere sententiam de illa materia apud S. Augustinum, quippe qui primas habuit partes in propugnanda doctrina Ecclesiæ contra Pelagianos et « multa quæ in concilio Arausicano statuuntur fere verbotenus ex libris S. Augustini desumpta sunt » (10).

---

(1) Propos. 34a, *Enchir.*, n. 1034. Cf. Quesnelli propos. 44a, *Enchir.*, n. 1394 ; *Collat. Brug.*, t. XVIII, p. 69.
(2) Propos. 27a, *Enchir.*, n. 1027. Cf. Quesnelli propos. 1a, *Enchir.*, n. 1351.
(3) Propos. 37a, *Enchir.*, n. 1037.
(4) *Enchir.*, n. 1524.
(5) *Rom.*, XIV, 23.
(6) *Enchir.*, n. 193.
(7) *Enchir.*, n. 195.
(8) *Enchir.*, n. 1027.
(9) Cf. HURTER, *Compendium theologiæ dogmaticæ*, t. III, n. 62 s. ; HÉFELÉ-LECLERCQ *Histoire des Conciles*, t. II, 2e P. p. 1100 ss. ; NEVEU, *De necessitate et notione gratiæ actualis*, in periodico *Divus Thomas*, 1905, p. 372 ss.
(10) *Enchir.*, p. 79. Cf. NEVEU, *o. c.*, p. 374 ss. ; BARDENHEWER, *o. c.*, p. 468.

Jamvero S. Augustinus non negat dari apud infideles opera moraliter bona, sed haec assertio non nisi cum duplici restrictione ab ipso admittitur, scilicet : a) multa quae apud infideles videntur bona, non sunt bona, b) nulla datur virtus proprie dicta nisi ex gratia (1).

Praeterea S. Augustinus hoc praesertim inculcat quod infidelis cum laudabilibus moribus damnatur ; fidelis vero minus bene moratus salvatur (2) ; quod apud infideles non sunt veræ virtutes, nec opera vere bona, quia illorum virtutes, illorumque opera, quæ videntur honesta, *inutilia* prorsus sunt *ad salutem*, nec accepta coram Deo ; imo S. Augustinus *peccata* vocat opera, etiam laudabilia, facta ab infidelibus : ipse vero rationem explicat cur illa vocet peccata, nempe : quia illa opera, ab infidelibus facta, *non referuntur ad eum finem ad quem referri debuerunt*, ideo sunt inordinata, peccata. Audiamus quædam : « Aut si fidem non habent Christi, profecto nec justi sunt, nec Deo placent, cui sine fide placere impossibile est. Sed ad hoc eos in die judicii cogitationes suæ defendent, ut tolerabilius puniantur, quia naturaliter quæ legis sunt utcumque fecerunt, scriptum habentes in cordibus opus legis hactenus, ut aliis non facerent quod perpeti nollent : *hoc* tamen *peccantes*, quod homines *sine fide, non ad eum finem ista opera retulerunt, ad quam referre debuerunt* » (3). Et infrà : « Aut ergo intellige quod ait Dominus : Si oculus tuus nequam est, totum corpus tuum tenebrosum erit ; si autem oculus tuus simplex est, totum corpus tuum lucidum erit ; et hunc oculum agnosce *intentionem*, qua facit quisque quod facit, et per hoc disce eum qui non facit opera bona *intentione fidei bonæ*, hoc est, ejus quæ per dilectionem operatur, totum quasi corpus, quod illis, velut membris, operibus constat, tenebrosum esse, hoc est, plenum nigredine peccatorum. Aut certe quoniam saltem concedis opera infidelium, quæ tibi eorum videntur bona, non tamen eos ad *salutem sempiternam*, regnumque perducere : scito nos illud *bonum* hominum dicere, illam voluntatem *bonam*, illud opus *bonum, sine Dei gratia*, quæ datur per unum Mediatorem Dei et hominum, *nemini posse conferri ;* per quod solum homo potest ad æternum Dei donum regnumque perduci. Omnia proinde cetera quæ videntur inter homines habere aliquid laudis, videantur tibi virtutes veræ, videantur opera bona, et sine ullo facta peccato. Quod ad me pertinet, hoc scio, quia non ea facit voluntas bona : voluntas quippe *infidelis* atque impia *non* est *bona* » (4). Augustinus igitur non docet singula infidelium opera esse moraliter mala (5) sed inculcat nullam dari voluntatem vere bonam, nullam virtutem veram, nullum opus vere bonum, absque fide : quia, absque fide, nullum opus valet ad æternam salutem, nec ullum opus est meritorium (6). In eodem igitur sensu dicit Ecclesia, in canone 20 concilii Arausicani II : « Nulla vero facit homo *bona*, quæ non Deus

---

(1) Cf. CAPÉRAN, *Le problème du salut des infidèles*, Essai historique, p. 116 ss.

(2) Cf. *Contra duas epistolas Pelagianorum*, l. III, n. 14.

(3) *Contra Julianum*, l. IV, n. 25.

(4) *Ibid.*, n. 33 ; v. *De gratia Christi*, n. 27. Cf. TIXERONT, *o. c.*, t. II. p. 486 ss. ; SCHWANE, *Histoire des dogmes*, t. III, p. 175.

(5) In libro prius scripto explicite admittit Augustinus aliquid boni, aliqua legis opera impleri posse ab infidelibus quia non omni modo deletum est quod ibi per imaginem Dei, cum crearentur, impressum est. *De spiritu et littera*, n. 48.

(6) Cf. FAURE (1702-1779), *Enchiridion S. Aurelii Augustini*, p. 1-11 ; ubi multos affert ex S. Augustini operibus textus, quibus apparet omnino rectam esse interpretationem qua dicitur per opus *bonum* intelligi a S. Augustino opus *meritorium* vel *salutare*.

præstat, ut faciat » minime intendit asserere omnia infidelium opera esse moraliter mala (1).

Alius canon qui dicit : « Nemo habet de suo nisi mendacium et peccatum », iterum bene explicatur verbis S. Augustini, uti exponit Neveu (2) : « Desumptus est ille canon ex tractatu quinto Augustini super Joannem, ubi legitur tamquam explicatio illius verbi Joannis VIII, 44 : « qui loquitur mendacium de suo loquitur. Qui loquitur veritatem de Deo loquitur ». Longius nobis esset ex contextu explicationem illius canonis referre, nam Augustinus longas dissertationes de missione Patris et Filii hoc loco habet, disputationes quæ ad nostri canonis intelligentiam nihil faciunt ; sed in alio loco S. Augustinus sese repetit dicendo : « cum vivit homo secundum veritatem, non vivit secundum seipsum sed secundum Deum ; Deus est enim qui dixit : Ego sum veritas. Cum vero vivit secundum seipsum h. e. secundum hominem, non secundum Deum, profecto secundum mendacium vivit...., quia homo ita factus est rectus, ut non secundum seipsum sed secundum eum, a quo factus est, viveret, i. e. illius potius quam suam faceret voluntatem ; non autem ita vivere, quemadmodum factus est ut viveret ; hoc est mendacium » (3). Nihil clarius : homo factus est ut viveret vita supernaturali : non vivere hac vita supernaturali est mendacium ». S. Prosper etiam docet ea quae apud infideles landabilia fiunt, non esse *virtutes*. *Contra Collatorem*, c. XIII, n. 5. P. L. t. LI, col. 250.

Conclusio stat : contra Pelagianos et Semi-pelagianos Ecclesia non definivit hominem absque ulla gratia non posse facere ullum opus moraliter bonum ; proinde non sibi contradicit asserendo, contra Baium, liberum arbitrium, absque gratiæ adjutorio, aliquid boni moraliter posse perficere.

Corollarium. *Ergo non omnia infidelium et peccatorum opera sunt peccata.*

65. *Corollarium : Non peccata sunt omnia opera infidelium ;*

a) De *infidelibus* facile intelligitur assertum : fides enim supernaturalis non requiritur ut homo cognoscat præcepta naturalis legis, nec ut rectam habeat in agendo intentionem. Inde dicit Apostolus : « Cum enim gentes quæ legem, (sc. mosaïcam) non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex : qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, et inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus... » (4). Docet igitur Apostolus homines *infideles* posse opera moraliter bona facere. — Non autem dicit illa opera fieri *absque gratia :* negandum non est dari posse, ante fidem auxilium gratiæ ut fiant opera bona ; ideoque non est

(1) In eodem sensu dicitur in opere *Indiculus de gratia Dei* (an. 431) : « Cap. 7. Quod nemo, nisi per Christum, libero *bene* utatur arbitrio ». *Enchir.*, n. 133.

(2) *O. c.*, 378.

(3) *De civitate Dei*, XIV, n. 4.

(4) *Rom.* II, 14. « Quando nempe gentiles, qui legem Moysis non habent, natura duce præcepta legis naturalis observant, tunc ejusmodi homines, qui Legem non habent, sibimetipsis sunt lex, quippe qui, eo ipso quod ita agant, factis ostendant mandata Legis in cordibus suis scripta esse ; atque illud etiam una cum opere externo testatur ipsorum conscientia, in qua oriuntur tot cogitationes diversæ, quæ nunc eos accusant cum malum fecerint, nunc vero eos approbant ubi recte egerint ». VAN STEENKISTE. in h. l.

adhibendum prædictum testimonium ad demonstrandam propositionem quæ dicit hominem posse solis naturæ viribus facere opera moraliter bona (1).

Ex traditione quædam notatu digna habentur testimonia. *S. Hieronymus :* « Ex quo perspicuum fit, inquit, natura omnibus inesse Dei notitiam, nec quemquam sine Christo nasci, et non habere semina in se sapientiæ et justitiæ reliquarumque virtutum : unde multi absque fide et Evangelio Christi vel sapienter faciunt aliqua vel sancte, ut parentibus obsequantur, ut inopi manum porrigant » (2).

S. Gregorius Nazianzenus : « Ut multi ex nostris (Christianis) nobiscum non sunt, quos scilicet a communi corpore vita removet : sic contra multi exterorum (ethnicorum) ad nos spectant, quicumque nimirum fidem moribus antevertunt, ac solo nomine carent, cum rem ipsam teneant, nempe virtutes quasdam Christianis commendatas exerceant » (3).

Etiam damnata fuit hæc Baii propositio 25 : « Omnia opera infidelium sunt peccata et philosophorum virtutes sunt vitia » (4).

66. nec peccatorum.

b) *De peccatoribus,* nempe de illis qui peccati mortalis personalis reatu obstringuntur, omnia valent quæ suprà in demonstratione propositionis diximus. Nec dici potest hominem, sive fidelem, sive infidelem, qui versatur in habituali aversione a Deo, necessario peccare in omnibus quæ agit dum est in hoc statu. Nam hominis, quamdiu hac in terra vivit, voluntas participat mobilitatem corporis corruptibilis et ideo quandoque adhæret Deo, vero ultimo fini, quandoque creaturæ, avertendo se a Deo (5). Ideo homo, in statu peccati mortalis degens, et consequenter habitualiter aversus a Deo (6), potest naturaliter se iterum ad Deum convertere ; etiam, licet hanc non habeat explicite intentionem, potest ob bonum finem proximum facere aliquid boni ; et tunc ille actus est moraliter honestus (7). Nec semper in peccatore

---

(1) Notamus cum VAN NOORT, *De gratia,* n. 20 : Licet in S. Scriptura, nonnulla opera honesta de infidelibus memorentur (e. g. *Exodi* I, 20; *Matth.* V, 46 ss.; *Rom.* II, 14) non diserte additur illa opera absque gratia facta esse, unde saltem longior disquisitio necessaria esset ad propositionem suprà relatam ex iis locis probandam.

(2) In epist. ad Galatas, c. 1.

(3) *Oratio* 18, n. 6.

(4) *Enchir.,* n. 1025.

(5) Cf. BILLOT, *De natura et ratione peccati personalis,* thes. VII, p. 88.

(6) « Cave ne confundas peccatum habituale... cum habitibus vitiosis qui ex frequentatione actuum peccati generantur. Differt enim ab eis, quantum ad causam, et quantum ad essentiam, et quantum ad effectus. Quantum ad causam, quia peccatum habituale consequitur quemlibet actum peccati ; habitus vitiosus non causatur nisi ex repetitione peccatorum eiusdem speciei. Quantum ad essentiam, quia habitus vitiosus est quædam physica dispositio in potentiis animæ, quæ ad actum peccati concurrunt, subiectata : peccatum vero habituale nihil physicum in anima ponit præter gratiæ privationem. Quantum ad effectus, quia peccatum habituale facit hominem damnationi obnoxium, dum e contra contingere potest ut nihil damnationis sit in eo qui adhuc multis habitibus vitiosis implicatur ». BILLOT, *o. c.,* p. 61.

(7) Cf. CAJETANUS, *In Sum. theol.,* 1-2, q. 109, a. 2.

actualiter dominatur concupiscentia, nec proinde adest semper difficultas recte agendi.

Damnata est hæc Baii propositio 40 : « In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati » (1).

67. Scholion ; 1) adimpletio legis quoad substantiam operum, et quoad modum salutarem.

Scholion. 1. Demonstravimus hominem, in præsenti statu naturæ lapsæ, posse solis naturæ viribus perficere quædam opera bona moraliter et sic adimplere præcepta, distributive sumpta, legis naturalis ; illi actus, in se spectati, sunt id quod præcipitur a lege vel id ad quod movet virtus acquisita (naturalis), inde illi actus sunt realiter virtuosi, v. gr., actus veræ obedientiæ, temperantiæ, justitiæ ; illi vero non sunt salutares. Ad hanc exprimendam differentiam distinguit S. Thomas inter *substantiam* actus et *modum* ejus et docet ab homine posse naturaliter adimpleri præcepta legis naturalis *quoad substantiam operum,* non vero *quoad modum* quo fieri debent ut sint *salutares.* « Implere mandata legis contingit dupliciter. Uno modo quantum ad substantiam operum, prout scilicet homo operatur justa et fortia et alia virtutis opera... Alio modo possunt impleri mandata legis, non solum quantum ad substantiam operis, sed etiam quantum ad modum agendi, ut scilicet ex charitate fiant » (2). Hæc distinctio bene consideranda, quippe quæ postea iterum erit perpendenda (3), fuit approbata ab ipso Ecclesiæ Magisterio damnante hanc Baii propositionem 61 : « Illa doctorum distinctio, divinæ legis mandata bifariam impleri : altero modo, quantum ad præceptorum operum substantiam tantum ; altero, quantum ad certum quemdam modum, videlicet secundum quem valeant operantem perducere ad regnum æternum (h. e. ad modum meritorium) commentitia est et explodenda » (4).

68. 2) Tentationibus, saltem levioribus, absque gratia, resistere potest homo.

2. Ex hoc quod suprà diximus etiam sequitur hominem solis naturæ viribus posse resistere quibusdam *tentationibus,* saltem

---

(1) *Enchir.,* n. 1040.

(3) 1-2. q. 109, a. 4. Ad hæc ultima verba explicanda optime scribit SCHIFFINI, *De gratia,* n. 94, p. 138 : « Hic loquendi modus usurpatus a S. Thoma, quo opus quodpiam dicit ex caritate fieri, non significat influxum quemdam actualem (formalem aut virtualem) ipsius caritatis in opus, sed generalem illam perfectionem, quam virtutes habent caritate formatæ. Sunt autem eiusmodi tum virtutes morales infusæ, tum fides et spes iustificatorum. Dicitur autem caritas forma ceterarum virtutum, ut idem s. Doctor exponit (2-2, q. 23, a 8), eo quod per caritatem ordinantur actus omnium aliarum virtutum ad ultimum finem. Quæ ordinatio illud non exigit, ut opus formali aut virtuali intentione ad summum bonum actu referatur ».

(3) Nominatim quando explicandum erit in quo consistat *supernaturalitas* actus. Cf. CAJETANUS, in 1-2, q. 109, a. 4 ; q. 112, a. 5 ; MOLINA, *Concordia,* in quæst. XIV, a. 13 disput. VII, XIV, XXXVIII. XL ; BILLOT, *De virtutibus infusis,* p. 78 ss.

(4) *Enchir.,* n. 1061. Etiam damnata est hæc propositio 62 : « Illa quoque distinctio qua opus dicitur bifarium bonum, vel quia ex objecto et omnibus circumstantiis rectum est et bonum (quod moraliter bonum appellare consueverunt) vel quia est meritorium regni æterni, eo quod sit a vivo Christi membro per spiritum caritatis, rejicienda est ». *Ibid.,* n. 1062. Eadem distinctio impugnata fuerat a Luthero : cf. *Collat. Brug.,* t. XVII, p. 696.

levioribus, illasque vincere victoria omni modo honesta. Inde damnata est hæc Baii propositio 30 : « Fures ii sunt et latrones... qui docent... tentationi ulli, sine gratiæ (Christi) adjutorio resistere hominem posse, sic ut in eam non incidat, aut ab ea non superetur » (1).

69. Triplex de tentationibus victoria.

Triplex distingui potest de tentationibus victoria : « 1° *Vitiosa* erit, quum quis tentationem ad peccatum vincit alio peccato : quum e. g. avarus tentationem ad ebrietatem vincit amore vitioso pecuniæ. 2° *Salutaris* erit, quum resistentia fit adjuvante gratia supernaturali, quæ ipsam hanc resistentiam et victoriam elevat ad ordinem salutis eamque meritoriam reddit. Talis esset victoria, qua quis ex motivo fidei vinceret tentationem ad ebrietatem. 3° Præcise *honesta* et naturaliter moralis erit victoria, quum quis sine gratia supernaturali ex motivis naturalis honestatis tentationi resistit. De hac ultima igitur victoria agimus, quum statuimus, leves tentationes sine gratia vinci posse » (2).

70. Gratiam esse necessariam ut homo in statu naturæ lapsæ possit totam legem, etiam naturalem, observare: explicatur

PROPOSITIO SECUNDA. *Homo lapsus sine auxilio gratiæ laborat impotentia morali ad totam legem naturalem adimplendam.*

Est conclusio *theologice certa.*

Nota. Hanc assertionem proposuimus qualem plerique theologi recentiores propugnant. Sed s. Augustinus, necnon patres in conciliis habitis contra Pelagianos, etiam veteres scholastici, non distinguebant, quoad rem praesentem, inter praecepta *legis naturalis* et praecepta per *legem gratiae* superaddita, et docebant hominem non posse absque gratiae auxilio observare omnia mandata. Haec assertio est *de fide,* quippe quae fuit definita in concilio Carthaginiensi: cf. *Enchir.,* n. 105. Attamen ex hac doctrina logice sequitur etiam auxilium gratiae requiri ad solius naturalis legis observationem quoad substantiam operum per notabile tempus (3).

Explicatio.

Homo lapsus intelligitur generis humani individuum, naturali generatione ab Adamo descendens, et supponitur sufficientem totius legis naturalis habere cognitionem (4).

---

(1) *Enchir.,* n. 1030. Cf. S. BONAVENTURA, in II, dist. XVIII, a. 2, q. (t II, p. 684).

(2) JUNGMANN, *De gratia, n.* 129. De opinione Vasquezii, cf. quae scripsimus ap. VACANT-MANGENOT, *Dict de théol. cath.* art. *Grâce,* col. 1581 ss.

(3) Cf. HUGON, Hors de l'Eglise point de salut, p. 135 ss. ; card. BILLOT, *De gratia,* p. 69 s.

(4) « Nota bene quod cum de possibilitate observantiæ totius legis agitur, prout requiritur ad hoc ut peccatum non committatur, semper sermo est de his qui legem in sua integritate cognoscunt. Ab aliis enim, utique bene multis, quorum scientia ad sola prima principia legis naturalis se extendit... in tota hac disputatione ubique præscindetur. Et merito quidem. Nam etsi habeant isti longe maiorem facilitatem observandi legem ex suis naturalibus, prout requiritur ad hoc ut formale peccatum non committatur : tamen hæc eorum facilitas tota est ratione ignorantiæ. Juvat certe in iudicio Dei ; debet quoque venire in considerationem, cum sermo est de providentia et de potestate unicuique data vitandi reatum æternæ damnationis ; sed nullius momenti est, cum de potentia seu viribus liberi arbitrii quæstio agitatur. Idcirco, de possibilitate vel impossibilitate vitandi peccatum nunc loquentes, semper

Lapsus dicitur homo quia Adam, caput generis humani ab illo ortum ducentis, legem Dei transgressus, non sibi solum sed et omnibus suis posteris, dona tum supernaturalia, tum præternaturalia amisit quæ Deus illi infuderat. Unde genus humanum a pristino statu delapsum est. Et sane omnis homo, nisi speciali Dei privilegio gaudeat, nascitur privatus gratia sanctificante et aliis donis cum ea connexis, et ideo homo est natura filius iræ ; præterea orbatus est immunitate, a malis physicis, a concupiscentia, ab ignorantia. Quamquam hæc omnia dona naturæ erant indebita, tamen consequenter ad illorum amissionem obruitur homo nunc multis malis tum in ordine morali, tum in ordine physico ; unde in miserrima versatur conditione. Tamen ablatione donorum non essentialiter corrupta est humana natura : ipsi enim « nec ablatum est aliquod principium ad bene operandum secundum se naturæ conveniens, nec adjunctum aliquod contrarium principium impeditivum bonarum actionum » (1).

Laborat *impotentia morali,* h. e. tot et tantæ occurrunt ad observandam legem naturalem difficultates ut de facto homo sine auxilio gratiæ, hanc legem non observet. V. suprà, n. 31.

Ad totam legem naturalem adimplendam, h. e. ad *omnia* præcepta *collective* sumpta et inspecta relate ad obligationem quæ *per longum tempus* protrahitur. Non enim datur impotentia moralis ad observanda singula præcepta distributive sumpta, nec ad adimplenda omnia per breve tempus.

Agitur nunc de legis observatione quæ dicitur *quoad substantiam,* id est quantum exigit naturalis honestas, non autem quoad modum h. e. ita ut conducat ad salutem æternam consequendam. Præterea impotentia moralis quam adstruimus, est vitandi *peccata mortalia,* non venialia tantum : ita enim in documentis Ecclesiæ describuntur homines incapaces ad præcepta adimplenda ut concludendum sit talibus legis transgressionibus excludi homines ab æterna vita : quod de solis mortalibus valet peccatis. — Duratio per quam homo lapsus manere potest immunis a peccato mortali definiri nequit : pro diversitate adjunctorum alius diutius alio difficultates vincet : non tamen homo potest per longum tempus h. e. per annos, forsitan per menses, sine Dei adjutorio, observare totam legem naturalem.

Demonstratio.

71. et demonstratur.

EX S SCRIPTURA.

« Quid ergo dicemus ? Lex peccatum est ? Absit. Sed peccatum

---

consideramus liberum arbitrium *in normali conditione cognitionis Dei et totius legis eius* ». BILLOT, *De gratia,* p. 58, in nota.

(1) CASAJOANA, *o. c.,* vol. IV, p. I, disq. IV, n. 49. Cf. *Collat. Brug.,* t. II, p. 215 ss., t. X, p. 462 ss.

non cognovi nisi per legem : nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret : Non concupisces. Occasione autem accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam. Sine lege enim peccatum mortuum erat. Ego autem vivebam sine lege aliquando. Sed cum venisset mandatum, peccatum revixit. Ego autem mortuus sum : et inventum est mihi mandatum, quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem. Nam peccatum occasione accepta per mandatum, seduxit me et per illud occidit... Scimus enim, quia lex spiritualis est : ego autem carnalis sum et venumdatus sub peccato. Quod enim operor non intelligo. Non enim quod volo bonum hoc ago : sed quod odi malum, illud facio. Si autem quod nolo, illud facio : consentio legi, quoniam bona est. Nunc autem jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Scio enim quia non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum. Nam velle adjacet mihi : perficere autem bonum non invenio. Non enim quod volo bonum hoc facio : sed quod nolo malum hoc ago. Si autem quod nolo, illud facio : jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Invenio igitur legem volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum adjacet : condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem : video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ et captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. — Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei (*Χαρις τῳ Θεῳ*) (1) per Jesum Christum Dominum nostrum. Igitur ego ipse mente servio legi Dei ; carne autem, legi peccati. Nihil ergo nunc damnationis est iis qui sunt in Christo Jesu... Lex enim spiritus vitæ in Christo Jesu liberavit me a lege peccati et mortis » (2)

Integer S. Pauli textus est perpendendus ut appareat doctrina quam hîc tradere intendit. Notemus imprimis S. Paulum hîc loqui non tantum proprio nomine et propriam sibi describere experientiam sed *agere personam omnis Judæi,* qui et quatenus est *sub lege Mosaïca constitutus,* nondum regeneratus in Christo (3).

---

(1) Cf. CORNELY, *Commentarius in h. l.*

(2) *Rom.*, VII, 7-VIII, 2.

(3) « Que Paul parle d'expérience, qu'il évoque le douloureux souvenir d'impuissantes luttes et d'humiliantes défaites, c'est possible, probable même, tant son accent est poignant d'émotion. Mais il ne se met pas seul en scène et tout le monde convient que le moi dont il fait usage est fictif en quelque mesure. Joue-t-il le rôle du juif harcelé par la loi et conscient de sa faiblesse, ou celui du chrétien régénéré par la grâce, mais toujours importuné par la nature ? A partir des controverses pélagiennes, Augustin se fit le champion de la seconde hypothèse qui, grâce à lui, a trouvé chez les scolastiques de nombreux adhérents, auxquels se joignirent plus tard les coryphées du protestantisme... Que les paroles de l'Apôtre puissent en quelque manière s'appliquer au juste lui-même, on l'accordera aisément à Saint Augustin qui n'en demande pas davantage. Mais ce n'est pas la question. Nous cherchons la vraie pensée de Paul et tout le contexte nous crie, de la première à la dernière ligne, que le moi représente l'homme aux prises avec la concupiscence sous le régime de la loi et succombant dans cette lutte inégale. Telle était l'opinion

Porro docet S. Paulus : 1°) Lex Mosaïca, licet in se bona, fuit tamen de facto occasio peccati et mortis, ita ut Judæus, sub hoc regimine, qua tali, constitutus, fuerit servus peccati, venumdatus sub peccato ; 2°) ratio illius pessimæ captivitatis est quia homo carnalis est : licet inefficaci voluntate velit bonum operari, tamen a carne ad malum impellente vincitur et illius interioris pugnæ — quam vivido modo describit S. Paulus — exitus est ut homo sit captivus sub dominatu concupiscentiæ; 3°) ab illo statu liberatur Judæus sola gratia Christi, qua valet bonum operari, quod non poterat sub regimine legis Mosaïcæ, qua talis.

Hoc posito sic ratiocinandum : Si Judæus, sub regimine legis Mosaïcæ, non potest (saltem per longum tempus) observare legem, etiam gentilis, nondum in Christo regeneratus, non potest, absque Dei gratia, observare, saltem per longum tempus legem naturalem ; atqui Judæus non potest... uti docet Apostolus ; ergo. — Quoad nexum inter conditionem et conditionatum, notemus : ratio propter quam, secundum Apostolum, nequit Judæus abstinere a peccato mortali est concupiscentiæ vigor et infirmitas voluntatis oppositæ : atqui eadem ratio valet pro omni homine post peccatum originale.

Objectiones. *72. Objectiones.*

1°. Testimonium S. Pauli, suprà allatum, posset sic explicari quod impotentia, qua laborat Judæus, ad observandam legem Mosaïcam, provenit ex speciali difficultate propter præcepta quæ huic legi sunt propria, et non habentur in lege naturali.

R. Negandum. Nam in hoc testimonio, nullo modo innuitur illa distinctio, quam cœteroquin nunquam facit S. Paulus (1). Præterea loquitur nominatim de hoc præcepto : Non concupisces : quod ad legem naturalem pertinet.

2°. Apostolus (*Rom.* II, 14) docet gentes naturaliter ea quae legis sunt facere ; ergo non requiritur donum supernaturale, seu gratia, ad observandam legem naturalem.

R. Negatur consequentia et consequens. Etinim a) non probabile est vocabulo *naturaliter* significari *absque gratia* vel absque dono interno supernaturali. Nam Apostolus, in loco citato, non agit de necessitate gratiæ, sed de observatione legis naturalis ab hominibus ethnicis, qui non cognoscunt legem mosaïcam. Opponit nempe Judæos et Paganos sub respectu cognitionis legis : Judæi, per legem mosaïcam, et proinde per *divinam revelationem* cognoscunt quàe ab ipsis observanda sunt ; Pagani vero, qui revelationem divinam non cognoscunt, *naturaliter,* h. e.

---

unanime des Pères avant Saint Augustin et telle est de nouveau l'opinion commune des exégètes. Seule elle rend compte d'expressions qui seraient plus qu'étranges dans la bouche d'un juste sous la loi de grâce ». PRAT, *La théologie de S. Paul.*, p. 316 s. Cf. TOBAC, *Le problème de la justification dans saint Paul,* p. 102 ss.

(1) Cf. PRAT, *o. c.*, p. 320

duce naturali lumine rationis, et percipiunt quae facienda sunt et porro de facto legis praecepta observant, ideoque « ipsi sibi sunt lex » (1). Apostolus igitur nec affirmat, nec negat ethnicos *per gratiam,* ea quae legis sunt facere.

b) Etiamsi supponeretur vocabulo *naturaliter* significari *absque gratia,* nihil ex hoc posset concludi contra doctrinam de necessitate gratiae ad observandam legem naturalem. Nam Apostolus non doceret, in hac hypothesi, hominem ethnicum, *absque gratia,* observare *totam* legem naturalem et per longum tempus, sed doceret ethnicos quosdam de facto observare saltem quædam praecepta legis naturalis, absque gratia (2). Quod non contradicit thesi propositae.

73. **Nota**. Non valet argumentum quod quandoque desumitur ex his verbis: « Ut scivi quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det, et hoc ipsum erat sapientiæ, scire cujus esset donum : adii Dominum et deprecatus sum illum » *Sap,* 8, 21. Non agitur hic de virtute temperantiæ, nec de impotentia hominis ad continentiam in genere castitatis (3).

74. Quoad Traditionem. **Quoad traditionem.** Licet Patres antiqui, quando docebant necessitatem gratiae ad observanda praecepta, non discernerent inter legem *mere naturalem,* et legem *christianam,* quæ nunc de facto est observanda, tamen quando affirmant hominem non posse observare mandata, nec tentationibus resistere, nec vitare peccata, absque auxilio gratiæ, quia *infirma et insufficiens* est voluntas humana, implicite docent non posse homines, solis naturæ viribus, adimplere, per totam vitam, totam legem mere naturalem : non enim habetur specialis difficultas in adimplendis præceptis Christi, *quoad substantiam operum,* ita ut ex hoc solo capite statueretur impotentia hominis ad vitanda peccata. Sensu exposito intelligenda sunt quæ habet Innocentius I scribens contra Pelagianos : « Negantes (Pelagiani) ergo auxilium Dei, inquiunt hominem sibi posse sufficere, nec gratia hunc egere divina, qua privatus necesse est diaboli laqueis irretitus occumbat, dum ad omnia vitæ mandata, sola tantummodo libertate contendat. O pravissimarum mentium perversa doctrina ! Advertat id tandem quod primum hominem ita libertas ipsa decepit, ut, dum indulgentius frenis ejus utitur, in prævaricationem præsumptione conciderit, nec ex hac potuit erui, nisi providentia regenerationis, statum pristinæ libertatis Christi Domini reformasset adventus... » (4). — Hinc in concilio Carthaginensi statuitur : gratiam Dei per Jesum Christum non tantum nos adjuvare ut *cognoscamus* quid appetere et quid vitare debea-

---

(1) CORNELY, *Commentarius in epistolam ad Romanos,* p. 139 ; PRAT, *La théologie de saint Paul,* I P., p. 270, 277 s.

(2) Hoc confirmatur hac animadversione: « Il est donc oiseux de se demander si les Gentils, sans le secours de la grâce, ont observé peu ou beaucoup de préceptes de la loi naturelle. N'en eussent ils observé qu'un seul, avec ou sans le secours de la grâce, ils auraient montré qu'ils la connaissaient. Ce n'est pas une affaire de plus ou de moins et le rôle de la grâce n'est pas ici en question ». PRAT, *o. c.,* p. 271. Cfr. *Collat. Brug.,* t. XVIII, p. 287 ss.

(3) « Voor het *continens* van de Vulgaat heeft de grondtekst het woord ἐγκρατής, dat wij hier met Menochius en vele anderen overzetten door *compos,* scil. *sapientiæ,* waarvan hier gesproken wordt ». BEELEN, *o. c., Het boek der wijsheid,* bl, 30.

(4) *Epistola* (an 417) *ad Patres concilii Milevitani* Inter epistolas S. Augustini epist. 182, alias 93.

mus, sed per illam dari ut *valeamus* facere id quod faciendum cognoverimus, præterea hanc eamdem gratiam nobis dari non ut *facilius* possimus adimplere, quæ debemus, sed ut simpliciter possemus adimplere mandata divina (1).

S. Thomas demonstratam doctrinam sic enuntiat : « In statu naturæ corruptæ etiam deficit homo ab hoc quod secundum suam naturam potest, ut non possit totum hujusmodi bonum (h. e. bonum suæ naturæ proportionatum) implere per sua naturalia » (« In statu naturæ corruptæ non potest homo implere omnia mandata divina sine gratia sanante » (3).

Scholion I. ULTERIOR EXPLICATIO PROPOSITIONIS.

75. Scholion I: ulterior propositionis explicatio: a) de indole impotentiæ moralis,

Quum demonstratum sit hominem, absque auxilio gratiæ, laborare impotentia morali ad observandam totam legem naturalem, ulterius nunc inquiritur : 1° de indole hujus impotentiæ moralis ; 2° de auxilio quod requiritur ad illam tollendam ; 3° de speciali quadam difficultate.

1. *De indole impotentiæ moralis.*

Moralis impotentia quælibet sequitur ad difficultatem quæ ad aliquid faciendum vel omittendum occurrit. Difficultatis porro occurrentis in observatione præceptorum legis naturalis origo, in ipso homine considerata, vel, uti dici potest, phychologica, est *concupiscentia.*

Nomine *concupiscentia,* sensu stricto et proprio intelligitur habitualis inordinatio appetitus *sensitivi* et principalius in parte *concupiscibili* (4) : quæ concupiscentia sic describitur a S. Thoma : ipsa pronitas vel habilitas ad concupiscendum, quæ est ex hoc quod vis concupiscibilis non perfecte subditur rationi, sublato freno originalis justitiæ » (5). Attamen ex inordinatis motibus in appetitu sensitivo exsurgunt, mediante phantasia et intellectu, etiam motus inordinati in *voluntate* (6). Nostræ autem facultates appetitivæ, statim ac objectum ipsis conveniens proponitur, illud appetunt ; illi motus præveniunt rationis judicium. Sed passim accidit ut illi motus seu passiones trahant voluntatem ad volendum aliquid quod est contra legem naturalem (de hac sola lege nunc loquimur). Ideo necessitas existit cujusdam continuæ pugnæ voluntatem inter et concupiscentiam (7). Hæc autem vehemens et continua pugna tam laboriosa est ut homo, gratiâ destitutus, non possit,

(1) Cf. *Enchir.*, n. 104, 105.
(2) 1-2, q. 109, a. 2.
(3) L. c., a. 4. Cf. SUAREZ, *De Gratia.* L. I, c. 26, n. 12. Quoad alios theologos, cf PALMIERI, *o. c.*, thes XX, p. 95 ; cf. etiam BILLOT. *De gratia,* p. 58 ss.
(4) Cf. S. THOMAS, *Sum. theol.*, 1-2, q. 30, a. 1 ; q. 82, a. 3 ad 2.
(5) *De Malo,* q. 4, a. 2, ad 4. *Actualis* concupiscentia est ipse inordinatus motus appetitus.
(6) Inde nomine *concupiscentia* non raro intelligitur inordinatio habitualis appetitus tum *sensitivi* tum *intellectivi.*
(7) Cf. *Palmieri, o. c.,* thes. XXIX, n. VII.

saltem post longum tempus, non vinci et in peccatum mortale non labi.

Igitur, ut cæteroquin omnium experientia notum est, in hac pugna jacet difficultas observandi legem naturalem, et ideo impotentia moralis, de qua sermo est, originem habet in concupiscentia.

Porro concupiscentia actualis, seu ipse motus quo homo attrahitur ad malum morale committendum, est *tentatio* passive spectata (1). Unde quum, ut supra exposuimus, moralis impotentia qua laborat homo ad observandam legem naturalem consistat in difficultate resistendi concupiscentiæ excitatæ et trahenti ad malum morale, ideo bene concludimus : homini habenti usum rationis occurrunt tentationes tam graves contra legem naturalem, ut sine auxilio gratiæ eas diu non possit honeste superare. Quapropter omnino adhæremus huic conclusioni. « Minus bene videtur hæc doctrina proponi hoc modo : *Homo sine auxilio gratiæ non potest vincere ullam tentationem gravem.* Si enim ita proponitur, annexam habet hanc difficultatem, quid sit tentatio gravis, ad quam quæstionem vix aliud dari potest responsum, nisi tentationem gravem esse eam, quæ homini tantam difficultatem parit, ut eam sine gratia moraliter superare nequeat. Sic autem explicata thesis tautologiam continet. Si vero quis vult describere tentationem gravem non ex effectu sed ex interna ejus natura, eam tali modo describet, ut jam non possit thesin suam ex fontibus revelationis probare, quippe in quibus nullæ ejusmodi descriptiones et distinctiones variarum tentationum inveniantur. Quare mirum non est quod multi theologi thesin ita propositam aut negarunt aut in dubium vocarunt » (2).

76. b) de gratiæ auxilio quod requiritur.

2. *De auxilio gratiæ quod requiritur ut possit homo observare legem naturalem.*

a. Si *rei natura,* scilicet legis naturalis observatio consideratur sola, sequitur nec gratiam sanctificantem, nec fidem, nec motionem entitative supernaturalem esse necessariam : agitur enim de re naturali ad quam vis naturæ sufficit. Præterea non repugnat dari gratiam mere sanantem, auxilium nempe intrinsece naturale (3)

---

(1) Tentatio, active spectata, est actio qua excitatur inordinatus motus appetitus ; et illa actio exercetur vel per res sensibiles quæ nos circumdant et quæ, utpote objecta appetitus sensitivi, nos alliciunt ad earum usum et fruitionem, vel per phantasiam quæ et ipsa objecta sensibilia aut sensibiles delectationes proponit, vel per pravos homines, exemplis nempe et suasione, vel per dæmones.

(2) PESCH, *Tractatus dogmatici,* t. V. n. 157.

(3) « Ejusmodi speciale auxilium esset adjutorium Dei per intellectus illustrationem et voluntatis motionem, distinctum a donis creationis et providentiæ ordinariæ. Auxilium tale foret naturale quoad substantiam : sed quum naturæ non per se insitum sit, ex principiis ipsius non fluat, nec ab ea physice exigatur, a Deo vero concedatur propter merita Christi et ad finem supernaturalem dirigatur, gratia quoad modum supernaturalis appellari potest ». JUNGMANN, *o. c.,* n. 132.

quo homo pro variis in quibus versatur difficultatibus roboretur a Deo. His omnibus rationibus non repugnat ut homo, non quidem sine auxilio Dei, sed sine gratia supernaturali observet per longum tempus legem naturalem.

b. Si vero consideratur *id* quod *de facto* habetur in præsenti Providentiæ ordine, nempe si quæratur quodnam gratiæ auxilium requiratur ut homo nunc de facto valeat observare per longum tempus totam legem naturalem, respondemus videri requiri imprimis *ipsam gratiam sanctificantem,* cum donis eidem annexis (1). (Præsupponimus nunc id quod postea demonstrabimus, dari nempe et gratiam habitualem et gratias actuales). Sequimur porro sententiam S. Thomæ (2). Hæc suadetur ipsa doctrina S. Pauli qua demonstrata fuit impotentia moralis ad observandam legem naturalem. Et sane Apostolus dicit hominem a statu, in quo propter infirmitatem carnis nequit observare legem, liberari gratia, quam Christus attulit per suam Incarnationem, et qua lex tota potest impleri (3) : jamvero menti Apostoli magis conforme videtur hoc intelligi quod, in præsenti humani generis conditione, non liberatur homo a servitute peccati, nisi per gratiam qua justificatur in Christo et quæ proinde complectitur sanctificantem gratiam. Hoc iterum et magis suadetur quibusdam Ecclesiæ documentis : ex can. 5 concilio Milevitani : « Placuit ut quicumque dixerit, ideo nobis *gratiam iustificationis* dari, ut quod facere per liberum iubemur arbitrium, facilius possimus implere per gratiam, tanquam et si gratia non daretur, non quidem facile, sed tamen possimus etiam sine illa implere divina mandata, anathema sit » (4). Item ex can. 13 concilii Arausicani : « Arbitrium voluntatis in primo homine infirmatum, *nisi per gratiam baptismi* non potest reparari ; quod amissum, nisi a quo potest dari, non potest reddi. Unde Veritas dicit : si vos Filius liberaverit, tunc vere liberi eritis » (5). Utrobique necessitas adstruiter gratiæ iustificationis, sive gratiæ baptismi, quæ profecto habitualis gratia est.

77. Quoad intrinsecam rei rationem, ut clarius proponatur argumentum duplex distinguenda est hypothesis : α) status hominis adulti qui commisit peccatum mortale personale, quod nondum retractavit ; β) status hominis adulti qui solo originale peccato inficeretur (6).

---

(1) Requiri insuper gratias actuales omnino admittimus : de hac re sermo erit ubi de perseverantia justi. Ad præsentem quæstionem solvendam non datur controversia de actualibus gratiis.

(2) Cf. 1-2, q. 109, a. 8 ; *De veritate,* q. 24, a. 2 : CAJETANUS in 1-2, q. 109, a. 8 ; SCHIFFINI, *o. c.,* n. 98, IV ; HUGON, in *Revue Thomiste,* 1905, t. XIII, p. 554 ss. ; BILLOT, *De virtutibus infusis,* thes. VII, p. 71 ; *De gratia,* p. 32, 58.

(3) *Rom.,* VII, 24-VIII, 4.

(4) *Enchir.,* n. 105.

(5) *Ibid.* n. 186.

(6) S. Thomas hanc duplicem hypothesim non distinguit quia, secundum ipsum,

α) Homo in statu peccati mortalis personalis constitutus, positive inclinatur ad finem malum, nempe ad commutabile bonum (creaturam) oppositum incommutabili bono, quod est ipse Deus ; ideo in omni peccato mortali realiter (licet non formaliter) amat se ipsum homo usque ad contemptum Dei (1). In hoc porro statu, occurrentibus multis magnisque tentationibus, homo non diu resistit illis, sed iterum succumbit pondere illius amoris inordinati sui : quamdiu igitur non aufertur illa, ut sic dicam, radicalis inordinatio in voluntate, tamdiu remanet moralis necessitas peccandi interdum mortaliter. Jamvero, in præsenti Providentiæ ordine gratiæ auxilium quod præcise destinatur ad hanc tollendam inordinationem est charitas, quæ in gratia sanctificante radicatur ; ergo in præsenti Providentiæ ordine, auxilium requisitum ad tollendam impotentiam moralem, de qua agimus, est gratia sanctificans cum donis eidem annexis.

β) Adultus nondum baptizatus, usum rationis jam adeptus potest, ut videtur, per aliquod tempus, vitare peccatum mortale personale ; sed quando totius legis naturalis sufficientem acquisierit cognitionem, tunc pugnæ illi, quam describit S. Paulus subjicietur et si gratia careat labetur in peccatum mortale : et ratio ultima cur non valeat tentationibus resistere est quia sua voluntas non firmo amore adhæret Deo, fini ultimo, vel bono honestatis, quod est proximum bonum virtutis, vel quia non sufficienter percellitur desiderio præmii futuri in altera vita vel timore pœnæ æternæ : jamvero in præsenti Providentiæ ordine, auxilia gratiæ quibus voluntas firmatur in amore ipsius Dei, vel in amore virtutis, vel in spe et timore circa sanctionem legis naturalis, sunt, de facto, dona annexa gratiæ sanctificanti : hæc igitur nunc necessaria sunt (2).

---

in præsenti humanæ naturæ conditione, non est medium pro adultis inter statum gratiæ et statum peccati personalis ; cf. *De veritate*, 1, c. ad 2um. Em. Card. Billot hoc interpretatur dicendo agi de adulto « *regulariter saltem loquendo*, ut præscindatur a casu adulti cui nondum facta esset propositio revelationis et finis supernaturalis ad quem evocamur. Qui casus, quantumvis frequens, est tamen præter normales conditiones quas supponit status naturæ per Christum reparatæ, quasque in præsenti disquisitione contemplamur » *De Virtutibus infusis*, p. 172.

(1) Cf. S. AUGUSTINUS, *De civitate Dei*, L. 14, c. 28.

(2) « Ils sont donc souverainement à plaindre les infortunés qui passent de longues années pour ne pas dire presque toute leur vie, en état de péché mortel, sans sacrements, sans confession, sans contrition ! On essaie vainement de se parer des perfections morales, on prétend bien à tort qu'on reste honnête homme tout en se passant du surnaturel ; non, il ne mérite pas le nom de vertueux quiconque est infidèle à quelque prescription du décalogue. Puisque l'observance intégrale des commandements suppose la justification, il faut appartenir par la grâce sanctifiante à l'âme de l'église pour être honnête homme dans le sens complet que réclame ce noble titre... De cette impuissance générale de l'homme pour le bien se dégage une conclusion très importante, à méditer longuement par tous ceux qui travaillent au relèvement de la société. Certes, elle mérite des éloges la vaillante jeunesse qui, pour mieux aller au peuple, fait appel à toutes les ressources de la civilisation et

Nec *objicias* quod, si ita est, apud infideles negativos, qui numquam audierunt Evangelii prædicationem, omnes adulti versantur semper in statu peccati mortalis : quia non possunt habere *fidem stricte dictam* quæ prærequiritur ut adultus justificetur et gratiam sanctificantem accipiat. Nam fides, stricte dicta, quæ necessitate medii requiritur ad justificationem, probabilius, non debet ferri nisi in duos articulos : nempe in existentiam Dei et ejus supernaturalem Providentiam, qua condonat et remunerat (1). Jamvero fieri potest ut illæ veritates, ut a Deo revelatæ, sufficienter conserventur per traditionem in populis et sic eas credere possint individui, adjuti interna Dei gratia actuali, et deinde, etiam gratia, eliciant actum charitatis perfectæ. Etiam potest ipse Deus, agendo in hominum mente, sese revelare sufficienter ut homines *credere* possint.

Inde forsitan explicari posset id quod dicit S. Thomas : « non est possibile aliquem adultum esse in solo peccato originali absque gratia ; quia statim cum usum liberi arbirii acceperit, si se ad gratiam præparaverit, gratiam habebit ; alias ipsa negligentia ei imputabitur ad peccatum mortale » (2). Nempe censet forsitan S. Doctor omni adulto, quando ad plenum liberi arbitrii usum pervenerit, aliquo modo manifestari veritatem supernaturaliter credendam necessitate medii, et illum gratiis actualibus moveri ad hoc credendum : quod si consentit, tunc se præparat ad ipsam justificationem et in hac via ad ipsam perveniet secundum modum plus minusve similem præparationi quæ describitur in concilio Tridentino (3).

78. c) de difficultate ex doctrina de libertate humana.

3. *Difficultas* autem nunc examinanda est quæ in hoc jacet quod moralis impotentia hominis ad observandam totam legem naturalem repugnare videtur veræ doctrinæ *de libertate humana.* Nomine libertatis hîc significatur activa voluntatis indifferentia qua potest ipsa *eligere,* h. e. unum recipere, alio recusato (4). Hanc libertatem relate ad bonum et ad malum morale competere homini etiam lapso est fide divina tenendum : quod sic definit concilium Tridentinum : « Si quis liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum et exstinctum esse dixerit, aut rem

---

à toutes les aspirations de l'âme moderne ; mais qu'on se garde bien d'oublier que la restauration de l'humanité ne se fera, comme l'a rappelé éloquemment S S Pie X, que par Notre-Seigneur Jésus-Christ : Instaurare omnia in Christo. Puisque notre nature ne peut être guérie que par la grâce surnaturelle, la vie pour les sociétés et pour les individus ne viendra que du Rédempteur » HUGON, in *Revue Thomiste,* t. c. p. 565, 572.

(1) Cf. BOUQUILLON, *De virtutibus theologicis,* Brugis, 1890, n. 168 ss ; ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, *Annotationes* in hunc tractatum, n. 168 ; BILLOT, *De virtutibus infusis,* thes. XIX. — Bene tamen notemus requiri *fidem divinam* proprie dictam, h. e. *intellectus adhæsionem* ad aliquid ut *verum propter auctoritatem ipsius Dei revelantis.* Non igitur sufficit ad explicandam salutem paganorum dicere : « les païens ont pu se former une idée suffisamment juste de la divinité » Cognitio mere naturalis non sufficit. Cf. HUGON, *Hors de l'Eglise point de salut.* Paris, 1907, ch. II-IV ; *Collat Brug.,* t. XII, p. 368 ss. ; PESCH, *Theologische Zeitfragen,* 5e Folge, p. 16 ss.

(2) *De veritate,* q. 24, a. 12 ad 2.

(3) Sess. 6, c. 6. *Enchir.,* n. 798. Cf. de his quæstionibus ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, *o. c.,* in *Collat. Brug.,* t. II, p. 177 ss. ; *Méditations théologiques.* t. I, p. 73 ss.

(4) Cf. S. THOMAS, *Sum. Theol.,* 1, q. 83, a. 3. Ad integram expositionem de libero arbitrio, cf. ILLmus AC REVmus WAFFELAERT *o. c.,* in *Collat. Brug.,* t. V. p. 366 ss.

esse de solo titulo, immo titulum sine re, figmentum denique a Satana invectum in Ecclesiam : A. S. » (1).

Uti docetur in morali philosophia ac theologia occurrunt quandoque homini quædam impedimenta ad actum liberum quæ, si adsunt, minuunt vel tollunt liberum : unde fit ut actus, qui natura sua sit graviter peccaminosus, evadat, propter minutam libertatem, leviter tantum, vel propter defectum omnis libertatis, nullo modo culpabilis. In præsenti quæstione agitur de actibus perfecte liberis qui cum plena advertentia et pleno consensu a voluntate procedunt. Quando enim affirmatur impotentia moralis hominis lapsi ad observandam per longum tempus totam legem naturalem, intenditur hominem lapsum, auxilio gratiæ destitutum, non posse per longum tempus abstinere a peccato mortali *formali.*

Difficultas, *in forma,* hoc modo proponi potest : quod est necessarium non est liberum. Atqui necessaria est trangressio legis naturalis pro homine lapso, secundum ea quæ supra exposita sunt. Ergo hæc transgressio non libera est, et consequenter non formale peccatum.

79. Solutio. Respondetur : Distinguo *majorem :* quod est necessarium *necessitate physica,* id non est liberum, *conc.;* quod est necessarium *necessitate morali, subd.,* si necessitas hæc ipsum actum determinate afficiat, *trans.;* si non ipsum determinate afficiat, sed solum aliquem actum indeterminate, id non est liberum, *nego.* Contradistinguo *minorem ;* transgressio legis naturalis est necessaria *necessitate physica, nego ;* transgressio legis naturalis est *necessaria necessitate morali, subd.:* necessitate morali quæ aliquam determinate transgressionem in individuo afficit, *nego ;* necessitate morali quæ solum aliquam transgressionem indeterminate afficit, *conc.*

Sub datis distinctionibus nego consequens et consequentiam, et breviter explico. Si adesset physica necessitas ponendi aliquem actum peccaminosum, nulla certe in illo actu foret libertas et consequenter nullum formale peccatum : libertas enim formaliter importat immunitatem a physica necessitate seu immunitatem ab intrinseca determinatione ad unum. Unde si quis cogitaret impotentiam hominis ad observandam legem naturalem in eo sitam esse, ut tales occurrant tentationes quæ, uno vel altero momento, necessario determinent hominem ad consentiendum peccato, ille physicam impotentiam et physicam necessitatem conciperet, eamdam nempe ac illa quæ viget ex. gr. pro oculo, qui, si objectum visibile ipsi sufficienter præsens est, non potest illud non videre ;

(1) Sess. 6, can. 5. *Enchir.,* n. 815.

talis certe necessitas excludit omne liberum et omne formale peccatum.

Altera habetur necessitas, nempe moralis, quæ fundatur in difficultate magna aliquid faciendi vel omittendi. Ut in concreto loquamur, applicemus hanc notionem ad subjectam materiam : quia nimis difficile est homini lapso observare per longum tempus totam legem naturalem, ideo de facto homo, gratia destitutus, hanc in hoc vel in illo præcepto aliquando non observat : hoc intenditur quando affirmatur necessitas moralis peccandi contra legem naturalem. Unde talis necessitas de se non tollit usum libertatis. Attamen ut clarius appareat quomodo moralis necessitas peccandi non tollat usum libertatis, et simul ostendatur quomodo voluntas humana remaneat essentialiter obligata ad legem naturalem (1), adducitur subdistinctio : necessitas moralis quæ determinate afficeret aliquem actum in individuo (puta peccaminosum), opponitur necessitati morali quæ omnino indeterminate se habet ad aliquem actum. Quoad priorem necessitatem plura occurrerent dicenda tum de ejus possibilitate, tum de modo quo salvaretur cum illa libertas, nec eadem forsitan ab omnibus daretur solutio, unde transmittitur hæc hypothesis : non enim verificatur in materia de qua agimus, tenemus enim necessitatem moralem peccandi qua laborat homo lapsus non respicere peccata quædam determinata sive ea abstracte et absolute spectentur, sive concrete et relative ad talem hominem in determinatis adjunctis (2).

Restat consideranda moralis necessitas indeterminate aliquem actum respiciens.

Hæc « eo redit ut propter infirmitatem habitualem humanæ naturæ, quæ prona est ad id quod non est conveniens rationi, fieri moraliter non possit longo tempore, ut semper libere voluntas adversetur inclinationi habituali naturæ » (3).

---

(1) Sponte enim exsurget nova difficultas ad conciliandam necessitatem, licet moralem peccandi, cum usu libertatis et obligatione legis naturalis. Quum enim homo ratione essentiæ suæ ad totam legem naturalem obligetur, requiritur ut vires naturales sint vere proportionatæ naturalis legis observationi : unde hæc proportio non videtur componi posse cum necessitate morali peccandi ; et si illa necessitas transgressionis legis naturalis asseritur, videretur potius dicendum vel hominem de facto in illis transgressionibus quarum necessitas moralis affirmatur, non servare usum libertatis et ita has transgressiones esse mere materiales, vel non amplius urgere legem naturalem : ad hanc præcavendam objectionem ponitur subdistinctio.

(2) Ne dicas cum hac explicatione necessitatem moralem peccandi jam non subsistere : « ut sit moralis impossibilitas ad omnia peccata vitanda sive ad semper recte absque ulla labe agendum, debet quidem esse moralis necessitas ut aliquod peccatum fiat : verum non est opus ut sit moralis necessitas alicujus peccati in serie actuum *determinati,* sed satis est esse moralem necessitatem ut aliquod *indeterminate* peccatum fiat. Hoc enim posito, jam falsum est posse omnia vitari peccata » (PALMIERI, *o. c.*, l. c.) Hæc citata verba cl. auctoris directe spectant impotentiam moralem justorum vitandi omnia peccata venialia, sed, ut ipse notat auctor, (l. c.) hæc quoque accipi possunt de impotentia morali hominum, gratia destitutorum, servandi longo tempore universam legem.

(3) PALMIERI, *o. c.*, thes. XXIX, n. VIII.

Cum morali hac necessitate bene componitur libertas : in singulis enim tentationibus et in quolibet momento durationis earum adest physica potestas peccato resistendi, quæ utique conjungi potest cum parva vel magna difficultate : attamen si homo velit totum adhibere conatum quo capax est, vincet tentationem : ideo peccat si male agit. Unde hæc impotentia moralis non est per determinationem ad unum quæ excludit libertatem, sed per inconstantiam et infirmitatem operantis, quæ libertatem supponit, et perfectioni libertatis, atque constantiæ et fortitudini opponitur. (1) — Cum eadem morali necessitate bene etiam componitur vera obligatio legis naturalis : nam moralis necessitas non respicit determinatum præceptum nec ullam determinatam præcepti applicationem.

80. Scholion II : de medio cognoscendæ demonstratæ propositionis.

Scholion II. DE MEDIO COGNOSCENDÆ DEMONSTRATÆ PROPOSITIONIS ET DE CERTITUDINE QUÆ DE ILLA HABERI POTEST.

1. *Non ex solo naturalis rationis lumine, sed ex revelatione cognoscimus certò impotentiam moralem de qua sermo est.*

Si ea consideramus quæ tum experientia addiscimus, tum observatione aliorum hominum, solo naturalis rationis lumine concludimus non parvam difficultatem obstare hominibus in adimplenda tota lege naturali, et multos homines de facto transgredi mandata legis et formaliter peccare, necnon raros esse homines, inter ipsos christianos (2), qui, per totam vitam, immunes ramenent ab omni peccato mortali : in hoc autem habetur, quidem valida *confirmatio* theseos demonstratæ, sed non ipsa demonstratio theseos.

Etenim ex sola naturali ratione nunquam possemus cum certitudine cognoscere omnes homines *de facto* ita esse infirmos ut nequeant per longum tempus observare legem naturalem. Hoc factum cognoscimus ex ipsa Revelatione (3).

2. *Nec ex solo naturalis rationis lumine cognoscere possumus necessitatem gratiæ supernaturalis, nec consequenter ejusdem existentiam, vel elevationem hominis ad finem supernaturalem.*

Etenim si consideratur hominum *infirmitas* ad morale bonum faciendum, quatenus hæc nunc de facto existit, nihil aliud concludere possumus nisi hoc quod Deus talem nunc humani generis

---

(1) Cf. SUAREZ, *De gratia*, L. I, c. 24, n. 37 ; PALMIERI, *o. c.*, I. c.

(2) Inde licet status gratiæ sit nunc necessarius ut *possit* homo observare totam legem naturalem, non est per se solus ita efficax ut *de facto* observet legem homo : remanet enim liber, subjectus tentationibus gravibus ad quas vincendas requiritur prompta, seria et perseverans consideratio bonorum spiritualium. Sed talem considerationem de facto non fovent homines plurimi etiam inter christianos, licet actuales gratias ad hoc sufficientes obtineant.

(3) Ut ex suprà constat, ex epist. ad *Rom.*, ex documentis Ecclesiæ et ex consensu theologorum deducentium conclusionem ex fontibus Revelationis.

conditionem voluit, nec hoc repugnare perfectioni divinæ : a priori, nempe ex naturali cognitione de divina natura, scimus Deum hominibus omnibus sufficientia dare media ad suum attingendum finem, licet nos ignorémus quænam sint de facto hæc media. Præterea si quis consideret *moralem perfectionem* esse *apud christianos multo majorem quam apud alios,* si quis consideret in catholica Ecclesia haberi eximiæ et vere stupendæ sanctitatis exemplaria multa, a tempore Christi usque ad dies nostros disseminata per omnia sæcula et in omnibus fere regionibus, hic logice concludet illos homines fuisse speciali modo adjutos divina Providentia, imo religionem catholicam esse vere divinam quia miraculoso Dei interventu ita manifestatur ut sancta ; sed nunquam per hoc cognoscet illam sanctitatem esse tribuendam *internæ* gratiæ supernaturali, nec homines esse destinatos ad finem supernaturalem.

Deinde si quis consideret *ipsos actus morales* hominum, sive malos, sive bonos, nunquam *ex sola illorum analysi* perspiciet vel absentiam vel præsentiam supernaturalis auxilii.

Etenim a) solis naturæ viribus potest homo omnes actus malos, quantumvis inordinatos, ponere ; etiam solis naturæ viribus perficere potest omnes, distributive seu singillatim sumptos, actus, qui ut boni cognosci possunt solo rationis naturalis lumine : ergo ex ipsa moralitate actuum, etiam in individuo consideratorum, non potest concludi absentia vel præsentia alicujus auxilii supernaturalis.

b) Ipsum supernaturale auxilium nequit *in se* cognosci ab homine nec homo potest unquam esse conscius quod hîc et nunc *supernaturaliter* agit : ergo ex ipsis hominum actibus nequit deduci vel necessitas supernaturalis gratiæ vel ejusdem existentia.

Tandem, abstractione facta a Revelatione, nequit homo naturali rationis lumine demonstrare ipsum factum elevationis generis humani ad finem supernaturalem : omnis tendentia psychologica, quæ spontanea exsurgit in homine, ad felicitatem vel ad ipsum Deum, tendit ad objectum quod *ipsi perfectioni naturæ correspondet,* ut ex terminis patet (1).

81. Non igitur potest *demonstrari* alicui homini, fide christiana privato, (etiamsi supponatur illum gratiis actualibus a Deo moveri ad bonum) ipsum *indigere* gratia supernaturali, vel indigere aliquo auxilio quod quacumque ratione superat exigentiam naturæ, vel destinari ad finem qui transcendit finem suum naturalem. Quapropter omnino falsa est sententia

(1) Quoad asserti illius declarationem, cf. *Collat. Brug.*, t. XVI, p. 651 ss. ; v. suprà n. 6 et 38.

quam nuper propugnavit iterum D. Ligeard (1), et quam sic statuit : « 1. L'analyse psychologique établit avec une rigueur philosophique les tendances de l'activité humaine et comment, en fait, elles ne se terminent pas à une fin purement naturelle, telle que la philosophie l'établit, mais elle ne peut découvrir la nature de leur terme ; 2. elle aboutit donc au désir d'une révélation et d'une grâce : la Révélation et la vie surnaturelle, don extérieur de Dieu lui apporteront l'une et l'autre » (2).

Cui breviter respondemus :

a) tendentiæ *naturales*, qua tales, non possunt tendere nisi ad objectum ipsis proportionatum, ut omnino evidens est ; (3) si *supponitur* dari in homine tendentias *supernaturales* vel *præternaturales*, tunc supponitur id quod est demonstrandum et committitur *petitio principii ;*

b) si dicitur solo rationis lumine, in ipsa humana natura detegi *indigentiam* alicujus finis vel auxilii *transcendentis* ipsum ordinem naturalem, tunc admittitur *contradictio in terminis :* quum idem dicatur *et* transcendens naturam seu *indebitum naturæ et debitum* naturæ quippe quæ indiget illo (4).

82. Scholion III : de amore Dei super omnia : a) notiones,

Scholion III. DE AMORE DEI SUPER OMNIA.

Specialiter inquiritur a theologis utrum homo lapsus possit absque gratia diligere Deum super omnia, nec eadem ab omnibus traditur responsio. Ut clarius appareat quid in hac controversia ut verum statui posse videatur, quædam sunt prænotanda ac distinguenda accurate.

Prænotanda. 1. Secundum catholicam doctrinam habenda est ut recta et in natura rerum fundata distinctio inter naturalem et supernaturalem amorem erga Deum. Quod constat ex damnata Baii propositione 34 : « Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur ut auctor naturæ, et gratuiti, quo Deus amatur ut beatificator, vana est et commentitia, et ad illudendum sacris litteris et plurimis veterum testimoniis excogitata » (5).

2. Porro duplex est distinguendus amoris actus : nempe *concupiscentiæ* quo quis *sibimetipsi* vult bonum, et *benevolentiæ*,

---

(1) In *Questions Ecclésiastiques*, 1910, t. III, p. 18. Hanc dissertationem in eodem prælaudati periodici fasciculo refutavit D. THAMIRY, p. 32.

(2) *Ibid.*, p. 44.

(3) « Per propria naturalia principia non potest homo elicere operationem qua perducatur ad finem facultatem naturalium principiorum transcendentem. Si enim per naturalia principia talem operationem, elicere posset, jam finis facultatem naturalium principiorum non transcenderet ». FERRARIENSIS, in *Summam contra Gentiles*, L. III, c. 147.

(4) Si quis censeret illa dona, quæ ut supernaturalia habet Ecclesia, esse revera naturæ humanæ debita idem doceret quod fuit damnatum in Baio. V. suprà, n 19-29. Etiam damnavit Pius X illos qui hanc apologeticæ methodum adhibent qua proponitur esse in humana natura veram *exigentiam* ordinis supernaturalis. *Encyclica* « Pascendi », *Enchir.*, n. 2103. — Jam Pius IX, an. 1862, damnavit hanc opinionem, a Froschammer propugnatam, quod philosophia potest pervenire ad cognoscendum ipsum supernaturalem hominis finem (cf. *Enchir.*, n. 1669). Quomodo ab hac opinione differat objective sententia Dmi Ligeard non perspicitur, ut bene notat D. Thamiry, *o. c.*, p. 40.

(5) *Enchir.*, n. 1034.

quo quis *alteri* vult bonum. Ita v. gr. si quis desiderat Deum ut ejus possessione evadat *ipse* beatus, amat Deum amore concupiscentiæ ; si autem quis complacet sibi in Deo *quia* est in se infinitum Bonum et gaudet de hac infinita Dei perfectione, tunc amat Deum amore benevolentiæ (1).

3. Præsens quæ proponitur quæstio est de amore *benevolentiæ* (2). Sed altera hîc attendenda est distinctio. *Affectivus* amor dicitur ipse actus voluntatis quo diligitur Deus ; *effectivus* vero ille actus quatenus connectitur et conjungitur cum reali adimpletione omnium mandatorum Dei (3). Quapropter amor Dei effectivus non in unico actu voluntatis consistit, sed complectitur multos actus, omnes scilicet virtutum actus requisitos ad omnia Dei mandata observanda. Quum suprà, n. 70-71, demonstravimus hominem lapsum non posse observare absque gratia per longum tempus totam Dei legem naturalem, jam constat nec posse hominem solis naturæ viribus diligere Deum super omnia amore *effectivo*. Quoad alterum statuimus hoc

83. b) assertum ; solis naturæ viribus potest homo naturalem actum amoris Dei super omnia elicere.

ASSERTUM : *Homo lapsus potest solis naturæ viribus elicere actum naturalem amoris Dei super omnia,* quo nempe actu sic afficitur : *volo Deo per omnia et in omnibus placere* (4)

Demonstratur. 1. Ad hunc actum inest hominis naturæ potentia *physica :* potest enim homo naturaliter cognoscere Deum esse in semetipso summum, imo infinitum Bonum, ultimum omnium finem, legislatorem supremum : proinde potest elicere actum amoris quo Deum amat prout est in seipso infinitum Bonum, et velle ipsi placere in observando mandata ejus.

Ad hunc actum adest etiam potentia *moralis*. Nam non semper occurrunt homini tentationes tales quas nequeat superare, et etiam, quando explicite cogitat se obligari ad omnia mandata observanda, potest etiam serio velle singula vitare peccata (5).

Corollarium notatu dignum deducit ex asserto demonstrato D. Soto his verbis : « Nullus prorsus est actus unus singularis in

---

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. VIII, p. 662.

(2) Admittimus hominem lapsum solis naturæ viribus elicere posse *actum* amoris concupiscentiæ erga Deum, quo actu vult Deum ut supremum bonum cujus possessione erit felix.

(3) « Nous avons deux principaux exercices de notre amour envers Dieu : l'un affectif, l'autre effectif... Par celui-là nous affectionnons Dieu et ce qu'il affectionne, par celui-ci nous servons Dieu et faisons ce qu'il nous ordonne. L'un nous fait plaire en Dieu, et l'autre nous fait plaire à Dieu ». S. FRANÇOIS DE SALES, *Traité de l'amour de Dieu.* L. VI, ch. 1 (Œuvres, Edit. d'Annecy, t. IV, p. 301). Cf. MAHIEU, *Probatio charitatis,* Brugis, 1910, p. 91, 199.

(4) Hanc sententiam tenent CAJETANUS, in 1-2, q. 109, a. 3 ; D. SOTO, *De natura et gratia.* L. I, c. 22 ; MOLINA, *Concordia,* in q. 14, art. 13. disput. 14, membr. 3 ; PESCH, *o. c.*, n. 128. *Contradicunt* SUAREZ, *De gratia,* L. I, c. 33 ss. ; BELLARMINUS, *De gratia et libero arbitrio,* L. VI, c. 7 ; SYLVIUS, in 1-2. q. 109, a. 3 ; HUGON, *o. c.*, p. 146 ; *De angelis et de gratia,* p. 253 s.

(5) Videsis VACANT-MANGENOT, *Dict. de théol. cath.*, art. *Grâce.* col. 1585 ss.

viro justo cujus similis quantum ad substantiam esse non possit in eo qui est extra gratiam Dei » (1).

Nota. Hoc naturali actu amoris erga Deum non justificatur homo, nec positive disponitur ad justificationem, ut postea demonstrabitur ; hic tamen actus potest esse dispositio negativa, removens scilicet impedimentum gratiæ. — In ordine mere naturali non datur vera *amicitia* inter Deum et hominem (2).

84. Nota de mente S. Thomæ

De mente S. Thomæ non parum disputatum est (3). S. Doctor in 1-2, q. 109, a. 3, ubi explicite quærit : « *utrum homo possit diligere Deum super omnia ex solis naturalibus sine gratia* », docet sequentia :

1) Homo amore naturali, nempe amore illo, qui est *voluntatis ut natura* (4) et qui proinde non est liber, libertate electionis, amat Deum super omnia, saltem implicite, sicut omnis creatura amat Deum, « secundum modum amoris qui unicuique creaturæ competere potest ».

2) Homo proinde, in statu naturæ integræ, poterat solis naturæ viribus amare Deum super omnia, amore etiam qui est *voluntatis ut ratio,* nempe amore deliberato et electivo : sic homo « dilectionem sui ipsius referebat ad amorem Dei sicut ad finem et similiter dilectionem omnium aliarum rerum ; et ita Deum diligebat plus quam seipsum et super omnia ».

Ratio autem cur homo, in statu naturæ integræ, poterat solis naturæ viribus sic diligere Deum est quia talis dilectio est « aliquid connaturale » homini.

3. « Sed in statu naturæ corruptæ homo ad hoc (h. e. ad hanc Dei dilectionem) deficit secundum appetitum voluntatis rationalis (h. e. voluntatis *ut ratio,* nempe deliberatæ et electivæ), quæ propter corruptionem naturæ sequitur bonum privatum, nisi sanetur per gratiam. Et ideo... in statu naturæ corruptæ indiget homo etiam ad hoc (h. e. ad amorem Dei super omnia) auxilio gratiæ naturam sanantis ».

Quæritur utrum intendat S. Thomas dicere numquam ab homine lapso posse haberi amorem *affectivum* seu elici *actum* amoris Dei super omnia, absque auxilio gratiæ. Videtur quod *non.* Nam S. Doctor admittit actum amoris Dei super omnia esse aliquid connaturale homini et quod potest efficere solis naturæ viribus, in statu naturæ integræ ; jamvero natura humana, post lapsum, non est essentialiter corrupta, nec ita intrinsece vulnerata ut jam physice incapax facta sit eliciendi actum qui, ex essentia sua, est connaturalis humanæ naturæ (5). Præterea ratio propter quam, secundum S. Thomam, nequit homo, in statu naturæ lapsæ, absque gratia, diligere Deum super omnia est hæc : « quia voluntas ut ratio sequitur bonum privatum ». Jamvero hoc non potest intelligi ita ut dicat S. Thomas hominem *nonnisi* bonum privatum sequi posse et consequenter incapacem esse omnis amoris benevolentiæ, etiam erga Deum (6). Quapropter quum illa ratio non valeat ad negandum actum

---

(1) *O. c.*, l. c.

(2) Cf. ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, *Annotationes de virtutibus theologicis*, n. 389 ; *Collat. Brug.*, t. I, p. 345 ; BILLOT, *De virtutibus infusis*, thes. XXXI.

(3) Cf. SUAREZ, *o. c.*, c. 34.

(4) Cf. *Collat. Brug.*, t. XV, p. 409.

(5) Ex peccato originali, qua tali, non detrimentum pati homines in ipsa natura docet S. Thomas, *De Malo*, q. 5, a. 2. Cf. *Collat. Brug.*, t. X, p. 465 ; v. suprà, n. 33.

(6) Etiam SYLVIUS, l c., conclus. 5 admittit hominem, in statu naturæ lapsæ posse, absque gratia, diligere Deum aliquo modo.

amoris in Deum, dicendum videtur S. Thomam hic loqui de amore *effectivo*, qui nempe hoc importat quod homo semper vincat seipsum, sicque continuo amet Deum usque ad contemptum sui ut de facto vitet omnia peccata mortalia : quod absque gratia impossibile est homini lapso. Nec huic interpretationi objiciatur hac admissa sequi hoc inconveniens quod a S. Thoma idem in duobus articulis exponatur, quia in art. 4 docet hominem, sine gratia, non posse legis præcepta implere. Et sane non est idem, secundum mentem S. Thomæ, etiam in nostra interpretatione, non posse hominem, absque gratia, diligere Deum super omnia, et, non posse hominem, absque gratia, implere omnia mandata legis: etenim habitualis amor Dei super omnia est principium quo de facto observat legem homo, et ratio cur homo, absque gratia, non possit observare omnia mandata Dei est quia, obsque gratia, nequit habere habitualem illum amorem ita firmum ac constantem ut non cedat amori proprio quo impellitur ad suum bonum prosequendum contra Dei legem.

Caput III

ULTERIOR EXPLICATIO DE RATIONE NECESSITATIS GRATIÆ.

85. Duplex necessitatis gratiæ ratio :

Ex suprà dictis patet, tum ex S. Scripturæ doctrina, tum ex Ecclesiæ definitionibus, duplicem ob rationem necessariam esse homini gratiam: scilicet 1) ut possit quodcumque *salutare* opus ponere; 2) ut valeat mandata Dei, etiam mere naturalia, per longum tempus, observare, et proinde mortale vitare peccatum. Duas illas rationes inter se valde diversas esse primo intuitu jam perspicitur; hanc tamen diversitatem ulterius et profundius considerare necesse est.

1) physica necessitas ad elevandos actus :

1. a) Necessitas gratiæ ad quodcumque *salutare* opus indicatur in definitionibus Ecclesiæ per hæc verba: *sicut oportet, ut expedit* h. e. ad salutem. Porro hæc necessitas est ad omne omnino opus *salutare,* qua tale: ex quo sequitur hominem esse *simpliciter incapacem* ponendi, solis naturæ viribus, talem actum, et proinde PHYSICAM esse incapacitatem illam. Quodsi hæc incapacitas est physica, oportet igitur ut physice per gratiam eleventur actus ut sint salutares, h. e. ut positive ducant ad ultimum finem. Quum aliunde sciamus hunc finem esse simpliciter supernaturalem, facile intelligitur quod ratio cur velit Deus actus salutares esse physice supernaturales est ut sint *proportionati* fini. Notemus tamen hoc: « Quod non idcirco ponimus hominem indigere divino auxilio ad consequendam beatitudinem, quasi Deus non possit de potentia absoluta (1) dare beatitudinem non habenti tale

(1) Nomine potentiæ Dei *absolutæ* intelligitur hîc, secundum mentem S. Thomæ (*Sum. Theol.*, I, q. 25, a. 5 ad 1, *Summa contra Gentiles*. L. III, c. 98) potentia Dei considerata secundum se et in signo priori ad decreta divinæ voluntatis quibus ordinem

auxilium (h. e. gratiam)... aut non possit hominem sine tali gratia ordinare et acceptare ad beatitudinem : hoc enim divinæ potentiæ non repugnat; sed quia sine tali auxilio, quæ est gratia, homo non potest consequi beatitudinem, tamquam *formaliter* et *intrinsece dignus* beatitudine, et tamquam opera sua, sine tali auxilio, sint formaliter vitæ æternæ meritoria. Si enim a Deo hujusmodi opera acceptentur tamquam pro quibus Deus velit beatitudinem dare, non existente gratia in homine, erunt digna vitæ æternæ *extrinsece,* id est, per divinam acceptationem, *non* autem *intrinsece* » (1).

Hic est igitur formalis effectus gratiæ, quem nunc consideramus: *intrinsece* actus facere *dignos* fine supernaturali, seu *intrinsece* vel *physice* ELEVARE animam ejusque potentias ut eliciat *supernaturales* actus: et secundum hoc dicitur gratia **elevans**.

86. 2) moralis necessitas ad vires addendas, seu sanandam naturam.

b) Altera gratiæ necessitas est ut possit homo, in præsenti generis humani conditione, difficultates vincere quæ opponuntur adimpletioni legis, etiam mere naturalis : hæc necessitas correspondet impotentiæ *morali* tantum. Hæc porro impotentia non est ad singulos actus bonos, ut suprà n. 79 exposuimus, nec consistit in hoc quod hominum voluntas sit improportionata ad eliciendos actus bonos, sed consistit in hoc quod homo ita debilis est ut de facto non resistat difficultatibus sed cedat tentationibus et labatur in peccatum mortale. Ad hanc igitur auferendam moralem impotentiam requiruntur vires morales, requiritur nempe auxilium quo homo melius cognoscat id quod est agendum et motiva propter quæ est agendum, requiritur auxilium quo homo facilius velit bonum et firmius. — Hoc munus efficit etiam gratia. Quia autem, in præsenti generis humani statu, prædicta moralis impotentia est sequela peccati originalis, quo homo *vulneratus* est in naturalibus (2), gratia, quatenus præcise illi vulnerationi affert medelam, vocatur **sanans** vel **medicinalis**.

87. S. Thomas, *Sum. Theol.,* 1-2, q. 109, a. 1 et 2, hanc duplicem rationem necessitatis gratiæ clare exponit. In art. 2. quærendo « utrum homo possit velle et facere bonum absque gratia », respondet: homo, in statu naturæ *integræ* (h. e. naturæ præditae dono integritatis seu immunitate a concupis-

---

rerum præsentem præ alio ab æterno prædefinivit. — Potentia *ordinata* dicitur a S. Thoma, potentia, quatenus exsequitur ea quæ voluntas, dirigente sapientia, reipsa decrevit. Cf. SCHIFFINI, *o. c.,* 52 ; BJLLOT, *De Deo uno et trino,* c. III, § 1. VAN DER MEERSCH, *De Deo uno et trino,* n. 616.

Quidam theologi intelligunt nomine potentiæ *ordinatæ,* potentiam Dei quatenus respicit ea quæ non solum intrinsece non repugnant, nec ulli attributo divino, sed etiam *omnino congruunt omnibus perfectionibus divinis.* Et secundum hunc sensum non posset, ut videtur, Deus de potentia *ordinata* dare beatitudinem supernaturalem homini non habenti auxilium gratiæ. — Nec putamus de potentia absoluta posse Deum conferre beatitudinem h. e. visionem Dei intuitivam, sine hoc quod conferat aliquod donum supernaturale intellectui creato, quo dono creatura reddatur deiformis.

(1) FERRARIENSIS, *o. c.,* L. III, c. 147. Cf. CAPREOLUS, in I, dist. 17, q. 1. a. 2, solutiones ad argumenta Scoti (Edit. Turonibus t. II, p. 92).

(2) Cf. *Collat. Brug.,* t. X, p. 462.

centia), indigebat gratia ut posset agere *supernaturaliter,* seu ponere actus virtutis *infusæ;* non indigebat gratia ad operandum omne bonum morale suæ naturæ proportionatum; homo, in statu naturæ corruptae, quantum ad duo exigit gratiam: primo, ut velit et operetur supernaturaliter; secundo, ut velit et operetur bonum etiam naturale, nempe ut observet, per longum tempus, legem etiam naturalem, non vero indiget gratia ad omne opus naturaliter bonum » (1). Adjungit S. Thomas: « in utroque statu indiget homo auxilio divino, ut ab ipso moveatur ad bene agendum ». Hoc auxilium est motio naturalis, proveniens a Deo sicut a primo movente, et physice constituens creaturam actu agentem (2).

Nota. Quando S. Thomas ut titulum q. 109 ponit: de exteriori principio humanorum actuum, scilicet de gratia Dei », non intendit gratiam esse aliquid tantum externum homini agenti et non esse intrinsecum operandi principium, sed S. Thomas intendit loqui, ut ipse explicat, « de Deo prout ab ipso per gratiam adjuvamur ad recte agendum. Gratia est aliquid reale, physicum, ipsi animæ inhærens, ut clare probat S. Thomas in q. 110, quæ est de essentia gratiae; sed gratia nobis inest ab extrinseco, nempe a Deo, et nullo modo potest homo hanc propriis suis actibus acquirere, sicut potest acquirere virtutes naturales.

88. Ut videtur non datur, de facto, duplex genus gratiæ: unum elevantis, alterum mere sanantis.

2. Quum gratiæ munera duo valde sint diversa, quærunt theologi utrum nunc de facto detur a Deo duplex genus gratiæ, unum entitative supernaturale, alterum entitative naturale, sed quoad modum supernaturale, aliis verbis utrum detur gratia *mere* sanans, non elevans (3).

Imprimis nihil aliud esse possit, ut videtur, gratia *mere sanans* quam bona cogitatio vel motio bona, intrinsece naturalis, sed quasi miraculose a Deo immissa homini ut bonum agat. Non negamus possibilitatem auxilli quod dici possit *supernaturale quoad modum.* Et sane « potest (Deus) supernaturaliter quoad modum, phantasmata, etiam immediate excitare, vel et directe species intelligibiles infundere, et deinceps... dirigere judicium et affectum ita clare et efficaciter ut voluntas in id unum feratur. Sed hos modos, qui omniscienti ac omnipotenti Deo innumeri quasi occurrunt, nemo non videt toto cœlo differe a motione gratiæ: in illis enim, etiamsi quædam producantur supernaturaliter quoad modum, actus ipse tamen, ut est hic et talis, manet actus creaturæ et mere naturalis: actus vero cum motione gratiæ positus, ipse, ut est hic et talis a Deo est simul et a creatura... » (4).

Attamen non videtur admittendum dari de facto gratiam mere

---

(1) Cf. *Collat. Brug.,* t. XVII, p. 575, 694, t. XVIII, p. 434.
(2) Cf. *Collat. Brug.,* t. XV, p. 13, 33, 79.
(3) De gratia entitative supernaturali erit sermo infrà, ubi de intima natura gratiæ.
(4) ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, *Meditationes theologicæ,* in *Collat. Brug.,* t. VII, p. 502 s. Cf. ID. *Méditationes théologiques,* t. I, p. 641 ss. — Deus etiam, quà motor universalis in ordine naturæ potest creaturæ voluntatem efficaciter inclinare ad determinatum bonum, ordinis naturalis, potius quam ad aliud quodcumque. Ita enim omnipotenti providentia sua res disponere potest, ut homo unice apprehendat aliquod verum bonum determinatum, illudque unice appetat. — Talis Dei actio non est supernaturalis, ne quoad modum quidem. ID. *ibid.*

sanantem, non admittendum scilicet, effectum supernaturalem quoad modum, suprà descriptum, esse auxilium quo nunc homo positive excitatur vel adjuvatur ad salutem. Nam in præsenti Providentiæ ordine, omnes homines ordinati sunt ad finem supernaturalem, ita ut pro adultis plenum rationis usum adeptis non detur medium inter supernaturalis beatitudinis adeptionem et æterni ignis supplicium. Jamvero si Deus positive auxilium tribuit homini ut vitet peccatum, vel ut morale bonum operetur, hoc facit Deus ut homo possit attingere finem suum, consequenter illud auxilium concedit quo homo *positive* tendit ad finem supernaturalem vel positive disponitur ad actus simpliciter salutares; hoc vero auxilium est *elevans* et est intrinsece supernaturale, ut infrà ulterius explicabitur. — Nec huic opinioni opponi potest quod Deus non concedit gratiam elevantem nisi in ordine ad ipsam *fidem* concipiendam, a qua regulariter incipit motus hominis adulti ad justificationem, quemadmodum describit concilium Tridentinum (1): nam a) non repugnat ut homo infidelis negativus (qui nempe non audivit prædicationem fidei), gratia elevante auxilietur ad observandam legem naturalem, ut sic positive, licet remote, disponatur ad fidem et justificationem; b) non ita difficile est ut homo positive et proxime, gratia elevante, disponatur ad fidem supernaturalem, quum, probabilius, duas tantum veritates, tamquam a Deo revelatas, cognoscere debeat ut possit supernaturaliter credere et quum illæ veritates possint ipsa populorum traditione conservari ac transmitti (2).

89. Argumentum Card. Billot.

Non dari de facto gratiam mere sanantem vel *quoad modum supernaturalem*, strenue propugnat Card. Billot (3). Censet nempe merito, ut videtur, distinctionem inter gratiam *quoad substantiam* supernaturalem et *quoad modum* supernaturalem, introductam fuisse ab illis auctoribus qui tenent actus supernaturales differre a naturalibus correspondentibus *per ipsum formale objectum.* Qua opinione rejecta (4), aufertur prædictæ distinctionis fundamentum. — Sed præterea, ad rejiciendam gratiam quoad modum supernaturalem sic ratiocinatur : « Gratia Dei per J. C. D. N. est certe gratia redemptoris sive salvatoris, et gratia salvatoris est sine dubio gratia conducens ad salutem, et gratia conducens ad salutem non est nisi gratia supernaturalis : quæ nimirum, si de actuali gratia sermo sit, (nam de habituali ne quæstio quidem esse potest), vel secum affert intrinsecam elevationem potentiæ ubi illa deest, vel eam supponit ubi est, quemadmodum in quæstione sequenti declarabitur. Non quod oporteat ut quidquid quocumque modo conducit ad salutem sit in se supernaturale. Facile enim diceres quod conducit ad salutem ex. gr. bona educatio, conducit exterior prædicatio, conducunt circumstantiæ

(1) *Enchir.*, n. 797-798.
(2) Cf. BILLOT, *De Ecclesia,* t. II, p. 65 ss.
(3) *De gratia,* p. 79 s.
(4) Cf. BILLOT, *De virtutibus infusis,* Prolegomenon, c. 3, ss 1, n. 4.

et eventus humani sub dispositione providentiæ, conducere etiam possunt bona temporalia, et quæcumque demum in nomine Christi, i. e. Salvatoris, legitime petimus a Patre. Verumtamen considerandum est, nihil horum conducere ratione sui, sed solum ratione gratiæ interioris adjunctæ: quæ si et ipsa naturalis ordinis esse supponatur, jam nihil relinquitur quo aliquid vel directe vel indirecte, vel proxime vel remote, in salutis finem conductivum esse possit.

» Et confirmatur, quia gratia actualis tota est in ordine ad actus. Si ergo gratia illa quam dicunt supernaturalem quoad modum, esset quædam **gratia Dei per J. C. D. N.** consequens foret quod in ordine salutis invenirentur actus entitative naturales ad quos datur. Sed hoc, quæso, quis feret? Nam si dicas eiusmodi naturales actus positive quidem ad salutem non conducere, sed tamen adhuc negative, statim peto quid sibi velit illud **negative**. Unum enim de duobus. Vel negatio quæ in positione boni actus naturalis involvitur, puta negatio novi peccati conra legem divinam commissi, aliquid confert ad obtentionem medii positivi, i. e. gratiæ quoad substantiam supernaturalis, vel nihil. Si nihil, ergo negative conducere idem erit ac non conducere, et redit argumentum de eo quod gratia quæ nihil facit ad salutem, non potest, esse gratia Salvatoris. Si autem aliquid, ergo bonus actus naturalis, ratione saltem negationis quam involvit, initiative se habebit in via vitæ æternæ. Quod quomodo secundum fidem dici possit, non satis mihi apparet » (1).

Martinez de Ripalda († 1648) censebat omnes actus ethice bonos, a quocumque homine factos, nunc poni *aliqua gratia supernaturali;* etiam censebat fidem, quæ, secundum ipsum, prærequiritur ad actum supernaturalem et justificationem, esse fide late dictam (2). Utraque opinio nobis non probabilis videtur: prima, quia homo solis naturæ viribus potest facere opera moraliter bona, et proinde non est ratio cur dicamus omnes actus moraliter bonos, etiam in homine non justificato, elevari ad ordinem supernaturalem. Secunda opinio etiam improbabilis videtur : primo, quatenus vix compossibilis cum doctrina Ecclesiæ ; secundo, quia hæc fides, late dicta, quà cognitio est, non transgreditur cognitionem mere naturalem, nec per hanc habetur in homine nova cognitio qua nempe cognoscitur Deus ut auctor ordinis supernaturalis, quæ est prima conversio hominis in Deum ut objectum æternæ beatitudinis supernaturalis (3).

90. Quodnam requiratur auxilium in statu naturæ puræ.

3. Demonstravimus hominem, in statu naturæ lapsæ, non posse, absque gratia, observare per longum tempus totam legem etiam mere naturalem: inde exsurgit quæstio utrum hoc valuisset homo in statu naturæ *puræ*. Hoc nomine designatur status possibilis, qui nunquam exstitit, in quo humanum genus nec ad

---

(1) In hac secunda disjunctionis parte, videbitur forsitan non stringere argumentum, quia non contra fidem est asserere remotionem impedimenti, nempe peccati (habitam v. gr. per gratiam quoad modum supernaturalem) esse *negative* initium salutis, præcise quia removet impedimentum gratiæ entitative supernaturalis. Sed in textu citato, *initiative se habere* debet intelligi de initio *positivo*.

(2) V. DE RIPALDA, *De ente supernaturali*, L, I, disp. 20, sect. 3 ; *De virtutibus infusis*, disp. 17. Cf. ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, *o. c., Collat. Brug.*, t. II, p. 182 ss. ; SCHIFFINI, *o. c.*, n. 104.

(3) « Per cognitionem naturalem homo non convertitur in Deum, in quantum est objectum beatitudinis (sc. supernatualis, ad quam homo de facto destinatur) et justificationis causa. Unde talis cognitio non sufficit ad justificationem ». S. THOMAS, *Sum. Theol.*, 1-2. q. 113, a. 4, ad 2.

supernaturalem finem fuisset a Deo destinatum, nec accepisset dona supernaturalia, et, in specie, gratiam de qua hucusque egimus. Quæritur porro utrum in statu naturæ *puræ* fuisset homo naturaliter magis aptus ad verum cognoscendum et magis firmus ad bonum volendum et agendum, quam nunc est, ita ut tunc non indiguisset speciali Dei auxilio.

a) Quoad primum, communiter docent theologi ex solo peccato *originali* (quo genus humanum constituitur in statu naturæ *lapsæ*), qua tali, non factum esse hominem *intrinsece* debiliorem, quoad cognoscendum et volendum (1), quum ipsi nulla operativa potentia fuerit ablata, nec in qualibet harum facta fuerit aliqua interna corruptio. Attamen non repugnat ut de facto, consequenter ad peccatum originale, propter actualia peccata, eorumque sequelas, nunc homines sint intrinsece debiliores ad bonum operandum quam fuissent in *aliquo* possibili statu *puræ* naturæ : sunt enim possibiles status naturæ puræ diversi. Nec etiam possumus cognoscere utrum in omni statu naturæ puræ fuissent minores vel pauciores tentationes quam nunc sunt (2). Quapropter admittendum est possibilem statum esse naturæ puræ in quo homines eadem, qua nunc, laborarent impotentia morali ad observandam legem naturalem.

b) Quoad secundum, nempe quoad *auxilium* quod, in prædicta hypothesi requireretur, imprimis dicendum est nec *revelationem* nec *gratiam* proprie dictam, h. e. *supernaturale* donum, necessariam esse.

α) Etenim alio medio a revelatione divina potuisset Deus uti ut homines potuissent sufficientem sibi acquirere cognitionem de Deo ejusque attributis, deque naturali lege, v. gr. suscitando homines qui scientiam de his rebus sibi comparassent et efficaci auctoritate veritates docuissent. Divina vero revelatio est essentialiter supernaturalis, quum omni creaturæ hoc sit indebitum quod Deus ipsi immediate loquatur ad suas manifestandas cogitationes.

β) Nec etiam gratia fuisset necessaria: nam, in hypothesi, non requireretur ut *elevetur* natura, nec proinde locus fuisset gratiæ sanctificanti virtutibus infusis, donis Spiritus Sancti. Quod spectat bonas cogitationes, bonasque voluntatis motiones, quibus adjuva-

---

(1) Quando dicitur : peccati originali homo fuit *vulneratus in naturalibus*, hoc significat : peccato original amisit homo dona præternaturalia quibus ipsi naturæ addebatur vigor ad bonum *proportionatum* ipsi naturæ rationali et proinde, amissis illis donis, homo fit debilior ad operandum secundum quod exigit sua ipsius natura et ideo *sensu stricto* dicitur vulneratus in naturalibus. « Per peccatum primi parentis... omnes vires animæ remanent quodammodo destitutæ proprio ordine, quo naturaliter ordinantur ad virtutem: et ipsa destitutio *vulneratio naturæ dicitur* ». S. THOMAS, 1-2, q. 85, a. 3. Cf. *Collat Brug.*, t. X p. 462.

(2) Cf. *Collat. Brug.*, t. c. p. 466.

tur homo, istæ haberi potuissent in ordine mere naturali: quatenus Deus, Providentia sua, res homini exteriores ita disposuisset ut naturaliter orientur illæ ad bonum excitationes, sed præterea potuisset Deus etiam immediate, per internas intellectus et voluntatis motiones ad actus indeliberatos adjuvare homines: illæ motiones essent intrinsece naturales et nonnisi ad naturalem actum ordinarentur. Illi igitur instinctus provenirent a Deo, quatenus est auctor naturæ, cujus est cuncta quæ creavit provide administrare et ad proprios deducere terminos secundum proprium uniuscujusque modum (1).

91. Falsitas asserti fundamentalis in theoria de immanentia.

Nota. Quod exposuimus de necessitate gratiæ, et quod de ejusdem essentia jam indicavimus sufficit ut perspiciamus falsitatem asserti, quod tamquam fundamentale philosophiæ modernæ postulatum ponebat L. Blondel: « *rien ne peut entrer en l'homme qui ne sorte de lui et ne corresponde en quelque sorte à un besoin d'expansion* » (2).

Gratia, tum habitualis, tum actualis, *ingreditur* in hominem, et intime ejus animam modificat ac elevat ; tamen nulla ratione ex homine *egreditur,* quippe quæ a solo Deo physice producitur et infunditur, et independens est in sua productione a physica hominis operatione: quum nullus naturalis actus humanus possit esse dispositio positiva ad gratiam. Præterea non correspondet huic quod vocatur: *un besoin d'expansion,* nempe: indigentia ad aliquid attingendum propria subjecti operatione. Homo ut suam propriam attingat perfectionem, ut bonum sibi connaturale obtineat, non indiget gratia, nec hominis operatio hanc potest producere. Ideo in humana natura, qua tali, nequit dari tendentia seu appetitus innatus ad ordinem supernaturalem, nec appetitus elicitus et efficax ad illum ordinem (3). Nec potest homo naturales suas examinando aspirationes vel desideria detegere unquam necessitatem revelationis divinæ vel cujuslibet doni supernaturalis (4).

Sed supposita ipsa revelatione divina, eaque admissa, cognoscimus supernaturalia dona vere *perficere* animam, vere tribuere id quod ipsi bonum est sed tamen ipsam evehere ad *novum* perfectionis *ordinem,* ad genus boni quod ipsi simpliciter INDEBITUM est. Inde etiam supernaturalia dona non sunt opposita naturæ, nec disparata, sed formaliter ELEVANTIA naturam (5). V. gr. homo naturaliter desiderat, ut ultimum finem, Deum naturali cognitione possessum; per gratiam, homo desiderat, ut ultimum finem, Deum intuitiva seu faciali visione possessum.

Inde hoc sequitur quod apologeta, exponendo felicitatem intuitiva Dei visione consequendam, pulchritudinem internam totius complexus veritatum revelatarum (6), pulchritudinem sacrorum rituum, virtutum colen-

---

(1) BILLOT, *De virtutibus infusis,* thes. VII, p. 174 ss .

(2) *Lettre sur les exigences de la pensée contemporaine en matière d'apologétique,* cit. apud LE BACHELET, *De l'apologétique traditionnelle et de l'apologétique moderne,* Paris 1897, p. 43-44. Circa doctrinam de *immanentia* quae ad *religionem* spectat, videsis quae scripsimus in nostro tractatu *de Deo uno et trino,* n. 109 s., 221 ; et in *Collat. Brug.,* t. XVIII, p. 666, t. XIX, p. 103, 170, 236, 303, 381, 440.

(3) Cf. *Collat. Brug.,* t. XVI, p. 651 ss.

(4) Cf. *ibid.,* 679 ; v. suprà, n. 81.

(5) Cf. ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, *o. c.,* in *Collat. Brug.,* t. VI, p. 437.

(6) Cf. SOUBEN, *L'esthétique du dogme chrétien,* Paris, 1898 ; Mgr WAFFELAERT, *Méditations théologiques,* t. I : *Préface* et *introduction.*

darum, mirabiles effectus sanctitatis eximiorum membrorum Ecclesiæ catholicæ, poterit allicere animas incredulorum ad religionem christianam admirandam et amandam, poterit excitare desideria amplectendi hanc religionem, destruere præjudicia et sic remotam et negativam dispositionem ad fidem producere, imo poterit occasionem ponere qua ipse Deus supernaturali gratia moveat incredulum ad conversionem. Sed talis dispositio non potest vices gerere *judicii credibilitatis,* ad quod prærequiritur *demonstratio facti revelationis.* Igitur convenientia religionis christianæ cum aspirationibus, uti dicitur, animæ humanæ non est argumentum quo homo possit rationabiliter credere (1). Præterea si, sensu explicato, religio christiana ad se attrahat, eadem etiam a se avertat animas necesse est, propter obligationes ipsi connexas, repugnantes tendentiis humanæ naturæ corruptæ (2).

Practicum Scholion.

92. Doctrina, hucusque exposita, in ordine ad praxim vitæ christianæ est fundamentum humilitatis,

Doctrinam catholicam de necessitate gratiæ et meditando nobis et exponendo in concionibus populo magnum vitæ christianæ adjumentum conferre possumus (3).

1. a) Physica gratiæ necessitas docet hominis *incapacitatem* ad omne opus *salutare,* quatenus a se nihil potest ad æternam beatitudinem sed omnia a Deo exspectare debet. Illa persuasio quod præsertim in ordine gratiæ homo a se nihil habet nisi quod a Deo acceperit, et consequenter omnino dependet a Deo est fundamentum veræ humilitatis (4).

b) *Moralis* necessitas gratiæ *infirmitatem* hominis ad *bonum morale* palam facit, eique de facili in mentem revocat propria peccata, quorum inordinatio et sordes eo clarius apparebunt quo de majoribus et pluribus auxiliis acceptis erit conscius : inde *profundior* exsurget *humilitas* (5), qua nec æstimatione, nec honore se dignum habebit homo et melius intelliget hæc verba : « ama nesciri et pro nihilo reputari » (6).

spei ac fiduciæ.

2. Si homo persuasum habet se omnia a Deo debere exspectare ut salvus fiat, non minus credet se *posse* ab Ipso omnia sperare : quum Deus ex solo amore et summa benignitate ad tantum celsitudinem, quanta est visio Dei beatifica et perfectio moralis ad hanc proportionata, evexerit homines, non denegabit necessarias concedere gratias ; imo consideranti quot et quanta de facto, in sua Ecclesia, largiatur Deus auxilia, ad quantam sui gloriam, quæ in effectibus gratiæ consistit, moveat Ecclesiæ membra, in veram

---

(1) Cf. Billot *De Virtutibus infusis,* p. 303 ; G. Lahousse, S. J. *L'apologétique de l'Eglise catholique* in *Revue Apologétique,* t. VII, p. 633 ss. ; 745 ss.
(2) Cf. Hugueny, *Critique et catholique,* Paris, 1910, p. 299 ss.
(3) Cf. Hurter, *Compendium theologiæ dogmaticæ,* t. III, n. 241 ss.
(4) Cf. 1 *Cor.,* IV, 7 ; *Philipp.* IV 13; S. François de Sales, *Les vrays entretiens spirituels* 2d entretien, *De la confiance* (*Œuvres,* edit. d'Anecy, t. VI, p. 19).
(5) Cf. *Formation à l'humilité,* Paris, 1903, p. 83-138.
(6) *De imitatione Christi,* L. I, c. 2.

spem et *fiduciam* erumpet homo, cognoscens se omniaa posse in Deo qui ipsum confortat (1).

3. Quum gratia tam sit necessaria, quumque a fideli possit obtineri oratione et sacramentorum susceptione, sequitur necessitas orandi (2) et suscipiendi sacramenta : quæ quo melioribus fiunt dispositionibus eo efficaciora sunt : ex necessitate igitur gratiæ, rite intellecta, movebitur homo ad virtutem *religionis* melius colendam. *religionis,*

4. Quodsi ulterius quis perpenderit gratiæ, quæ tam est mortalibus necessaria, distributionem partim dependere ab ipsa hominis operatione et industria, jam accendetur *zelo* (3) ut cooperans gratiæ, quam ipse recipit, impavide ac ardenter adlaboret ad destruenda in aliis obstacula gratiæ : ignorantiam ac vitia, et sic animas ab æterno eripiat supplicio et ad beatitudinem promoveat sempiternam. *zeli.*

---

(1) Cf. *Philip.*, IV, 13 ; S. FRANÇOIS DE SALES, *o. c.*, 1. c. MAHIEU, *o. c.*, p. 37 ss.
(2) Cf. DIGNANT, *De virtute religionis*, 3a edit, Brugis, 1921, n. 44 ss. ; MONSABRÉ, *La prière*, Paris, 1906.
(3) Cf. MAHIEU, *o. c.*, p. 132 ss.

PARS SECUNDA

DE ESSENTIA GRATIÆ

Connexio rerum. Gratiæ generice sumptæ, nempe cujusdam supernaturalis et homini interni doni, necessitatem ad salutem exposuimus. Jam nobis inquirendum est de natura prædicti doni. Sed, claritatis causa, jam ab initio id indicamus quod in decursu hujus partis est demonstrandum, scilicet diversas esse species entitatum quæ dicuntur et sunt gratia interna, videlicet : *gratia sanctificans, virtutes infusæ* et *dona Spiritus Sancti, gratia actualis.* Quapropter secundam tractatus partem in quatuor dispescimus sectiones, quarum

93. Connexio rerum.

prima est de gratia sanctificante,
secunda de virtutibus et donis (1),
tertia de actuali gratia,
quarta de perseverantia.

Sectio Prima

DE GRATIA SANCTIFICANTE

Caput I

DE NOTIONE AC ESSENTIA JUSTIFICATIONIS.

Articulus Ius. **De significatione formali nominis justificatio.**

Prænotandum.

94. De formali significatione nominis.

De formali significatione alicujus nominis. Summopere juvat, ad distinctam acquirendam notionem de multis rebus, quæ in theologia sunt considerandæ, id clare perspiciamus quid sit id quod nomen *formaliter,* quid sit id quod *materialiter* significat. Perpendamus imprimis verba S. Thomæ « Sciendum quod aliquid significat dupliciter : uno modo formaliter et alio modo materialiter. Formaliter quidem significatur per nomen id ad quod

(1) De virtutibus et donis non integram habebimus expositionem, quippe quæ in speciali conficitur tractatu, sed in tantum de his agemus in quantum requiritur ut melius cognoscatur natura gratiæ et solvantur quæstiones nonnullæ ad nostrum pertinentes tractatum.

significandum nomen est principaliter impositum, quod est ratio nominis, sicut hoc nomen **homo** significat aliquid compositum ex corpore et anima rationali. Materialiter vero significatur per nomen, illud in quo talis ratio salvatur ; sicut hoc nomen homo significat aliquid habens cor et cerebrum et hujusmodi partes, sine quibus non potest esse corpus animatum anima rationali » (1).

95. Aliud exemplum dat S. Thomas de nomine *persona*. « Secundum hoc ergo dicendum est, quod hoc nomen *persona* communiter sumpta nihil aliud significat quam substantiam individuam rationalis naturæ. Et quia sub substantia individua rationalis naturæ continetur substantia individua, id est communicabilis et ab aliis distincta, tam Dei quam hominis quam etiam Angeli ; oportet quod persona divina significet subsistens distinctum in natura divina, sicut persona humana significat subsistens distinctum in natura humana ; et hæc est formalis significatio tam personæ divinæ quam personæ humanæ. Sed quia distinctum subsistens in natura humana non est nisi aliquid per individualem materiam individuatum et ab aliis diversum ; ideo oportet quod hoc sit materialiter significatum, cum dicitur persona humana. Distinctum vero incommunicabile in natura divina non potest esse nisi relatio ; quia omne absolutum est commune et indistinctum in divinis. Relatio autem in Deo est idem secundum rem quod ejus essentia. Et sicut essentia in Deo idem est et habens essentiam, ut Deitas et Deus ; ita idem est relatio et quod per relationem refertur. Unde sequitur quod idem sit relatio et distinctum in natura divina subsistens. Patet ergo quod persona communiter sumpta, significat substantiam individuam rationalis naturæ ; persona vero divina formali significatione significat distinctum subsistens in natura divina. Et quia hoc non potest esse nisi relatio vel relativum, ideo materiali significatione significat relationem vel relativum » (2).

96. Nomen justificatio diversas habet formales significationes.

In sacris Litteris nomen *justificatio* et *justificare* diversas accipit significationes formales. Designat enim a) ipsas *leges* seu *præcepta* : « *Justificationes* tuas custodiam » (3) ; « Erant autem justi ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis et *justificationibus* Domini » (4) ; b) agnoscere vel approbare alicujus prærogativas : « Et *justificata* est sapientia a filiis suis » (5) ; c) ostendere justitiam : « Ille volens *justificare* seipsum » (6) ; d)

---

(1) S. THOMAS, *De Potentia*, q. 9, a. 4. Cf. BILLOT, *De natura et ratione peccati personalis*, p. 64 ; *Collat. Brug.*, t. VIII, p. 374 s. — Ne confundatur distinctio inter id quod nomen *formaliter* et id quod *materialiter* significat, cum *definitione nominali* et *definitione reali* : *materiale* nominis significatum est res per nomen designata, prout jacet ; *formale* significatum est eadem res praecise sub ea ratione qua a nomine notificatur. Manifestum autem est, quando quaeritur de significatione nominis alicujus, semper quaeri de formali significato. Formale autem significatum potest indicari et designari sive ope nominis jam intellecti (et erit definitio *nominalis*) sive ope descriptionis rei, aut declaratione ejus essentiae (et erit definitio *realis*). Ita in exemplo tradito a S. Thoma : nomen *homo* significat formaliter aliquid compositum ex corpore et anima rationali : hæc est definitio realis. Cf. DE JAEGHER, *o. c.*, n. 32-34.

(2) S. THOMAS, *o. c.*, I. c.

(3) Ps. CVIII, 8.

(4) Luc., I, 6.

(5) Luc., VII, 35.

(6) Luc., X, 29.

declarare justum declaratione judiciali et forensi sive divina, sive humana : « Ex verbis enim tuis *justificaberis* et ex verbis tuis comdemnaberis » (1) ; « Qui *justificat* impium et qui condemnat justum, uterque abominabilis est apud Deum » (2) ; e) facere, reddere justum : « Hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed *justificati* estis (3) ; « Credenti in eum qui *justificat* impium » (4).

quarum una præcipue est attendenda.

Porro hæc ultima significatio nobis est consideranda. Inde justificatio, *active* sumpta, est actio producens justitiam seu faciens aliquem justum ; justificatio, *passive* sumpta, est adeptio seu receptio illius entitatis qua aliquis formaliter justus constituitur.

Præterea justificatio, tum *active,* tum *passive* accepta, in duplici hypothesi considerari potest : fieri potest ut aliquis simpliciter carens justitia illam acquirat : hæc est justificatio *simpliciter* dicta, vel fieri potest ut quis a statu injustitiæ transferatur in statum justitiæ : hæc est justificatio *impii.* — Hæc justificatio impii a concilio Tridentino describitur : « Translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiæ et adoptionis filiorum Dei, per secundum Adam Jesum Christum » (5).

ARTICULUS IIus. **De re in qua verificatur ratio justificationis.**

Prænotandum.

97. Lutheri doctrina.

Ut huic quæstioni respondeamus, rationem oportet habeamus de Lutheri opinionibus quippe quæ occasio fuerunt ut Ecclesia magis explicite proposuerit revelatam de justificatione doctrinam.

Porro docebat *Lutherus* (6) « peccatum originale consistere in hæreditaria pravitate in totam hominis naturam diffusa atque

---

(1) Matth., XII, 37.

(2) Prov., XVII, 15.

(3) 1 Cor., VI, 11. Non solum in hoc loco, sed in multis aliis, formalem significationem vocabuli *justificare* esse, secundum ipsam mentem S. Pauli, *reddere* seu *facere* aliquem justrum indubium videtur. V. gr. docet S. Paulus quod ex operibus legis nullus justificabitur, sed quod homo justificatur per fidem, sine operibus legis (*Rom.* III, 20, 28) : agitur hîc de interna hominis *justitia* quæ *fit,* non per legis adimpletionem, sed per fidem. Etiam (Tit, III, 4-7) docet Apostolus, non ex operibus justitiæ quæ facit homo, sed ex effusione Spiritus Sancti in hominem, hunc *justificari gratia Christi :* hoc non significat quod ex effusione Spiritus, per gratiam, *declaratur* justus homo, sed *fit* justus. Cf. PRAT, *o. c.,* p. 230 ss. Quapropter non demonstrata videtur sententia exposita a cl. TOBAC, *o. c.,* p. 211 : « Etre justifié, pour Paul comme pour les Juifs, c'est *être reconnu juste par Dieu,* c'est *obtenir* de Dieu *une sentence de justification.* . Ce sens du mot justification ne préjuge évidemment en rien la question de savoir si cette justice que Dieu reconnaît est simplement extérieure et imputée ou bien si elle est réelle et véritable ». Censemus ipso vocabulo *justificare,* saltem sæpe apud Paulum, significari *formaliter :* reddere, facere justum. Cf. PRAT, *o. c.,* t. II, p. 365 s. Postea videbimus quid importet justitia de qua loquitur Apostolus.

(4) *Rom.,* IV, 5.

(5) Sess., VI, cap. 4 ; *Enchir.,* n. 796.

(6) Dico : *Lutherus :* quia, ut videtur post Lutherum, Protestantes paulatim reliquerunt systema Lutheri. Cf. KROGH-TONNINGH, *De gratia Christi et libero* arbitrio.

præsertim concupiscentia, ita ut et hæc pravitas sit verum peccatum et actuales legis transgressiones non sint nisi totidem ejus manifestationes. Jamvero cum hujusmodi naturæ pravitas, teste experientia, in justificatis quoque maneat, pronum erat concludere justificationem in eo dumtaxat consistere, quod homo, nulla interiore transmutatione facta, *extrinsecus* solum habeatur seu decaretur Justus » (1). Inde docebat Lutherus in puero post baptismum remanere peccatum.

98. Catholica doctrina.

Doctrina vero *catholica* sic exponitur in concilio Tridentino : « Si quis per Jesu Christi Domini nostri gratiam, quæ in Baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat ; aut etiam asserit, non tolli totum id, quod veram et propriam peccati rationem habet ; sed illud dicit tantum radi aut non imputari ; A. S. » (2).

« Justificatio... non est sola peccatorum remissio, sed et sanctificatio et renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ et donorum. Unde homo ex injusto fit justus, et ex inimico amicus, ut sit hæres secundum spem vitæ æternæ. Hujus justificationis... unica formalis causa est justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit : qua videlicet ab eo donati renovamur, spiritu mentis nostræ, et non modo reputamur, sed vere justi nominamur et sumus, justitiam in nobis recipientes, unusquisque suam, secundum mensuram quam Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult, et secundum propriam cujusque dispositionem et cooperationem. Quamquam enim nemo possit esse justus, nisi cui merita passionis Domini nostri Jesu Christi communicantur : id tamen in hac impii justificatione fit, dum ejusdem sanctissimæ passionis merito per Spiritum Sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui justificantur atque ipsis inhæret, unde in ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, fidem spem et charitatem » (3).

Hanc doctrinam per varias propositiones exponemus atque demonstrabimus.

99. Impii justificationem importare veram peccatorum remissionem demonstratur.

PROPOSITIO PRIMA. *Impii justificatio importat remissionem peccatorum ; hæc autem consistit non in hoc quod peccata solum teguntur, sed in hoc quod peccata prorsus delentur.*

Hæc propositio est de fide divina.

Demonstratur 1ª pars. Justitia hominis, universim sumpta, est

(1) EINIG, *De Gratia*, p. 142.
(2) Sess., V, can. 5 ; *Enchir.*, n. 792.
(3) Sess., VI, c. 7 ; *Enchir.*, n. 799-800.

rectitudo moralis coram Deo, est ille status quo homo est sicut oportet conversus ad Deum et suum operari conformat supremæ agendi regulæ, quæ est lex Dei seu Dei voluntas (1). Inde recte dicit S. Thomas : « justitia importat rectitudinem quamdam ordinis in ipsa interiori dispositione hominis prout scilicet supremum hominis subditur Deo et inferiores vires animæ subduntur supremæ, sc. rationi » (2).

Jamvero, peccatum est formaliter aversio a Deo. Ergo nequit unquam permanere in homine justificato.

Quod cæteroquin docet concilium Tridentinum in textu quem suprà retulimus : « unde in justificatione *cum remissione peccatorum* hæc omnia simul infusa accipit homo ».

Demonstratur 2ª pars. Si S. Scripturæ testimonia tum Veteris, tum Novi Testamenti, considerantur in quibus sermo fit de peccatorum remissione, ea adhibentur verba quæ significant totalem ablationem reatus culpæ. Ita legitur Deus dicens : « Delevi ut nubem iniquitates tuas, et quasi nebulam peccata tua » (3). Etiam : « Effundam super vos aquam mundam et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris » (4). « Asperges me hysopo et mundabor, lavabis me, et super nivem dealbabor » (5).

Christus dicitur « Agnus Dei qui tollit peccatum mundi » (6). . . « Hæc quidem (i. e. peccatores) fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis ». (7). « Sanguis Jesu Christi emundat nos ab omni peccato » (8). « (Jesus-Christus) dilexit nos et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo » (9). Id ergo per justificationem efficitur in anima peccatorum maculis deturpata, quod per lotionem in corpore inquinato sordibus, quæ penitus absterguntur et evanescunt. Idem docetur a S. Petro dicente « Poenitemini et convertimini ut deleantur peccata vestra (*εἰς τὸ ἐξαλειφθῆναι ὑμῶν τας ἁμαρτίας*). Vocabulum græcum *ἐξαλείφθῆναί* significat liniendo abstergere, delere fricando (10).

Objectio. Legitur in S. Scriptura : « Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata. Beatus vir cui non *100. Objectio.*

(1) Cf. PRAT, *o. c.*, p. 230 ; TOBAC, *o. c.*, 208.
(2) 1-2, q. 113, a. 1. — Quia autem justitiæ exercitium et conservatio importat luctam adversus concupiscentiam et exigit ut homo vincat seipsum, ideo pulchre, sub hoc respectu, describitur justitia : « Qui... semetipsum subjectum tenet, ut sensualitas rationi et ratio in cunctis obediat mihi (Deo) hic vere victor est sui et dominus mundi. » *De Imitatione Christi*, c. 53.
(3) *Isaias*, XXXXIV, 22.
(4) *Ezechiel*, XXXI, 25.
(5) *Psalm*, L. 9.
(6) Jo., I, 29.
(7) 1 Cor., VI, 11.
(8) 1 Jo., I, 7.
(9) Apoc., I, 5.
(10) Cf. CAMERLYNCK. *Comment. in Actus Apostolorum*, p. 151.

imputavit Dominus peccatum » (1). Ergo remissio peccatorum consistit in hoc quod peccata *teguntur* coram Deo, non jam *imputantur* ab ipso.

R. Nego consequentiam. Nam quum ex aliis locis doceamur peccata vere deleri et tolli, hoc vocabulum *tecta sunt* interpretandum est *metaphorice,* quatenus dicuntur *tegi* coram Deo peccata quia jam non sunt. — Quod Deus dicatur non jam *imputari* peccatum, optime intelligitur quatenus non imputat quia jam non adest in homine reatus culpæ (2).

101. Justificationem fieri per internum, supernaturale et permanens donum demonstratur:

PROPOSITIO SECUNDA. *Justificatio non est sola remissio peccatorum, sed consistit in quadam physica, licet spirituali, et interna hominis renovatione, quæ efficitur per infusionem alicujus doni supernaturalis, permanenter animæ inhærentis.*

Hæc propositio est de fide divina.

Demonstratio.

Quum jam constet justificationem importare remissionem peccatorum, ulterius nunc demonstrabimus hanc consistere in aliquo dono homini inhærente.

I) ex S. Scriptura

A. EX. S. SCRIPTURA.

1. Constat dari quemdam *statum* in quo homo est *amicus Dei,* imo *filius* ejus *adoptivus :* « Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus : Abba (Pater). Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro quod sumus filii Dei. Si autem filii et hæredes : hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi » (3).

Ipse Filius Dei a Patre missus est in hunc mundum ut conferret hominibus, qui sub lege erant servi, libertatem, quæ præcise consistit in hoc quod sunt *adoptivi filii ;* quatenus porro sunt adoptivi filii Dei, eatenus receperant Spiritum Filii (naturalis) Dei, in quo Spiritu consequenter recte Deum vocant : Patrem (4).

Porro hic status est *supernaturalis,* seu prorsus indebitus omni enti finito. a) *Adoptio* enim duo importat, scilicet participationem jurium ac bonorum quæ sunt propria patris ac naturali filio debentur, et hanc participationem extraneo factam. Jamvero patet hominem (et quodlibet ens finitum) non esse filium Dei naturalem sed extraneum esse respectu Dei et servum ejus, nec ullum jus a natura, imo nec positivam capacitatem habere posse ad parti-

(1) Ps. XXXI, 1, 2.
(2) Cf. JUNGMANN, *o. c.,* n. 276.
(3) *Rom.,* VIII, 15-17.
(4) « At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus. Quoniam autem estis filii, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem : Abba, Pater ». *Gal.,* IV, 4-6.

cipanda bona quæ propria sunt ipsius Dei. Hæc igitur participatio est supernaturalis. Quod autem adoptio hominum in filios Dei revera importet communicationem bonorum quæ propria sunt Dei ac filio naturali debentur, constat ex verbis S. Pauli (1), suprà citatis: « hæredes Dei et cohæredes Christi » qui est filius naturalis Dei. Hoc fusius exponitur ubi tractatur ex professo de visione beatifica ejusque supernaturalitate.

b) Illa adoptio non est connaturalis sequela operum hominum sed obtinetur formaliter per baptismum, quo nova vita communicatur homini (2).

c) Confirmatur ex hoc quod ille status obtinetur per aliquam communicationum omnino supernaturalem Dei cum hominibus : nempe ipse Deus fit homo, ex muliere, et sic venit in hunc mundum ut homines liberet ; deinde Spiritus Dei in homines labitur ita ut cum ipso et per ipsum homines jam Deum vocent Patrem : talis ad Deum unio non est naturalis.

2. Deinde status ille supernaturalis obtinetur *physica*, quamvis spirituali et interna hominis *renovatione* quæ efficitur per infusionem alicujus doni permanenter animæ inhærentis. Etenim ut homo introeat in regnum Dei et consequenter ut fiat filius Dei adoptivus, requiritur nova et spiritualis nativitas : « Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei » (3). Hanc nativitatem effici per physicum et internum donum homini infusum elucet ex illis S. Scripturæ testimoniis quæ ulterius hunc novum hominis statum describunt. Nativitas præsupponit generationem : qui denuo nascitur denuo generatur seu regeneratur : hanc regenerationem de qua loquebatur Jesus (Jo. III, 5) describit Apostolus : « Cum autem benignitas et humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei : non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde per Jesum Christum Salvatorem nostrum, ut justificati gratia ipsius, hæredes simus secundum spem vitæ æternæ » (4). Ergo justificamur, hæredes Dei constituimur seu filii Dei adoptivi, per effusionem Spiritus Sancti in nos. Non requiritur nunc ut determinetur qua ratione Spiritus Sanctus in nos effundatur, sed falso diceretur Spiritum Sanctum in nos effundi si nihil prorsus in nos effunderetur. Hæc *interna* et specialis solis justis præsentia Dei enun-

(1) *Rom.*, VIII, 15-17. Cf. *Ephes.*, I, 3-5.
(2) Cf. PRAT, *o. c.*, t. II, p. 369 ss.
(3) Jo., III, 5. Cf. DURAND, ap. D'ALÈS, *Dict. apol. de la foi cath*, art. *Initiation*, col. 801 ss.
(4) Tit., III, 4-7.

ciatur sic : « An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est » (1). Ergo ipsius corporis membra in homine christiano propriam acquirunt dignitatem ex *interna* Spiritus Sancti in homine *præsentia*. Ita *realis* est in homine effectus adoptionis ut per hanc sint *aliquid de novo factum* a Deo, aliquid creatum : qui gratia salvantur sunt « *factura* Dei » *(ποιημα)*, *creati* ad recte operandum (2), sunt *nova creatura* (3). Hæc interna renovatio affirmatur etiam ex hoc quod homines non reputantur sed *efficiuntur* divinæ consortes naturæ.

Datur ergo aliquod donum *physicum* quod homini *infunditur*, ut eo sit justificatus, filius Dei adoptivus ; est supernaturale hoc donum, utpote constituens hominem in statu supernaturali.

ADNOTATIO. Ut argumentum expositum plenius intelligatur, hîc indicamus compendium doctrinae sancti Pauli circa justificationem hominis : hæc obtinetur per regenerationem et internam hominis renovationem in baptismo, *Tit*, III, 5-7. Hæc renovatio est effectus Spiritus Sancti qui praesens remanet in singulis baptizatis : 1 *Cor.*, VI, 19, 2 *Cor.* I, 21, *Rom.* V, 5, VIII, 11.

Porro ille effectus a Spiritu Sancto in anima productus importat duo : 1°) immunitatem a peccato, nempe remissionem peccatorum commissorum et liberationem a servitute peccati : *Rom.* VI, 3-7, VIII, 1, 1 *Cor.* VI, 11 ; 2°) vitam novam qua baptizatus fit factura Dei, (i. e. res facta a Deo, nova creatura et inde ordinata ad recte operandum 2 *Cor.* V, 17, *Ephes.*, II, 10. Illa igitur vita complectitur duplicem hominis transformationem seu realem immutationem : unam *physicam*, quae habetur per infusionem et praesentiam Spiritus Sancti, alteram *moralem* quae consistit in operibus salutaribus, quae dependent a physica transformatione et quae saltem natura, sunt posteriora illi. Cf. 2 *Cor.* III, 18, *Rom.* VIII, 15, *Ephes*, II, 10 ; PRAT, o. c. II, p. 99 ss. ; CORNELY, *Comment. in 2 Cor.*, p. 106.

3. Tandem est de se *permanentur inhærens* homini : nam illa testimonia, quæ supra retulimus, omnia indicant aliquod donum *permanens* seu habituale : etenim *adoptio* est aliquid permanens, est *status* ad quem homo elevatur ; quod etiam intelligitur ex hoc quod fit « nova creatura », et hoc per effusionem Spiritus Sancti in hominem (*Tit*, III, 4-7) ; hujus hominis « membra templum sunt Spiritus Sancti ».

102. (Objectioaes contra datam demonstrationem).

Objectiones contra demonstrationem.

1. In *epist ad Philip.*, III, 9, dicitur : « Propter quem omnia detrimentum feci et arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam, et inveniar in illo, non habens meam justitiam, quæ ex lege est, sed illam quæ ex fide est Christi Jesu : quæ ex Deo est justitia ». Ergo justitia, non est homini propria, sed justitia Christi imputatur homini qui credit.

---

(1) *1 Cor.*, VI, 19.
(2) *Ephes.*, II, 8-10.
(3) *Gal.*, VI, 15.

R. Negatur consequentia et consequens. Explicatur textus : Apostolus hoc loco opponit justitiam, quæ proveniret ex mera legis observatione, facta solis voluntatis viribus, justitiæ quæ est ex fide, proinde est supernaturalis et ab ipso Deo infunditur.

2. « Christus factus est nobis sapientia a Deo et justitia et sanc- 103.
tificatio et redemptio » (1). Ergo nos justi sumus quatenus Christi justitia nobis attribuitur seu imputatur.

R. Nego consequentiam. Nam objecti textus sensus apparet perpendenti « Christum Dominum esse redemptorem nostrum, qui passione sua et morte nobis remissionem peccatorum, gratiam Dei et sanctificationem *meruit*. Est igitur Christus *causa meritoria* justitiæ nostræ, et hoc sensu, eadem ex ipso est, ipsi adscribitur, imo Christus dici potest justitia nostra. Hæc enim locutio *metonymica* est, quatenus causa ponitur pro effectu et frequenter in scripturis occurrit. Deus dicitur e. gr. *illuminatio mea et salus mea* (2), *fortitudo mea* (3), *patientia mea* (4) ; quia Deus interne animam illuminat, roborat et patientia instruit » (5).

3. « Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, 104.
ut nos efficeremur justitia Dei in ipso » (6). Inde objicitur : Christus non nisi *extrinsece* peccatum factus est ; ergo pariter nos non nisi extrinsece, nempe per imputationem, efficimur justitia Dei in Christo.

Ad solutionem difficultatis prænoto duplicem dari interpretationem vocabuli *peccatum* in inciso : *pro nobis peccatum fecit.* a) Quidam, cum S. Augustino, tenent : peccatum hîc significat *hostiam pro peccatis,* ita ut sensus sit, Christum factum esse hostiam seu sacrificium pro peccatis nostris (7). b) Alii dicunt peccatum hîc significat reatum culpæ aut pœnæ, sed personificatum, ita ut sensus sit : « Innocentissimum hunc filium suum Deus *peccatum fecit,* i. e. velut summum peccatorem, in quo præter peccatum nihil esset, traduxit, tractavitque » (8).

Inde respondetur : si prima eligatur interpretatio, negatur *assertum :* si enim *peccatum* significat *hostiam pro peccato* tunc affirmatur Christum (non extrinsece) sed realiter omnino et intrinsece factum esse victimam pro peccato, immolatum esse tamquam

---

(1) 1 *Cor.*, I, 30.
(2) Ps. XXXVI, 1.
(3) Ps. XVII, 1.
(4) Ps. LXX 5.
(5) JUNGMANN, *o. c.*, n. 284.
(6) 2 *Cor.*, V, 21.
(7) Cf. JUNGMANN, *o. c.*, n. 284 ; VAN STEENKISTE, in h. 1.
(8) CORNELY, in h. 1. Cl. P. PRAT, *o. c.*, t. II, p. 294 s, tenet *peccatum* hîc significare culpam moralem et Christum dici *peccatum factum,* propter connexionem quam habet cum humano genere, quod est reum peccati. In hac sententia, eadem responsio est ad difficultatem.

hostiam vicariam pro peccato nostro : aliquis enim, quin sit ipse peccator, potest satisfacere pro peccato alieno.

Si secunda eligatur interpretatio, negatur *pariter :* etenim omnino impossibile est ut Christus sit intrinsece peccator : ergo non potest ipse aliter dici peccatum vel peccator nisi in quantum extrinsece consideretur ut peccator seu tamquam sibi assumens peccata aliorum ut pro iis satisfaceret. Sed res omnino alia est nostra justitia : non enim repugnat ut nos vere et intrinsece justi simus. Quum autem ex aliis S. Scripturæ testimoniis cognoscamus nos intrinsece justificari, secundum hanc veritatem interpretanda sunt verba hîc allata.

105. 2) ex Traditione : a) assertis Patrum:

B. EX TRADITIONE.

1. *Ex SS. Patrum assertis.*

In *epistola Barnabæ* (1) legitur : « Ubi nos renovavit per remissionem peccatorum, effecit ut aliam formam haberemus, animam nempe puerorum instar, utpote qui nos reformavit. Nam de nobis scriptura dicit, loquente patre ad filium : Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram... » (2). « Attendite ut templum Domini magnifice ædificetur. Quomodo ? Discite : Accepta remissione peccatorum et spe habita in nomine Domini facti sumus novi, iterum ab integro creati ; ideo in nobis, in domicilio nostro vere Deus habitat » (3). *Tertullianus* docet animæ per baptismum acquiri *similitudinem* Dei specialem, diversam a ratione imaginis quam natura sua habet anima (4). — *S. Johannes Chrysostomus :* « At cur, inquies, si peccata nobis omnia lavacrum remittit, non lavacrum remissionis peccatorum, non lavacrum purgationis, sed lavacrum *regenerationis* vocatur ? Quia non solum nobis peccata remittit, neque solum delicta purgat ; sed ita id præstat ac si denuo generati essemus. Etenim nos denuo creat et format, non ex terra rursum effingens sed ex alio elemento, aquarum scilicet natura creans... (Hanc deinde internam animæ renovationem ac regenerationem illustrat sequenti comparatione). Quemadmodum si quis auream statuam, tempore, fumo, pulvere, rubigine, fædatam, denuo conflaverit, eam nobis purissimam atque fulgentem restituit, sic et naturam nostram Deus, peccati rubigine fædatam, multoque affectam delictorum fumo, illa pulchritudine destitutam quam ipsi ab initio indiderat, denuo conflavit, et in aquas ceu in conflatorium injiciens, et pro igne Spiritus gratiam

(1) Conscripta circ. an. 98 vel. 30.
(2) VI, 11-12.
(3) XVI, 8.
(4) *De baptismo*, n. 5. Cf. D'ALÈS, *La théologie de Tertullien*, Paris, 1905, p. 264.

immittens, hinc renovatos, cum solaribus radiis splendore decertantes educit, contrito veteri homine, novo autem splendidiore, quam vetus erat, condito » (1). — *S. Augustinus* explicans quomodo dicamur *renovari* et quomodo recipiamus id quod Adam perdidit, dicit : « Renovabimur ergo a vetustate peccati, non in pristinum corpus animale, in quo fuit Adam, sed in melius, id est in corpus spirituale, cum efficiemur æquales Angelis Dei, apti cœlesti habitationi... Renovamur ergo spiritu mentis nostræ secundum imaginem ejus qui creavit nos, quam peccando Adam perdidit. Renovabimur autem etiam carne, cum hoc corruptibile induetur incorruptione... » (2). Internam esse homini justitiam, licet hæc a Deo proveniat, sic docet : « *Justitia... Dei manifestata est :* non dixit (Apostolus), justitia hominis, vel justitia propriæ volontatis ; sed *justitia Dei,* non qua Deus justus est, sed qua induit hominem, cum justificat impium... Sicut autem ista fides Christi dicta est non qua credit Christus : sic et illa justitia Dei non qua justus est Deus. Utrumque enim nostrum est ; sed ideo Dei et Christi dicitur, quod ejus nobis largitate donatur » (3).

S. Cyrillus Alexandrinus († 444) explicat duplicem esse hominis formationem : unam quoad corpus ; alteram quoad animam. De spirituali hac formatione dicit : « Formantur... velut in Christo, per Sancti Spiritus participationem ad ipsius speciem. Scribit siquidem ad Galatas divinus Paulus : « *Filioli, quos iterum parturio, donec formatur Christus in vobis* ». Formatur autem in nobis Christus Sancto Spiritu nobis divinam quandam formam, per sanctificationem et justitiam, indente. Sic enim in animis nostris elucet character substantiæ Dei » (4).

2. *Ex Magisterii Ecclesiæ documentis.*

106
b) Ecclesiæ declarationibus.

Dari in homine justificato virtutes et *informantem gratiam* quæ infunduntur persuasum erat Patribus concilii Viennensis (1311-1312) qui ut probabiliorem statuunt sententiam asserentem in baptismo *omnibus* baptizatis, *tam parvulis* quam adultis, conferri *informantem gratiam* et *virtutes* (5). Tunc controversia non erat utrum darentur informans gratia et virtutes, sed utrum hæc dona, *etiam parvulis,* conferrentur baptismo, sicut conferebantur adultis (6).

Concilium Tridentinum definivit justificationem esse renova-

(1) *Catechesis I ad illuminandos,* n. 3. Cf. *Id Catechesis II ad illuminandos,* n. 1.
(2) *De Genesi ad litteram,* L. VI c. 24, n. 35.
(3) *De Spiritu et littera,* c. 9, (n. 15).
(4) *Commentaria in Isaiam,* L. IV, orat. 2. Cf. MAHÉ, *Revue d'histoire ecclésiastique,* t. X, p. 435.
(5) *Enchir.,* n. 483.
(6) Cf. *Enchir.,* n. 410.

tionem interioris hominis per voluntariam (in adulto) *susceptionem gratiæ et donorum* (V. suprà, n. 96) ; et homines non justificari vel sola imputatione justitiæ Christi, vel sola remissione peccatorum, exclusa gratia et charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffunditur atque illis inhæret ; nec gratiam, qua justificamur, esse tantum favorem Dei (1).

107. 3) ex ratione theologica.

C. EX RATIONE THEOLOGICA.

1. Supposito quod ultimus hominis finis sit supernaturalis, necessarium videtur quod homo possit vere, h. e. de condigno, hunc finem mereri. Inde sic ratiocinatur S. Thomas : « Oportet quod homo ad ultimum finem per proprias operationes perveniat. Unumquodque autem operatur secundum propriam formam. Oportet igitur ad hoc quod homo perducatur in ultimum finem per proprias operationes, quod superaddatur ei aliqua forma, ex qua ejus operationes aliquam efficaciam accipiant promerendi ultimum finem » (2).

2. Ex revelatione cognoscimus homines esse *natura,* h. e. ipsa origine seu nativitate, *filios iræ* (3), h. e. obnoxios iræ divinæ ; e contrario homines justificatos habere pacem cum Deo, a Deo speciali charitate diligi, ejusque esse filios adoptivos (4). Hoc posito, dicimus : in tantum Deus aliquem amat, in quantum ipsi vult bonum, et si Deus actu amat aliquem, actu vult ipsi bonum (5). Ergo si Deus justificatos, qua tales, realiter amat, oportet ut Deus producat in homine id quo fiat justificatus et amabilis Deo ; oportet igitur ut gratia, qua homo dicitur justus, sit *aliquid reale in ipsa hominis anima.*

108. Explicatio S. Bonaventuræ.

Hoc argumentum, quod breviter indicat S. Thomas, (6) pulcherrime evolvit S. Bonaventura. « Dicendum, quod gratia divina aliquid ponit circa gratificatum sive acceptatum. — Et ratio huius est ista, quia divina *voluntas* in acceptando non afficitur, divina veritas in approbando non fallitur, et neutra earum in gratificando mutatur. — Quia divina *voluntas* in acceptando non afficitur nec acceptat aliquem propter novum *affectum,* necesse est, quod acceptet propter aliquem *effectum,* et ita aliquis effectus ponitur circa eum qui acceptatur. — quia *veritas* divina in approbando non fallitur, ideo non præfert unum alteri nec approbat magis unum quam alterum, nisi quia habet in se aliquid, quod est magis dignum

---

(1) *Enchir.*, n. 821.

(2) *Summa contra Gentiles,* L. III, c. 151. — R. P. MULARD, *O. P.*, in *Revue des sciences philosophiques et théologiques,* 1923, t. XII p. 154 ss. bene exponit cur gratia sanctificans sit aliquid *reale et physicum* in anima : hoc exigitur a parte Dei quia ejus dilectio est efficiens bonum in dilecto, et a parte nostrum qui effici debemus intrinsece supernaturales ut operatio nostra sit proportionata fini.

(3) *Ephes.*, II, 3. Cf. *Collat. Brug.*, t. II, p. 563.

(4) Cf. *Rom.*, V, 1, 5, 8 ; VIII, 15-17.

(5) Inde animadvertas differentiam inter Dei amorem et creaturæ : amor creaturæ movetur, excitatur ex bono jam existente ; amor vero Dei *efficit* bonum quod est terminus amoris ejus. Cf. *Collat. Brug.*, t. VIII, p. 613, t. IX, p. 21.

(6) 1-2, q. 110, a. 1. Cf. BELLARMINUS, *De Justificatione,* L. II, c. 3, n. 25, 31, 32.

approbatione divina. Neminem autem acceptat, nisi quem approbat, et ita nemo est gratus vel Deo acceptus, nisi in se habeat aliquid, per quod sit approbatione dignus. — Quia vero *voluntas* non mutatur in acceptando, nec *veritas* in approbando ; cum aliquis de novo incipit approbari vel acceptari, et nulla cadit mutatio ex parte *Dei acceptantis* vel approbantis : necesse est, quod aliqua cadat mutatio ex parte *acceptati* et approbati. Sed hoc non est, quia aliquid ei aufertur : est ergo mutatio, quia aliquid donum sibi a Deo confertur. — Et sic patet, quod gratia aliquod donum ponit circa ipsum gratificatum. Unde concedendæ sunt rationes hoc ostendentes » (1).

109. Nota.

Nota. 1. Dici non potest hominem justificari per aliquid *ordinis mere intentionalis,* quale esset aliqua dignitas, vel aliqua moralis deputatio ad exercenda opera, quæ, propter hanc dignitatem seu potestatem, essent acceptabilia Deo et coram ipso meritoria. Nam agitur de *justificatione* coram Deo : jamvero si nihil physici infunderetur quo homo formaliter justus constituitur, non posset homo recens natus, esse *injustus* coram Deo et objectum iræ divinæ : nam in natura ipsa humana quà tali nihil mali moralis inhærere potest ; nec dici potest Deum mere imputare homini peccatum ab alio commissum : sic enim ipse homo non *esset* vere injustus ; ergo in tantum homo recens natus potest esse injustus seu peccator, in quantum privatur aliquo principio *physico* quo constitueretur formaliter justus.

2. Nec dici potest haberi justificationem per aliquid moraliter permanens ex actibus bonis vel per continuum influxum gratiæ actualis. Nam « Juxta Concilium Tridentinum etiam parvulis infunditur gratia qua justificantur, et baptismus non solum remittit peccata sed est collatio gratiæ omnibus non ponentibus obicem. Atqui gratia quæ datur infantibus nequit consistere in *actibus,* qui moraliter perseverent ; neque in gratia actuali quæ jugiter influat in animas eorum ; sicut enim actibus salutaribus ita actuali gratia infantes sunt incapaces. Ergo debet gratia sanctificans consistere in aliquo *dono* ab actibus et gratia actuali distincto » (2).

PROPOSITIO TERTIA. *Illud donum internum, quo homo fit justus non est ipse Deus.*

110.

Hæc propositio est saltem theologice certa.

In præcedentibus ostensum fuit hominem justificari per aliquod donum ipsi inhærens : nunc demonstrabitur illud donum non esse ipsum Deum homini unitum, aliis verbis Deum non esse *causam formalem* nostræ justificationis.

111. Opinio Petri Lombardi.

In hac tamen opinione fuisse videtur Petrus Lombardus, Magister Sententiarum († 1164), qui docet : « Spiritus Sanctus amor est Patris et Filii, quo se invicem amant et nos. His autem addendum est, quod *ipse idem Sanctus est amor,* sive caritas, *quo nos diligimus Deum et proximum :* quæ caritas quum ita est in nobis ut nos faciat diligere Deum ac proximum, tunc Spiritus Sanctus dicitur mitti et dari nobis : et qui diligit ipsam dilectionem quæ diligit proximum, in eo ipso Deum diligit : quia ipsa dilectio Deus est » (3), Petrus Lombardus hic explicite loquitur de

(1) In II, dist. 26, q. 1 (t. II, p. 631).

(2) MAZZELLA, *De Gratia,* n. 939.

(3) *Sententiarum Liber I,* dist. XVII, c. 1. Attamen, ibid, c. 6, dicit : « Quod Spiritus Sanctus... sit charitas, qua nos diligimus Deum et proximum, a plerisque negatur. » Hos refutare conatur.

charitate quam habet ut idem ac gratia. Hæc sententia Petri Lombardi sic explicatur a S. Thoma : « Magister... ponit, quod charitas non est aliquid in anima, sed ipse Spiritus Sanctus mentem inhabitans. Nec est sua intentio, quod iste motus dilectionis quo Deum diligimus sit ipse Spiritus Sanctus ; sed quod iste motus dilectionis est a Spiritu Sancto *non mediante aliquo habitu*, sicut a Spiritu Sancto sunt alii actus virtuosi mediantibus habitibus aliarum virtutum, puta fidei aut spei aut alicujus alterius virtutis. Et hoc dicebat propter excellentiam charitatis » (1). Negabat igitur Petrus Lombardus dari aliquod donum *creatum habituale* a quo procederent in justificato actus charitatis et tenebat Spiritum Sanctum quasi locum gerere talis habitus ; uti supra diximus, idem, ut videtur, tenebat, vel logice tenere debebat, quoad id quo homo formaliter justus constituitur. Talis sententia communissime rejicitur, imo, ut videtur, implicite damnatur in concilio Tridentino.

112. Demonstratur donum formaliter justificans non esse ipsum Deum.

Demonstratur.

1. Si Deus (sive consideratus in natura, sive in aliqua Persona SS. Trinitatis) esset causa formalis nostræ justificationis, nos essemus formaliter ipsa Dei justitia. Atqui hoc non est. Ergo.

Declaratur nexus inter conditionem et conditionatum. Si Deus esset causa formalis nostræ justificationis, tunc ipse esset præcise hoc donum, quo formaliter constituimur justi, et nos essemus formaliter justi quia ipsa Spiritus Sancti, seu Dei, justitia nobis applicaretur ; consequenter essemus omnes eodem modo justi nempe eadem *infinita* Dei *justitia* nobis unita. Quod certo non verificatur.

2. Si Deus esset causa formalis nostræ justificationis, ipse esset nobis unitus ut actus potentiæ ; atqui hoc non est ; ergo.

Nam hæc unio Dei nobiscum esset necessario vel substantialis, vel accidentalis : non enim datur inter hæc medium. Jamvero hæc unio non est substantialis : qualis est v. gr. unio formæ ad materiam in composito substantiali : quia repugnat ut Deus, quum sit ipsum Esse subsistens et proinde infinitum in perfectione (2) constituat cum alio elemento novam naturam (3). Nec unio hæc est accidentalis : nam, tunc Deus inhæreret nobis tamquam accidens : quod iterum repugnat, quum Deum sit ipsum Esse subsistens, proinde nec Deus potest esse accidens inhærens nobis ; nec

---

(1) 2-2, q. 23, a. 2, cf. S. BONAVENTURA, *In I Sent.*, dist. XVII, P. I, q. 1 (t. I, p. 292 ss.).

(2) Cf. *Collat. Brug.*, t. VII, p. 513 ss. ; VAN DER MEERSCH, *De Deo uno et trino*, n. 198 ss.

(3) In incarnatione Verbi, secunda Persona SS. Trinitatis non unitur humanæ naturæ ut *actus potentiæ*, nec causalitatem, proprie loquendo, *formalem* exercet ; sed unitur formaliter *secundum subsistentiam* : quod, in sententia S. Thomæ explicatur per hoc quod *esse* personale Verbi Dei supplet esse proprium humanæ naturæ. Cf. 3, q. 2, a. 6, q. 17, a. 2 ; *Quodlibetum 9*, a. 3 ; BILLOT, *De Verbo Incarnato*, p. 125 ss., 134-146 ; VAN CROMBRUGGHE, *De Verbo Incarnato*, Gandavi, 1909, p. 58 ss.

nos esse subjectum cui inhæreat Deus. Ergo Deus non est causa formalis nostræ justificationis (1).

3. Docet Concilium Tridentinum : « Justificationis... unica formalis causa est justitia Dei, *non qua ipse justus est*, sed qua nos justos facit : qua videlicet ab eo donati... justitiam in nobis recipientes, *unusquisque suam secundum mensuram*, quam Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult, secundum *propriam cujusque dispositionem et cooperationem* ». Negat ergo Concilium nos justitia, qua Deus justus est, fieri justos. Ergo nostra justitia est diversa ab ipsa Dei justitia, est quædam justitia creata. Quod confirmat Concilium docendo hanc justitiam esse pro diversitate subjectorum plus minusve perfectam : igitur nequit esse ipse Deus.

PROPOSITIO QUARTA. *Illud donum internum quo homo fit justus est accidens, nempe qualitas.*

Demonstratur 1ª pars.

113. Illud donum demonstratur esse : a) accidens

Quum illud donum non sit ipse Deus, remanet ut sit aliquid creatum. Ens autem creatum est vel substantia simpliciter dicta, nempe substantia completa, vel principium substantiale, nempe substantia incompleta, vel accidens.

Atqui illud donum non est substantia completa, nec principium substantiale. Ergo illud donum est accidens.

Prob. min. Illud donum non est substantia completa : nam substantia completa nequit uniri alii substantiæ completæ secundum esse : inde si illud donum esset substantia completa non posset homini inhærere eique tribuere aliquod novum esse : consequenter non posset facere hominem intrinsece justum.

Deinde illud donum non est principium substantiale. Etenim principium substantiale unitur comprincipio tamquam actus vel potentia, ita ut ex unione duorum elementorum exsurgat una substantia, in aliquo genere entis constituta. Jamvero actus et potentia proprie dicta sibi mutuo correspondent et sunt in eodem ordine. Si ergo illud donum, de quo agitur, esset principium substantiale deberet esse in eodem ordine cum natura humana cui unitur, consequenter non esset aliquid supernaturale.

Demonstratur 2ª pars.

114. b) qualitatem.

Cuicumque singula accidentium genera consideranti facile patebit non nisi ad *qualitatem* pertinere posse illud donum quo homo justificatur.

Etenim « Non potest reduci ac prædicamentum *quantitatis, situs, habitus* ut est vestis ; hæc enim prædicamenta solum res corporeas

(1) Cf. S. Bonaventura, in I, dist. 17, p. I. q. 1 (t. I p. 294) ; in III, dist. 14, a. 1, q. 1 (t. III p. 296).

afficiunt. Non ad prædicamenta *ubi* aut *quando,* cum gratia non detur ad rem aliquam constituendam in loco vel tempore. Non ad meram *relationem,* cum gratia sit quid absolutum ;... (1) neque ad *actionem* aut *passionem,* quia est aliquid inhærens et permanens etiam cum ipsa non operatur. Ergo opus est illam esse *qualitatem,* quia medium non datur » (2).

Nota. Ex dictis patet donum, quo justificatur homo, esse *realiter distinctum* ab ipsa anima.

PROPOSITIO QUINTA. *Multo probabilius illud donum est realiter distinctum a charitate.*

115.

Prænotandum. Superest quæstio utrum illud donum sit realiter distinctum a cæteris donis supernaturalibus quæ secundum fidem catholicam, homini infunduntur, scilicet fides, spes, charitas. De fide et spe non est dubium, quum hæc possint remanere in peccatore. Remanet ut quæratur de charitate.

116. Auctorum opiniones.

Jamvero de hac quæstione, quæ libere disputatur inter theologos, duæ dantur sententiæ.

Alii tenent *non* dari *realem* distinctionem inter donum justificans et charitatem : hoc docent. inter alios, *Scotus* (in II, Dist. XXVII), *Molina* (Concordia, in q. 14, a. 13, disp. 38, p. 221), *Bellarminus* (De gratia et libero arbitrio, L. I, c. 6).

Alii tenent *realem* distinctionem : sic *Alexander Halensis* (Summa theologica, P. III, q. 69, memb. 2, a. 4). *S. Bonaventura* (in II, dist. 26. dub. 2 et dist. 27, a. 1, q. 2.), *S. Thomas,* cujus sententiam statim exponemus, *Capreolus* (in II, Dist. XXVI, a. 1.), *Dionysius Cartusianus* (Summa Fidei orthodoxæ L. II, art. 118), *Cajetanus* (in 1-2, q. 110, a. 3), *Suarez* (De Gratia, L, VI, c. 11 et ss.). *De Ripalda* (De ente supernaturali, disp. 132, n. 53), *Jungmann,* (o. c. n. 260), *Mazzella* (De Gratia, n. 958), *Lambrecht* (De Gratia, p. 138), Illmus ac Revmus *Waffelaert* (Annotationes, n. 438), *Pesch* (Tractatus dogmatici, t. V, n. 318), *Schiffini* (De Gratia, n. 203, III), *Van Noort* (o. c. n. 142).

117. Donum justificans realiter a charitate distingui probatur ;

Probatur. 1) Charitas est habitus *operativus*, est nempe virtus inclinans ad *actum* supernaturaliter amandi Deum. « Jamvero omnis virtus supponit *naturam* suæ inclinationi conformem, quam perficit. Ita virtus scientiæ in homine supponit naturam intellectualem, quam ipsa perficit in ordine ad intelligendum. Ergo charitas, utpote virtus supernaturalis, supponit in homine *esse supernaturale* suæ inclinationi conforme quod ipsa perficit ; ergo ipsa *non dat* esse supernaturale sed *perficit* illud in ordine ad *actus* eliciendos ; ac

---

(1) Jam suprà, n. 101-106, ostendimus donum quo homo justificatur esse aliquid homini internum et perfectionem intrinsecam ipsi afferens, proinde intrinsece modificans ipsius animam : jam ex hoc constat donum illud non posse esse mere *relationem*. De notione *relationis* cf. *Collat. Brug.,* t. III, p. 551 ss., t. VIII, p. 92, 262, 475.

(2) CASAJOANA, *Disquisitiones scholastico-dogmaticæ* vol. IV, p. 581.

proinde ipsa non est illud (gratia sanctificans) cui proprium est hoc esse supernaturale tribuere » (1).

118. confirmatur

2. Quod confirmatur sequenti consideratione : « Difficile videtur dicere habitum fidei non se habere ad gratiam sicut consequens ad præsuppositum. In quo si gratia a charitate distinguatur, nulla est difficultas, ut patet. Sed videtur inconveniens magnum sequi in opposita sententia. Charitas enim utpote supernaturalis appetitus, essentialiter præsupponit proportionatam, hoc est, supernaturalem cognitionem. Si igitur charitas idem dicatur cum gratia, habebimus eam rem quæ est gratia simul et charitas, fore quatenus est gratia, anteriorem fide ; quatenus charitas, fide posteriorem. Uterque autem prioritatis ordo est non rationis tantum, sed qui in ipsa re habetur : fides enim utpote certe distincta a gratia, cum sine gratia possit permanere, ad illam refertur ut res ad rem, ut participatio intellectualis operationis ad participationem naturæ ; quæ operatio ex natura resultat. Hic igitur ordo non rationis tantum, sed realis est. Item et alter ordo, fidei nimirum et charitatis est realis ; secundum rem enim amor præexigit cognitionem, cum per ipsam cognitionem amoris præsentetur objectum » (2).

119. confirmatur ilerum.

3. Confirmatur iterum ex ordine donorum supernaturalium quem ex notione elevationis naturæ ad finem supernaturalem pulcherrime exponit S. Thomas :

« Et quia unumquodque ordinatur ad finem per operationem aliquam, et ea quæ sunt ad finem, oportet esse aliqualiter fini proportionata, necessarium est esse aliquas hominis perfectiones quibus ordinetur ad finem supernaturalem, quæ excedant facultatem principiorum naturalium hominis. Hoc autem esse non posset nisi supra principia naturalia, aliqua supernaturalia operationum principia homini infundantur a Deo. Naturalia autem operationum principia sunt essentia animæ et potentiæ ejus, scilicet intellectus et voluntas, quæ sunt principia operationum hominis in quantum hujusmodi, nec hoc esse posset nisi intellectus haberet cognitionem principiorum per quæ in aliis dirigeretur, et nisi voluntas haberet naturalem inclinationem ad bonum natura sibi proportionatum. Infunditur igitur divinitus homini ad peragendas actiones ordinatas in finem vitæ æternæ, primo quidem gratia (sanctificans) per quam habet anima quoddam spirituale esse, et deinde fides, spes, et charitas : ut per fidem intellectus illuminetur de aliquibus supernaturalibus cognoscendis, quæ se habent in isto ordine sicut principia naturaliter cognita in ordine connaturalium operationum ; per spem autem et charitatem acquirit voluntas quamdam inclinationem in illud bonum supernaturale ad quod voluntas humana naturalem inclinationem non sufficienter ordinatur. Et sicut præter ista principia naturalia requiruntur habitus virtutum (moralium) ad perfectionem hominis secundum modum sibi connaturalem, ita ex divina influen-

(1) LAMBRECHT, *De gratia*, Gandavi, 1887, p. 140, qui hîc compendiose proponit argumentum S. Thomæ in *de Veritate*, Q. XXVII, a. 2.

(2) DE BAETS, *Quæstiones de gratia* (pro manuscripto) p. 64.

tia consequitur homo, præter præmissa supernaturalia principia, aliquas virtutes (morales) infusas, quibus perficitur ad operationes ordinandas in finem vitæ æternæ » (1).

Nota. Ex dictis constat justificationem, quae in praesenti Providentiae ordine requiritur ad aeternam salutem, obtineri per gratiam sanctificantem et virtutes connexas. Tenemus omnino quod *justitia originalis* qua primus homo, ante suum peccatum, donatus fuit a Deo, etiam principaliter consistit in gratia sanctificante et charitate : ita ut gratia sanctificans et charitas, non adaequate, sed *inadaequate* tantum, distinguuntur a justitia originali. Quod contra quosdam auctores recentiores nuperrime propugnavimus in *Collat. Brug.*, t. XX, p. 424, 506.

Corollaria.

120. Donum justificans subjectatur in essentia animæ.

PRIMUM COROLLARIUM.

Illud donum justificans quod a theologis vocatur *gratia sanctificans,* de cujus nomine aliquid postea dicemus, *est* in ipsa animæ *essentia,* tamquam in proprio subjecto, et non in aliqua animæ *potentia* seu operativa facultate. « Ista quæstio ex præcedenti dependet. Si enim gratia sit idem quod virtus, necesse est quod sit in potentia animæ sicut in subjecto ; nam potentia animæ est proprium subjectum virtutis, ut suprà dictum est (quæst. 66, art. 1). Si autem gratia differt a virtute, non potest dici quod potentia animæ sit gratiæ subjectum : quia omnis perfectio potentiæ animæ habet rationem virtutis, ut suprà dictum est (art. 1 et quæst. 55 et 56). Unde relinquitur quod gratia, sicut est prius virtute, ita habeat subjectum prius potentiis animæ, ita scilicet quod sit in essentia animæ. Sicut enim per potentiam intellectivam homo participat cognitionem divinam per virtutem fidei et secundum potentiam voluntatis amorem divinum per virtutem charitatis ; ita etiam per naturam animæ participat secundum quamdam similitudinem naturam divinam per quamdam regenerationem, sive recreationem » (2).

121. Donum justificans est essentialiter participatio naturæ divinæ.

SECUNDUM COROLLARIUM.

Doni formaliter justificantis seu *gratiæ sanctificantis essentia* est formaliter *participatio divinæ naturæ.* Demonstratum supponimus dari supernaturalem qualitatem, animæ infusam et, de se, permanenter inhærentem, ac *essentiæ* animæ, non operativis potentiis, subjectatam seu inditam ; hoc vero dono hominem formaliter justum constitui et ideo radicaliter ordinari ad Deum, quatenus est ultimus hominis finis supernaturalis. Jamvero aliunde cognoscimus Deum, quatenus est supernaturalis finis ultimus, esse Deum intuitive visum, possessum visione intuitiva intellectus : ergo oportet ut *gratia sanctificans,* qua homo *ordinatur ad hunc finem, reddat essentiam animæ radicaliter capacem illius visionis intui-*

(1) *De Virtutibus in communi,* q. 1. a. 10.
(2) S. Thomas, 1-2, q. 110, a. 4.

tivæ. « Oportet... quod homini detur aliquid, non solum per quod operetur in finem (supernaturalem), vel per quod inclinetur ejus appetitus in finem illum, sed per quod ipsa natura hominis *elevetur ad quandam dignitatem secundum quam talis finis sit ei competens,* et ad hoc datur gratia [sanctificans] » (1).

Hoc posito, dico : 122.

a) Omnia entia creata (et creabilia) sunt necessario aliqua participatio divinæ essentiæ, quatenus sunt realis et finita imitatio ipsius infinitæ perfectionis. Inde, in ordine physico et naturali, dantur variæ species, varii gradus entium secundum quod diversimode in se sunt imitationes ipsius Esse infiniti. Variæ etiam substantiæ habent propriam operationem quæ ipsarum naturæ correspondet : hominis v. gr., qua talis, maxime propria operatio est intelligere per abstractionem a phantasmatibus et per ratiocinium.

b) In ordine supernaturali, omnis entitas est etiam aliqua participatio divinæ perfectionis. Sed si essentiam illarum supernaturalium entitatum, quæ homini infunduntur, ulterius definire velimus, oportet imprimis hoc consideremus in quo maxime realizatur supernaturalitas, nempe visionem Dei intuitivam.

Hæc est intellectus operatio qua Deus *immediate,* nulla interposita creata similitudine, *cognoscitur,* seu *intentionaliter apprehenditur in semetipso.* Jamvero illius intuitivæ visionis proprium objectum, videlicet Deus *in se ipso* cognitus, est idem objectum operationis maxime propriæ ipsius Dei : operatio enim quæ Deo maxime propria est, et quæ ratione est prior omni alii operationi divinæ, est *cognoscere se in semetipso.* Igitur *creatura intellectualis, per intuitivam Dei visionem,* fit modo finito *particeps operationis illius quæ est maxime propria Dei.*

c) Porro si secundum modum nostrum intelligendi, varias in Deo distinguimus formales rationes (quæ in Deo sunt realiter idem (2), dicimus quod *natura* divina est formaliter divina essentia, *quatenus hæc est primum principium propriæ operationis Dei :* ergo natura divina est principium primum intellectualis cognitionis qua Deus semetipsum in seipso cognoscit.

d) Jamvero intuitivæ Dei visionis in homine principium primum est gratia sanctificans, ut suprà diximus : proinde hæc qualitas, essentiæ animæ indita, *formaliter* hanc positive (licet remote) *disponit* ad *participationem operationis* quæ est *maxime propria Dei :* ergo in hoc præcise consistit hæc qualitas quod sit *participatio ipsius naturæ divinæ,* indita animæ : qua nempe ipsa anima

(1) S. THOMAS, *De Veritate,* q. 27, a. 2.
(2) Cf. *Collat. Brug.,* t. VIII, p. 305., VAN DER MEERSCH, *De Deo uno et trino,* n. 128 ss.

fit radicaliter capax agendi (supernaturaliter et proportione servata) id quod agit ipse Deus (1).

123. Objectiones. **Objectiones** 1. In Deo essentia, natura, potentia operandi, operatio sunt idem : ergo nequit gratia sanctificans esse participatio divinæ naturæ quin sit eodem modo participatio cujuslibet perfectionis divinæ. R. *Dist. antec.* In Deo essentia, natura etc. sunt *realiter idem* et simul *virtualiter plura, conc. ;* in Deo essentia, natura etc. sunt realiter idem et *non virtualiter plura, nego.*

Sub data distinctione nego consequentiam et consequens.

Licet in Deo non sit nisi una res, et consequenter sint una res perfectiones omnes quas nos in Deo distinguimus, tamen illa Summa Res (ipsum Esse), quæ est Deus, æquivalet *realiter* illis perfectionibus quas nos distinguimus ; consequenter Summa Res, quæ Deus est, est *virtualiter multiplex ;* in creaturis, utpote finitis, infinita Dei perfectio partim reproducitur per perfectiones realiter, imo specifice ac generice, ab invicem distinctas. V. gr. in homine alia res est intellectus, alia res est voluntas : tamen in Deo eadem res est intelligere et velle. Inde intelligitur quomodo possit esse aliqua perfectio creata quæ sit *præcise* et *formaliter* participatio *naturæ* divinæ, quin sit præcise et formaliter participatio alius attributi divini, puta sapientiae, sanctitatis, omnipotentiae, etc.

Si nos haberemus intuitivam et simul perfecte comprehensivam de Deo cognitionem, non distingueremus in Deo diversas perfectiones, sed quia, ex una parte, Deus est infinitus in perfectione seu ipsa Infinita Perfectio, et quia, ex altera parte, noster intellectus est deficiens, oportet ut *diversas rationes,* h. e. diversas similitudines intentionales intellectu conceptas ex rebus existentibus, ponamus in Deo, ut sic de ejus infinita perfectione habeamus cognitionem (2).

Distinctio diversarum rationum formalium, quæ quoad nos est omnino necessaria, etiam solvit difficultatem quæ ex trinitate Personarum divinarum desumitur contra unitatem divinæ essentiæ. Et circa hanc solutionem subtiliter notat Cajetanus : « In Deo secundum rem sive *in ordine reali* est una res non pure absoluta nec pure respectiva [h. e. relativa] nec mixta aut composita aut resultans ex utraque, sed eminentissime et formaliter habens quod est respectivi imo multarum rerum respectivarum [videlicet trium realiter relativorum ad invicem, et eo ipso realiter inter se distinctorum] et quod est absoluti ; ita *in ordine formali* seu rationum formalium *secundum se, non quoad nos* loquendo, est in Deo unica ratio formalis non pure absoluta nec pure respectiva, non pure communicabilis nec pure incommunicabilis, sed eminentissime et formaliter continens et quidquid absolutæ perfectionis est et quidquid Trinitas respectiva exigit (3).

124. 2. Omnis entitas creata est aliqua participatio naturæ divinæ : ergo nequit gratiæ sanctificantis essentia definiri per hoc quod dicatur naturæ divinæ participatio.

---

(1) Cf. TERRIEN, *o. c.*, t. I, p. 86 ss., 252 ss.; BILLOT, *De virtutibus infusis, proleg.*, p. 30,
(2) Cf. DE JAEGHER, *o. c.*, n. 212, nota ; *Collat. Brug.*, t. VII, p. 234, 305.
(3) In 1, q. 39, a. 1. Cf. ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, *o. c.*, in *Collat. Brug.*, t. III. p. 551 s.

R. *Dist. antec.* Omnis entitas creata est aliqua participatio *essentiæ* divinæ et proinde divinae naturæ materialiter consideratæ, *conc.;* omnis entitas creata est participatio *naturæ* divinæ *formaliter* consideratæ, *nego.*

Sub data distinctione nego consequentiam et consequens.

Omne ens, in quantum ens, est aliqua imitatio essentiæ divinæ et proinde naturæ divinæ, materialiter sumptæ, quia non realiter distinguuntur in Deo essentia et natura. Sed natura formaliter considerata distinguitur ratione ab essentia : inde haberi potest aliqua perfectio creata quæ sit formaliter naturæ divinæ participatio et proinde distincta ab aliis perfectionibus creatis quæ perfectiones formaliter diversas imitantur.

In ordine naturali, homo, essentia sua, imitatur essentiam divinam, quatenus hæc est immaterialis et proinde intellectualis ; proinde humana essentia est *natura* quatenus est principium primum propriæ operationis humanæ, quæ est intelligere per abstractionem a phantasmatibus et per ratiocinium. Sed secundum hoc homo non est particeps *formaliter* **naturæ** divinæ, quia nondum ordinatur ad *operationem* quæ est *propria* Dei ; e contrario, in ordine supernaturali, ordinatur ad operationem participandam quæ est propria Dei, et ideo illa qualitas, qua præcise ad hanc operationem ordinatur positive essentia animæ, est, in se, participatio *naturæ* divinæ.

Utiliter perpendemus S. Thomæ verba docentis non per incarnationem animam Christi participem fieri *naturæ* divinæ, sed illam participationem fieri per *gratiam :* « Gratia, quæ est accidens, est quædam similitudo Divinitatis participata in homine. Per incarnationem autem humana natura Christi non dicitur participasse similitudinem aliquam divinæ naturæ, sed dicitur esse conjuncta ipsi divinæ naturæ in persona Filii. Majus autem est ipsa res quam similitudo ejus participata » (1).

125. Nota circa 2 Petr. 1, 4.

Nota. 1° Non contendimus assertum illud posse demonstrari his verbis S. Petri : « Maxima et pretiosa nobis promissa donavit (Christus) ut per hæc efficiamini (efficeremini) divinæ consortes naturæ » (2). Nam : a) non constat a S. Petro vocabulum *naturæ* omnino formaliter intelligi ; b) in hoc textu *consortium divinæ naturæ* potest duplici modo explicari, scilicet ; vel ut conjunctio cum Deo et possessio Dei per cognitionem et amorem, (præsertim in altera vita) (3); vel ut assimilatio supernaturalis ad ipsam naturam divinam : in hoc ultimo sensu tantum asseritur participatio naturæ divinæ, sensu explicato (4).

126. Nota circa aliam sententiam de essentia gratiæ sanctificantis.

2° Non omnes auctores eamdem statuunt essentiam gratiæ sanctificantis, quando explicant in quo præcise consistat similitudo cum divinitate. Ita

(1) 3, q. 2, a. 10, ad 1.
(2) *2 Petr.*, 1, 4.
(3) Cf. VAN STEENKISTE-CAMERLYNCK, *Commentarius in epistolas catholicas*, 5a edit., Brugis, 1909, p. 148.
(4) OBERDOERFFER, *De inhabitatione Spiritus Sancti*, p. 15.

v. gr. de Ripalda censet hanc similitudinem consistere in eo quod homo fiat radicaliter pronus ad omnes et solas operationes moraliter bonas et repugnans cuilibet peccato : proinde gratia sanctificans est formaliter participatio *moralis perfectionis* seu sanctitatis Dei (1). Huic sententiæ non adhærendum quia, secundum suprà exposita, gratia sanctificans est essentialiter aliqua *physica* similitudo divinitatis et quæ præcise ad ipsam intuitivam Dei visionem ordinat. Secundario, non primario, gratia sanctificans est primum principium operationum moraliter bonarum ac supernaturalium.

Communiter a theologis traditur sententia quam suprà propugnavímus (2).

TERTIUM COROLLARIUM.

127. *Donum justificans est quasi nova natura.*

Illud donum justificans est homini quasi nova natura.

Etenim illa *physica qualitas,* quæ *essentiæ* animæ inhæret, est supernaturale principium primum alicujus novæ operationis, nempe intuitivæ visionis Dei, omnino supernaturalis : est proinde novum principium primum operationis correspondentis, consequenter sub hoc respectu est ut nova natura.

Dicitur *quasi* nova natura : quia non est nisi accidens, habitus scilicet *entitativus.*

Præterea, ut postea dicetur, in dono illo justificante radicantur alia principia operandi supernaturaliter, nempe habitus *operativi,* qui sunt quasi principia proxima eliciendarum operationum supernaturalium. Sub hoc respectu etiam quasi *natura* est illud donum : sicut enim naturæ humanæ inhærent facultates operativæ, ita, proportione servata, gratiæ illi inseruntur virtutes infusæ.

128. *De nomine prædicti doni.*

Jam ex supra dictis perspicitur cur illud donum recte dicatur *gratia justificans ;* gratia quia est *supernaturale* donum ; justificans : quia est primum seu radicale principium supernaturalis ordinis quo ratio subditur Deo ordinaturque ad ipsum et reliquæ vires animæ subduntur rationi.

Etiam vocatur recte gratia *sanctificans :* quum enim *sanctitas* sit formaliter *rectitudo voluntatis* circa ultimum finem (3), quumque illa gratia, de qua agimus, sit principium ex quo resultat supernaturalis rectitudo voluntatis, sequitur illam gratiam esse primum principium sanctitatis.

129. *Definitio gratiæ sanctificantis.*

Ex suprà probatis sequitur quod gratia sanctificans recte definitur : **habitus entitativus, in essentia animæ infusus, quo anima redditur formaliter naturæ divinæ particeps** (4).

Scholion.

De quadam divisione gratiæ sanctificantis.

---

(1) *De ente supernaturali,* t. II, L. VI, disp. 132, n. 105.

(2) Cf. MAZZELLA, *De gratia,* n. 102 ss. ; LAMBRECHT, *De gratia,* p. 141 ; *Verklaring van den Mechelschen Catechismus,* Gent, 1882, 2de D., bl. 809.

(3) Cf. *Collat. Brug.,* t. V. p. 295.

(4) Varias definitiones vel descriptiones gratiæ sanctificantis v. apud S. BONAVENTURAM, *in II, dist. 26, dub. 2* (t. II, p. 648).

130. De gratiæ sanctificantis divisione in **operantem** *et* **cooperantem**

Licet non sit nisi una gratia sanctificans, nempe unus specie habitus entitativus assimilans Deo et gratum faciens (1), tamen antiqui scholastici secundum alium et alium *effectum* ejusdem gratiæ hanc distinguebant in *operantem* et *cooperantem*.

Gratia sanctificans, habitus entitativus, qualitas inhærens essentiæ animæ, est tamen quasi nova natura et ideo est principium primum seu remotum *operationis* supernaturalis ; inde, quando homo justificatus actu operatur supernaturaliter, gratia sanctificans, quia ex hac radicaliter procedit operatio et habet ut sit meritoria, dicitur *cooperans* ; quando vero homo non agit, gratia sanctificans quatenus est principium remotum operandi et quatenus radicaliter inclinat animam ad operandum dicitur *operans*. Inde intelligitur quomodo hæc divisio sumatur ex parte *effectus* : operans dicitur gratia ex effectu *formali,* quatenus scilicet animam reddit deiformem et sic aptam ac intrinsece inclinatam ad operationes supernaturales ; ex effectu vero *ulteriori,* nempe ex ipsa operatione libera et supernaturali, actu existente, dicitur cooperans, sicut anima humana aliquo modo diceretur cooperans relate ad actum qui elicitur ab ejus facultate, v. gr. intellectu (2).

131.

Inde S. Bonaventura dicit gratiam habitualem comparari ad animam in ratione *motoris*. Gratia enim *operans* liberum arbitrium prævenit et movet, quia Deus illam infundendo voluntatem hominis sanat et præparat : nempe gratia sanctificans, quæ est in essentia animæ, remote sanat et præparat voluntatem, charitas et aliæ virtutes infusæ, proxime. Gratia vere *cooperans* liberum arbitrium dicitur movere quia voluntas tali dono gratiæ informata, movet seipsam : sic gratia cooperatur in libera voluntatis electione (3).

Optime Capreolus de effectibus gratiæ sanctificantis : « Primus est ut anima sanetur et fiat grata Deo : hæc enim operatur gratia formaliter, non effective. Secundus est ut bonum velit ; et istum effectum principaliter facit, quantum ad substantiam, ipsum liberum arbitrium, licet gratia coagat ad illum non immediate, sed mediantibus aliis virtutibus ; verumtamen gratia dat formam per quam ille actus est meritorius. Tertius est ut bonum quod vult, efficaciter operetur. Quartus est ut in bono proficiat et perseveret. Et hos duos operatur, mediante libero arbitrio, effective. Quintus est ut ad gloriam perveniat...

« Ipsa autem gratia propter tot effectus, dicitur præveniens et subsequens, operans et cooperans : operans ratione primi effectus, cooperans respectu secundi ; præveniens respectu primi, subsequens respectu alterius. Semper enim gratia accepta secundum effectum priorem, potest dici præveniens ; et accepta secundum effectum posteriorem, potest dici subsequens » (4).

---

(1) Cf. S. BONAVENTURA, *o. c.*, dist. 27, a. 1, q. 1 (t. II, p. 654).
(2) Cf. S. THOMAS, *De veritate*, q. 27, a. 5.
(3) In II, dist. 26, q. 6 ; dist. 27, a. 1 et dub. 1. Cf. S. THOMAS, 1-2, q. 111, a. 2 ; DIONYSIUS CARTUSIANUS, *Summa fidei orthodoxæ*, L. II, a. 119, (t. XVII p. 327) ; CAJETANUS, in 1-2, q. 111. a. 2.
(4) In I, dist. 17, q. 1, concl. 3a (T. II, p. 73).

CAPUT II

DE CONSEQUENTIBUS AD GRATIAM SANCTIFICANTEM IN ANIMA.

Prænotandum. Uti suprà, n. 115., exposuimus, tenemus a charitate infusa realiter distingui donum supernaturale quod dicimus gratiam sanctificantem. De hujus doni consequentibus nunc agimus. Easdem tamen sequelas attribuunt vel charitati vel justificationi, absque ulteriori determinatione, auctores qui non admittunt realem distinctionem charitatem inter et gratiam sanctificantem.

132. Gratiæ sanctificantis effectus formalis est: 1°) deiformitas;

PROPOSITIO PRIMA. *Omni in anima effectus formalis gratiæ sanctificantis est deiformitas.*

Etenim quum gratia sanctificans sit participatio naturæ divinæ, quumque intrinsece afficiat animam, hanc reddit necessario supernaturaliter similem Deo seu deiformem.

133. 2°) adoptio in filium Dei;

PROPOSITIO SECUNDA. *Omnis mera creatura, recipiendo gratiam sanctificantem, fit adoptivus filius Dei.*

Etenim per gratiam sanctificantem fit creatura radicaliter capax visionis intuitivæ Dei et ad hanc positive, licet remote, ordinata ; præterea per hoc etiam acquirit jus (supposita aliunde Dei promissione) ad illam visionem ; atqui hæc visio est participatio operationis quæ est omnino propria Dei et qua ipse Deus est beatus, adeoque per gratiam sanctificantem fit homini jus ad fruendum aliquo modo beatitudine qua ipse fruitur Deus et proinde jus ad hæreditatem quæ soli naturali filio competeret : consequenter ad hoc recte dicitur hominem adoptari in filium Dei : nam hæc est præcise adoptio : alicujus *extranei* in filium assumptio, qua ille jus acquirit, ac si esset naturalis filius, ad bona quæ sunt propria adoptantis (1).

134. **Nota**. Dixi in propositione : *omnis mera creatura*, quia licet anima Christi fuerit gratia sanctificante ornata, non tamen Christus dici potuit *adoptivus* filius Dei. Ex deiformitate quæ est necessarius effectus gratiæ resultat adoptio in filium, in personis quæ aliunde hujus adoptionis sunt capaces, scilicet in personis Deo extraneis: definitur enim adoptio: *personæ extraneæ in filium et hæredem gratuita assumptio.* Quare, si forte gratia inveniatur in persona *non extranea* Deo, pro quanto ornat naturam unitam ei secundum hypostasim, semper quidem habebit suum proprium effectum, quin tamen in hujus naturæ supposito resultet adoptio

(1) Cf. S. THOMAS, in IV, dist. 42, q. 2, a. 1, ob. 1.

quia huic conditio personæ omnino obstat. Etiam in Christo gratia non destruit peccatum sicut in nobis.

PROPOSITIO TERTIA. *Gratia sanctificans est incompossibilis cum omni peccato mortali.*

135. 3o) remissio peccatorum;

Quum gratia sanctificans sit essentiale principium justitiæ, seu supernaturalis conversionis ad Deum, quum ex alia parte peccatum mortale sit *aversio a Deo,* sequitur quod nusquam in eodem subjecto dari possit et gratia sanctificans et reatus peccati mortalis ; sequitur etiam peccatum mortale habituale verificari in *privatione gratiæ sanctificantis prout dependenter ab actu qui præcessit et imputabiliter adhuc in esse perseverat* (1). Quando igitur animæ infunditur gratia sanctificans, eo ipso deletur in ipsa omne peccatum mortale. Inde dicit S. Thomas: « Formaliter gratia inhærendo expellit culpam » (2). « Gratia *non* expellit culpam *effective,* sed *formaliter* » (3).

136

Suarez dicit : « Respectu divinæ omnipotentiæ nude consideratæ non est physica repugnantia quod gratia in anima, actu peccante mortaliter, conservetur » (4). Hoc verum est in quantum ipsa actio peccaminosa non physice destruit entitatem gratiæ, et consequenter si physica possibilitas rei consideratur præcisive ab omni alia perfectione Dei, potest Deus conservare gratiam sanctificantem in anima actu peccante mortaliter. Sed non plene approbandum quod postea dicit : « Non obstante illa oppositione et repugnantia connaturali (inter mortale peccatum et gratiam) potest Deus de sua absoluta potentia eam vincere et conservare gratiam in eo qui peccavit, non remittendo illi peccatum » (5). Repugnat enim omnino *sapientiæ* Dei quod conservet gratiam sanctificantem in anima quæ peccat mortaliter ; talis enim conservatio esset summa violentia et inordinatio, necnon repugnat ut simul, in eadem anima, sint peccatum mortale et gratia : tunc enim anima simul esset positive aversa a Deo et conversa supernaturaliter ac positive ad Deum, esset injusta simul ac justa, objectum dilectionis Dei et objectum iræ ejus (6). Quum non sit possibile de potentia Dei absoluta, *simpliciter dicta,* id quod vere *repugnat alicui* Dei perfectioni, ideo non potest dici : de potentia Dei absoluta potest Deus conservare gratiam sanctificantem in anima peccante mortaliter. Infrà, ubi agetur de amissibilitate gratiæ, explicabimus quo sensu peccatum mortale dicatur *effective* corrumpere gratiam. Jam notemus differentiam : S. Thomas, uti suprà audivimus, dicit : Gratia *non* expellit culpam *effective,* sed formaliter ; e contrario dicit : peccatum *effective* corrumpit charitatem (7).

---

(1) Cf. BILLOT, *De natura et ratione peccati personalis,* p. 62; *Collat. Brug.,* t. VIII, p. 374.
(2) *De Veritate,* q. 28, a. 7, ad 4.
(3) *Ibid.,* ad 5.
(4) *De Gratia,* L. VII, c. 19, n. 19.
(5) *Ibid.,* c. 20, n. 7.
(6) Cf. SCHIFFINI, *o. c.,* n. 178; PESCH, *o. c.,* n. 335.
(7) 2-2, q. 24, a. 10.

137.
4o) inhabitatio Dei,

PROPOSITIO QUARTA. *In homine justificato, qua tali, Deus speciali ratione præsens inest seu inhabitat.*

Hæc propositio est de fide divina.

quæ demonstratur;
a) ex S. Scriptura;

Demonstratur.

A. EX S. SCRIPTURA.

« Si quis diligit me... ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus » (1). — « An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo, et non estis vestri » (2) ? — « Vos autem in carne non estis, sed in Spiritu, si autem Spiritus Dei habitat in vobis. Si autem quis Spiritum Christi non habet, hic non est ejus. Quod si Spiritus ejus, qui suscitavit Jesum a mortuis, habitat in vobis, qui suscitavit Jesum Christum a mortuis vivificabit et mortalia corpora vestra propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis » (3).

« Hisce clare et aperte doceri, ipsum Deum nobiscum uniri, nemo non videt. Ex una parte sermo est de persona Spiritus sancti. Spiritus enim Dei, Spiritus Christi, Spiritus sanctus non est alius nisi tertia Divinitatis persona. Ex altera parte non licet objicere, adhuc fieri posse, ut explicentur textus de donis et operationibus Spiritus sancti. Talis interpretatio arbitraria esset. Omnino singularis enim esset sacræ Scripturæ loquendi modus, si diceret; nos esse habitaculum, templum Spiritus sancti eam ob causam, quod dona sua in nos deponeret, quod vim suam operatricem in nobis manifestaret » (4).

138.
b) ex Traditione.

B. EX TRADITIONE.

S. *Irenæus* docet Spiritum sanctum debere uniri animæ ut homo sit perfectus, ut habeat *similitudinem* cum Deo. « Perfecti igitur, qui et Spiritum in se perseverantem habuerint Dei et animas et corpora sine querela servaverint » (5). « Sicut igitur... sine Spiritu cœlesti conversati sumus aliquando in vetustate carnis, non obedientes Deo : sic nunc accipientes Spiritum, in novitate vitæ ambulemus, obedientes Deo. Quoniam igitur sine Spiritu Dei salvari non possumus, adhortatur Apostolus nos, per fidem et castam conversationem conservare Spiritum Dei, ut non sine participatione sancti Spiritus facti amittamus regnum cœlorum » (6). Deinde docet homines non posse vivere, vera vita salutari, nisi possideantur a Spiritu sancto, nisi « Verbum Dei inhabitaverit et Spiritus Patris fuerit in vobis » (7).

---

(1) *Jo.*, XIV, 23.
(2) *1 Cor.*, VI, 19.
(3) *Rom.*, VIII, 9-11.
(4) OBERDOERFFER, *o. c.*, p. 10.
(5) *Adversus Hæreses*, L. V, c. 6.
(6) *O. c.*, c. 9.
(7) *Ibid.*

S. Cyrillus Hierosolymitanus : « Si ignis, ferri densitatem intus penetrans, illud totum facit ignem, et frigidum evadit calidum et nigrum evadit splendidum, si ignis, qui est corpus, in ferri corpus intrans tamquam sine obstaculo agit, quid miraris, quod Spiritus sanctus in intima animæ ingreditur » (1) ?

S. Epiphanius : « Si templa Dei nominamur propter inhabitationem Spiritus sancti, quis audeat repudiare Spiritum et disparem declarare a divina essentia, quum diserte apostolus dicat, nos templa Dei esse propter Spiritum sanctum, qui habitet in dignis » (2) ?

Quoad alios Patres, videsis S. Athanasium, *Epist. I ad Serapionem,* n. 26, P. G., t. XXVI, col. 586 ; S. Basilium, *De Spiritu Sancto*, c. IX, n. 23: CXXVI, n. 61, P. G. t. XXXII col. 109, 180 ss.; S. Cyrillum Alexandrinum, *De sancta et consubstantiali Trinitate* dial. VII, P. G. t. LXXV, col 1089.; S. Augustinum, *Epist.* CLXXXVII, n. 26, P. L. t. XXXIII, col. 841.

Explicatur.

139. Explicatur Dei præsentia: in ordine naturali ;

1. Accurate distinguendus est duplex modus quo Deus homini inesse potest ; (non loquimur hîc de unione hypostatica).

Primus modus est communis omnibus rebus, et est ille quo Deus entibus inest, quatenus est omnium *causa* essendi et permanendi in esse. « Deus est in omnibus rebus, non quidem sicut pars essentiæ, vel sicut accidens, sed sicut agens adest ei in quod agit. Oportet enim omne agens conjungi ei in quod immediate agit, et sua virtute illud contingere. Unde (Physic. lib. VII, Lect. 3) probatur quod motum et movens oportet esse simul. Cum autem Deus sit ipsum esse per suam essentiam, oportet quod esse creatum sit proprius effectus ejus ; sicut ignire est proprius effectus ipsius ignis. Hunc autem effectum causat Deus in rebus, non solum quando primo esse incipiunt, sed quamdiu in esse conservantur ; sicut lumen causatur in aëre a sole, quamdiu aër illuminatus manet. Quamdiu igitur res habet esse, tamdiu oportet quod Deus adsit ei secundum modum quo esse habet. Esse autem est illud quod est magis intimum cuilibet, et quod profundius omnibus inest ; cum sit formale respectu omnium quæ in re sunt, ut ex supradictis patet (quæst. VII, art. I). Unde oportet quod Deus sit in omnibus rebus et intime » (3). Hic modus essendi in rebus ulterius importat in Deo cognitionem et gubernationem omnium : inde habetur Dei *ubiquitas* secundum triplicem rationem quæ sic exponitur : « Rex dicitur esse in toto regno, scilicet per

(1) *Cateches.*, XVII, 14.
(2) *Hæres.*, 74, 13 — Cf. OBERDOERFFER, *o. c.*, p. 16 ss.
(3) S. THOMAS, 1, q. 8, a. 1.

suam potentiam, licet non sit ubique præsens. Per præsentiam vero suam dicitur aliquid esse in omnibus quæ in conspectu ipsius sunt ; sicut omnia quæ sunt in aliqua domo dicuntur esse præsentia alicui, qui tamen non est secundum substantiam suam in qualibet parte domus. Secundum vero substantiam vel essentiam dicitur aliquid esse in loco, in quo ejus substantia habetur... Oportet dicere quod Deus sit in omnibus per *potentiam,* in quantum omnia ejus potestati subduntur ; per *præsentiam* in quantum omnia nuda sunt et aperta oculis ejus ; per *essentiam,* in quantum adest omnibus ut causa essendi » (1).

Alter modus est solis intellectualibus creaturis proprius et habetur quatenus « *objectum* operationis est in operante ; quod proprium est in operationibus animæ, secundum quod cognitum est in cognoscente, et desideratum in desiderante. Hoc igitur secundo modo, Deus specialiter est in rationali creatura, quæ cognoscit et diligit illum actu vel habitu » (2). Hæc in ordine naturali.

140. in ordine supernaturali.

2. Sed in ordine supernaturali, qui nunc viget, homo destinatur ad finem supernaturalem, nempe ad intuitivam Dei visionem, cui correspondet amor supernaturalis. Hac visione, qua Deus immediate in sua essentia intelligitur, et consequenter supernaturaliter amatur, Deus est speciali omnino ratione præsens seu unitus, et quidem permanenter, creaturæ rationali. Sed æterna vita, quæ in cœlo consummatur, jam inchoatur hac in terra, quatenus homo « fide adhæret primæ veritati et charitate ipsi summæ bonitati » (3). Fide igitur et charitate fit Deus, speciali omnino modo, *objectum cognitionis* et *amoris,* et consequenter est, speciali ratione, ut cognitum in cognoscente et amatum in amante ; quia autem Deus sic possidetur *prouti est in se ipso,* sic etiam est in homine ut *amicus, propria sua bona* communicat amico (4). « Importat (amicitia)... tres conditiones scilicet benevolentiam, redamationem et communicationem. Amor enim quo alicui bonum volumus, cum mutuo amore,fundatus super aliqua communicatione, puta sanguinis ut inter consanguineos, vel militiæ, ut inter commilitones, etc. habet rationem amoris amicitiæ. Et si his adjunxeris quod

---

(1) ID., *ibid,* a. 3. S. THOMAS in I, dist. XXXVII, q. 1, a. 2, ratione aliquantisper diversa exponit hanc distinctionem : « Essentia ejus (Dei) cum sit absoluta ab omni creatura non est in creatura, nisi inquantum applicatur sibi per operationem : et secundum hoc quod operatur in re dicitur esse in re per præsentiam, secundum quod oportet operans operato aliquo modo præsens esse ; et quia operatio non deserit virtutem divinam a qua exit, ideo dicitur esse in re per potentiam ; et quia virtus est ipsa essentia, ideo consequitur ut in re etiam per essentiam sit ».

(2) S. THOMAS, I, q. 8. a. 3.

(3) ID., in I, Dist. XXXVII, q. I, a. 2.

(4) Nullus *amicitiæ* amor Deum inter et creaturam haberi potest extra ordinem *supernaturalem* : cf. Illmus ac Revmus WAFFELAERT, *Annotationes,* n. 389.

amore illo velimus bonum alicui propter seipsum principaliter, quod communicatio est in præcipuis animæ bonis, habebitur non solum ratio amicitiæ, sed amicitiæ maxime honestæ. Et adhuc si adjunxeris quod communicatio ista consistit in supernaturali consortio divinæ naturæ, habebitur ratio amicitiæ divinæ » (1).

Sicut igitur, in ordine naturali, duplici modo Deus inest homini scilicet tamquam *causa essendi* et tamquam *objectum cognitionis* ac *amoris,* ita, proportione servata, duplici modo est Deus præsens homini in ordine supernaturali, scilicet, primo tamquam *causa* infundens et conservans dona supernaturalia, quæ sunt participationes Dei *prout est in se ipso,* et secundo tamquam *objectum* supernaturalis cognitionis et amoris.

141, Supernaturalis inhabitatio consistit formaliter in hoc quod Deus possidetur supernaturali cognitione et amore.

Porro in hoc secundo præsentiæ modo consistit ipsa *habitatio* Dei in justo. Hæc enim supernaturalis unio solis intellectualibus creaturis convenire potest, quum illæ solæ possint Deum attingere cognitione et amore. « Et quia cognoscendo et amando, creatura rationalis sua operatione attingit Deum, *secundum istum specialem modum* Deus non solum dicitur esse in creatura rationali, sed etiam habitare in ea sicut in templo suo. Sic igitur nullus alius effectus potest esse ratio quod divina persona sit novo modo in rationali creatura, nisi gratia gratum faciens. Unde secundum solam gratiam gratum facientum mittitur et procedit temporaliter persona divina » (2). Deus igitur habitat in justo quatenus hic per gratiam sanctificantem et virtutes annexas *supernaturaliter Deum cognoscit et diligit actu vel habitu.*

Notemus: ut habeatur *habitatio* Dei in homine, requiritur in ipso *et* cognitio, *et* amor : sola enim cognitio, fides nempe, quæ in peccatore remanere potest, non sufficit : per hanc quidem habetur aliqua unio cum Deo, aliqua ejus præsentia ; sed inhabitatio Dei requirit veram Dei possessionem et de eo fruitionem : quæ non existit nisi per amorem amicitiæ (3).

Ipsum concilium Tridentinum docet « attritionem... donum Dei esse et Spiritus Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis » (4).

Perpendamus unionem quæ consistit in supernaturali cognitione et amore esse valde intimam et, in ratione *unionis,* multo per-

---

(1) CAJETANUS in 2-2, q. 23, a. 1.

(2) S. THOMAS, *Sum. Theol.,* 1, q. 43, a. 3. Cf. FROGET, *De l'habitation du Saint-Esprit dans les âmes justes,* p. 127-191.

(3) « Unio igitur cum Deo si dicatur fieri per gratiam, id objective est intelligendum, quatenus *per operationes* gratiæ ipse Deus in nobis sit. *Objective* dico, non excludendo ipsum Deum substantialiter esse in nobis, sed affirmando esse in nobis substantialiter *quia* est objectum nostrarum operationum supernaturalium : quia *cognoscendo et amando* creatura rationalis *sua operatione attingit Deum.* » DE BAETS, *o. c.,* p. 48.

(4) Sess. XIV, c. 4, *Enchir.,* n. 898.

fectiorem quam unio quæ habetur per contactum physicum duorum corporum. Per cognitionem enim cognoscens fit intentionaliter id quod cognoscit, et per amorem amans inclinatur in rem amatam : ita ut vere vivat de re cognita et amata. Hæc potiori modo habentur in supernaturali unione animæ cum Deo, quæ unio etiam magis ac magis intima fieri potest per varios effectus gratiarum actualium et etiam, nonnunquam per charismata (1).

142. Inhabitatio Dei in justo est fundamentaliter physica simul ac formaliter intentionalis.

Quærenti utrum Dei in justo inhabitatio sit physica, respondetur :

Fundamentaliter est physica, nempe ratione donorum supernaturalium quæ a Deo infunduntur ac conservantur ; *formaliter* est ordinis *intentionalis,* quia consistit in cognitione et amore. Actus vero quibus homo cognoscit et amat Deum sunt physicæ et supernaturales operationes intellectus ac voluntatis.

142bis. ADNOTATIO. Ut completa habeatur notio de habitatione seu speciali præsentia Dei in justo, oportet ut simul consideretur infusio et conservatio donorum supernaturalium ac terminatio illorum donorum in Deum.

Deus nempe gratiam sanctificantem habitusque supernaturales cum illa connexos producit in anima et conservat : secundum hoc Deus est *physice* et *supernaturaliter* praesens in anima.

Illa dona supernaturalia essentialiter ordinantur ad supernaturalem cognitionem, amorem et fruitionem Dei : gratia sanctificans est principium remotum, virtutes infusæ sunt principium proximum operationum supernaturalium. Per operationes virtutum theologicarum Deus, *prouti est in semetipso, intentionaliter* et supernaturaliter apprehenditur et diligitur adeoque, consequenter ad praesentiam supernaturalem *physicam,* fit Deus supernaturaliter etiam *objective* praesens.

Praesentia physica Deus participationem *sui, prouti est in semetipso,* confert homini : praesentia autem intentionali *semetipsum, prouti est in semetipso,* cognoscendum, diligendum præbet et etiam tamquam fruitionis objectum ; ita vere Deus ab homine justo possidetur et quum hæc possessio fiat per hoc quod ipse Deus sese, prouti est in semetipso, et sua propria bona communicat, ideo ut *amicus* permanenter manet apud justum et in ipso habitat per consortium amicitiae in vinculo mutuae dilectionis (2).

In modo supernaturali praesentiae, quam descripsimus, Deus *ipse* est praesens, et quidem *substantialiter :* tum quia Deus physice ibi est ubi operatur, tum quia ipse, prout est in semetipso, *intentionaliter* inest cognoscenti, diligenti et fruenti. Non igitur dici potest quod, secundum nostram sententiam, dona tantum Dei justo insunt, et non ipse Deus. Ad rem S. Thomas : « Nulla alia perfectio superaddita substantiae facit Deum esse in aliquo sicut objectum cognitum et amatum, nisi gratia, et ideo *sola gratia facit singularem modum essendi Deum*

---

(1) Cf. Leonis XIII encyclica citata, *Collat. Brug.,* t. II, p. 371 ss. ; P. ALPHONSE DE LA MÈRE DES DOULEURS, *Pratique de l'oraison mentale,* T. I. Bruges, 1909, p. 104, 107, 109 s.

(2) Perfecta erit inhabitatio Dei in justo per visionem intuitivam, et consequentem dilectionem ac fruitionem, in cœlo ; est imperfecta et inchoata, hac in tera. Cf. FROGET, *De l'habitation du S. Esprit,* 2e P. ch. 3-5.

in rebus » (1). « Per donum gratiae gratum facientis perficitur creatura rationalis ad hoc quod libere non solum ipso dono creato utatur, sed ut ipsa *persona divina fruatur*. Et ideo missio divina invisibilis fit secundum donum gratiae gratum facientis ; et tamen *ipsa persona* divina datur » (2). « Gratia gratum faciens disponit animam ad habendam divinam personam ; et significatur hoc cum dicitur quod Spiritus Sanctus datur secundum donum gratiae (3). Gratia gratum faciens disponit animam quatenus animam reddit radicaliter capacem possidendi Deum supernaturali cognitione, dilectione et fruitione.

Hæc scripseramus antequam R. P. Gardeil, in *Revue thomiste*, 1923, p. 5, p. 129 dissertationem edidit de inhabitatione Dei in justis. Optime ostendit cl. auctor differentiam inter sententiam Suarezii et sententiam Vasquezii et rite propugnat inhabitationem Dei in justis importare *et* praesentiam Dei qua formaliter ut *causa efficiens* gratiae, virtutum ac donorum physice inest animae *et* praesentiam Dei qua formaliter ut *objectum* supernaturalis cognitionis, amoris et fruitionis conjungitur animae.

NOTA. In *infantibus* non datur *actualis* cognitio et amor de Deo, sed infantes baptizati habent infusas fidem, spem, charitatem, quae sunt habitus supernaturales, quibus confertur habitualis cognitio et amor ; proinde inter infantes et Deum habetur unio physica per infusionem et conservationem illorum habituum et unio quaedam intentionalis, consistens non in operatione sed in habitu (4).

143.

Nec inutile sit breviter indicare quomodo differat inhabitatio Dei in justo a præsentia Christi recepti in sacra Communione : a) per inhabitationem Dei, tres Personæ SS. Trinitatis sunt præsentes, et quidem æqualiter, secundum sententiam quam propugnamus ; in sacra vero Communione solus Christus, incarnatum Verbum, recipitur speciali modo, quatenus ratione humanitatis est solus sub speciebus panis vel vini (5) ; b) inhabitatio est formaliter ordinis intentionalis ; præsentia Christi per Communionem est physica ; c) inhabitatio Dei durat quamdiu conservantur in anima dona supernaturalia infusa ; præsentia Christi durat quamdiu incorruptæ remanent *species* (accidentia) panis vel vini.

144. Hæc inhabitatio est communis tribus Personis SS. Trinitatis

3. Infusio gratiæ in homine provenit æqualiter a tribus Personis SS. Trinitatis : est enim operatio ad extra, cujus principium est omnipotens et efficax Dei voluntas, quæ realiter idem est ac natura divina, et ideo æqualiter est in tribus Personis.

---

(1) *Sum. theol., I*, Q. VIII a. 3, ad 4 ; cf. *Comment. in 2 Cor.*, VI, 16, lect. 3.

(2) *Sum. theol., I*, Q. 43, a. 3 ad 1.

(3) *Ibid.* ad 2. — Praeter auctores jam citatos, cf. HUGON, *Revue thomiste*, 1912, t. XX p. 1 ss. ; PRAT, *Théologie de saint Paul*, IIe P., p. 418 ss. ; BLONDIAU, 286 ss. ; p. 333 ss. ; MERCHELBACH, *Revue ecclesiastique de Liége*, t. XIII, 1922, p. *Collat. Namurc.*, t. XII (1912-1913), IIImus *D. Janssens*, O. S. B., *De gratia*, p. 31. 221 ss.

(4) Ad rem CAPREOLUS, *In I Sent.*, dist. XXXVII, Q. I, (t. II, p. 437) : « Licet ei qui Deum diligit habitualiter vel habitualiter cognoscit, Deus non objiciatur actu, loquendo de actu secundo, qui est operatio ; objicitur tamen ejus intellectui aut voluntati, in actu primo. Qui enim habet habitum respectu alicujus objecti, jam habet et attingit illud in actu primo, qui est forma vel esse... Et ideo dico quod talis habet Deum praesentem penes se, non solum in potentia sed in actu ; et est actualiter Dei templum, cujus Deus objicitur voluntati aut intellectui, ut objectum cognitum et amatum ».

(5) Cf. VAN NOORT, *De Sacramentis*, t. I, n. 365.

Ipsa Dei præsentia per hoc quod est *objectum* seu terminus supernaturalis cognitionis ac amoris, est etiam æqualiter pertinens ad tres Personas : nulla melius quam alia cognoscitur, nec perfectius amatur.

Ideo dicit Dominus : « Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum *veniemus* et mansionem apud eum *faciemus* » (1).

Hanc mansionem esse communem tribus Personis docet sic *S. Thomas :* « Assumptio quæ fit per gratiam adoptionis terminatur ad quamdam participationem divinæ naturæ secundum quamdam assimilationem ad bonitatem illius ; et ideo hujusmodi assumptio communis est tribus personis et ex parte *principii* et ex parte *termini* » (2).

145. Utrum specialis unio cum Spiritu Sancto.

In S. Scriptura sæpe sermo fit de unione justi cum *Spiritu Sancto,* de inhabitatione Spiritus Sancti : « Caritas Dei diffusa est in cordibus vestris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis » (3). « Quoniam estis filii misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem : Abba, Pater » (4). « Nescitis quia templum Dei estis et Spiritus Dei habitat in vobis » (5). « An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti » (6). ?

Ideo quæritur utrum detur *specialis* præsentia *Spiritus Sancti in justo* vel aliqua specialis *unio* justi ad Spiritum sanctum, unio quæ non sit communis aliis SS. Trinitatis Personis.

Plerique theologi respondent *negative.* Illa porro S. Scripturæ testimonia explicant per *appropriationem,* quatenus scilicet habitatio Dei in justo specialiter tribuitur Spiritui Sancto propter specialem connexionem cum ratione distinctiva illius Personæ (7).:

Quum enim illa Dei inhabitatio sit *fundamentaliter* ipsa gratiæ sanctificantis infusio, quæ est effectus amoris singularis Dei erga nos, et quum *formaliter* sit unio per cognitionem et amorem supernaturalem, quumque Spiritus Sanctus in Deo procedat sicut amor vel potius sicut res amata in amante, ideo illa infusio et hæc unio specialiter tribuuntur Spiritui Sancto. Secundum hanc sententiam unio Dei cum justo est æqualiter tum effective a tribus Personis tum terminative ad illas : effective quatenus tres Personæ æqualiter efficiunt gratiam ; terminative, quatenus tres Personæ sunt æqualiter objectum seu terminus supernaturalis cognitionis et amoris. Hæc est sententia S. Thomæ, ut constat ex testimonio suprà citato.

---

(1) Jo., XIV, 23.

(2) *Sum. Theol.,* 3, q. a. 4 ad 3. Cf. Leonis XIII encyclica citata. *Collat. Brug.,* t. II, p. 370 s.

(3) *Rom.,* V, 5.

(4) *Gal.,* IV, 6.

(5) *1 Cor.,* III, 16.

(6) *1 Cor.,* VI, 19.

(7) « Appropriatio est ille loquendi modus in re fundamentum habens, quo certæ operationes vel proprietates ad divinam naturam spectantes uni personæ præ aliis tribuuntur ». JUNGMANN, *De Deo Trino,* n. 101. « Appropriatio est de re, in quantum debet habere aliquod fundamentum a nostro intellectu independens ; est de modo intelligendi et loquendi, in quantum per solam operationem mentis, uni specialiter Personæ attribuitur id quod revera tribus commune est ». BILLOT, *De Deo Trino,* Thes. XXXIV, VAN DER MEERSCH, *De Deo uno et trino,* n. 856 ss.

Attamen *Petavius* ac nonnulli alii theologi (1) censent specialem dari ad ipsam Personam Spiritus Sancti unionem justi, quæ non habetur cum aliis divinis Personis. Hæc conjunctio, ait Petavius, « in hypostasi sive persona inest Spiritus Sancti :adeo ut certa quædam ratio sit, qua se Spiritus Sancti persona sanctorum, justorumque mentibus applicat, quæ cœteris personis (divinis) eodem modo non competit » (2). « Sic in homine justo tres utique personæ habitant. Sed solus Spiritus Sanctus quasi forma est sanctificans,, et adoptivum reddens sui communicatione filium. Non enim necessaria et naturalis hic filii proprietas agitur, quæ nonnisi ipsius divinæ Filii personæ applicatione conjunctioneque potest tribui, sed adoptiva et voluntaria. *Voluntarie enim genuit nos verbo veritatis* (3). Omnis autem voluntariæ bonitatis largitatisque fructus ad illum refertur Spiritum, qui ex voluntate procedit et substantialis charitas dicitur » (4).

Respondemus optime intelligi cur ad Spiritum Sanctum referatur omnis voluntariæ bonitatis largitatisque fructus : hoc enim fieri potest per *appropriationem,* ut suprà exposuimus.

Ut vero specialis sit Spiritus Sancti cum justo *conjunctio realis,* requireretur in justo aliqua *realis relatio* quæ *terminaretur* ad ipsam personam Spiritus Sancti (5). Sed hujus relationis quodnam esset *fundamentum ?* Certe non est assumptio justi ad esse personale Spiritus, sicut verificatur in incarnatione Verbi.

Quidam censent esse ipsam gratiam sanctificantem, quatenus per hanc specialiter ad Spiritum Sanctum referretur homo. Huic opinioni non adhærere possumus quia gratia sanctificans a tribus personis divinis aequaliter producitur et est formaliter participatio divinae naturae, quae est communis tribus personis, v. suprà, n. 121.

Hæc specialis unio justi cum Spiritu Sancto secundum Petavium, in hoc esset quod solus Spiritus Sanctus esset *quasi forma* qua formaliter sanctificatur homo : nempe ipsa dona supernaturalia animæ infusa, ex natura sua, redderent animam ita conjunctam cum Spiritu Sancto ut hic fieret quasi forma sanctitatis (6) : de hac opinione præcise quatenus importat Spiritum Sanctum esse *quasi formam* sanctitatis redibit sermo, infrà, n. 152.

Aliam explicationem proponit Illmus ac Revmus Waffelaert (7) quæ huc redit : unio justi cum Deo non gratiam sanctificantem habet ut formalem causam, quum gratia non nisi in anima sit et tantum dispositio ad actum quo justus fruitur Deo ; sed illa unio consistit formaliter in hoc quod tertia Persona SS. Trinitatis applicatur ad personam humanam, eamque reddit non tantum participem naturæ divinae, quod fit per gratiam sanctificantem, sed et adoptivum filium Dei, eamque conjungit cum

---

(1) Cf. ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, *Meditationes theologicæ, Collat. Brug.*, T. VIII p. 153 ss.

(2) *De Trinitate,* L. VIII, c. 6, n. 6.

(3) Jac., I, 18.

(4) PETAVIUS, *o. c.*, l. c., n. 8.

(5) Hæc relatio, sicut omnis relatio quæ consideratur inter Deum et creaturam, *realiter* quidem esset in creatura, nempe in justo, per cujus mutationem talis relatio innascitur ; non autem esset realiter in Deo, sed secundum rationem tantum ; quia non innascitur secundum mutationem Dei. Cf. S. THOMAS, *Sum. Theol.*, I. q. 13, a. 7 ; 3, q. 2, a. 7.

(6) Cf. ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, *o. c.*, in *Collat. Brug.*, t. VIII p. 157.

(7) *Collat. Brug.*, t. XV (an. 1909) p. 441, 513, 625, 673, t. XVI (1910) p. 5. Eadem dissertatio sejunctim edita est sub titulo *De unione justorum cum Deo,* Brugis, 1911.

objecto fruibili, Deo. Pater et Filius sunt etiam objectum fruitionis, sed Spiritus Sanctus solus est *terminus* unionis : haec unio est *personalis,* quatenus persona humana unitur immediate Personae divinae, sc. Spiritus Sancti, et per hanc Personam habitant in justo etiam Pater et Filius. Unio illa est relatio quaedam ordinis intentionalis, cujus terminus est ipsa Persona divina, sc. Spiritus Sanctus, qui inde applicatur personæ humanae eamque reddit adoptivum filium Dei.

Occasione hujus quæstionis, alteram proponit theologorum inquisitioni Illustrissimus ac Reverendissimus Waffelaert : utrum in cœlesti beatitudine specialis cum solo Verbo sit unio animæ beatæ ? nempe unio quæ licet active sit a tribus Personis, tamen passive seu terminative ad solam Personam Verbi ? Hæc unio fieret « secundum characterem personalem Verbi, in modum manifestationis sui ipsius » (1).

146. Interna missio Filii ac Spiritus Sancti.

4. Non sola persona Spiritus Sancti dici potest *mitti* ad nos invisibiliter, sed etiam Filius. Quod bene explicat *S. Thomas:* « In ratione missionis duo importantur ; quorum unum est habitudo missi ad eum a quo mittitur ; aliud est habitudo missi ad terminum ad quem mittitur. Per hoc autem quod aliquis mittitur ostenditur processio quædam missi a mittente ; vel secundum imperium, sicut dominus mittit servum ; vel secundum consilium, ut si consiliarius mittere dicatur regem ad bellandum ; vel secundum originem, ut si dicatur quod flos emittitur ab arbore. Ostenditur etiam habitudo ad terminum ad quem mittitur, ut aliquo modo ibi esse incipiat ; vel quia prius ibi omnino non erat quo mittitur, vel quia incipit ibi aliquo modo esse quo prius non erat. Missio igitur divinæ personæ convenire potest, secundum quod importat ex una parte processionem originis a mittente, et secundum quod importat ex alia parte novum modum existendi in alio » (2).

Porro *novus modus* existendi in creatura, secundum quem fit personæ divinæ *missio invisibilis,* habetur in hoc quod per gratiam persona divina fit objectum supernaturalis cognitionis et amoris (3), i. e. seipsum præbet supernaturaliter cognoscendum et amandum, communicando seipsum ut summum Verum ac Bonum.

Tandem in hoc novo modo præsentiæ mittitur et Filius et Spiritus Sanctus, et propter eamdem rationem : « Per gratiam gratum facientem tota Trinitas inhabitat mentem... Mitti autem personam divinam ad aliquem per invisibilem gratiam, significat novum modum inhabitandi illius personæ et originem ejus ab alia. Unde cum tam Filio quam Spiritui Sancto conveniat et inhabitare per gratiam, et ab alio esse, utrique convenit invisibiliter mitti. Patri autem licet conveniat inhabitare per gratiam, non tamen convenit ab alio esse, et per consequens nec mitti » (4).

---

(1) *O. c.,* p. 159.
(2) *Sum. Theol.,* I, q. 43, a. 1.
(3) Hoc docet S. THOMAS, l. c., a. 3.
(4) S. THOMAS, l. c., a. 5 ; cf. VAN DER MEERSCH, *De Deo unó et trino,* n. 813, 816.

Nota. Dici potest: Deus seu Spiritus Sanctus *per suam substantiam* inhabitat animam : unio enim justi, qua talis, terminatur ad ipsas Personas divinas. Nequit tamen hæc unio dici *substantialis :* quia ex justo et Deo, quatenus uniuntur, non constituitur *una* substantia aut persona (1). *147.*

Caput III

DE CAUSIS JUSTIFICATIONIS

Prænotanda.

Causa generatim definitur : « Principium per se influens esse in aliud ». Principium generatim est id a quo aliquid quocumque modo procedit. Nomine vero causæ designatur id a quo aliquid procedit modo quodam determinato : nempe, quatenus id quod dicitur causa per verum *influxum suum,* dat esse alteri rei a se saltem inadæquate distinctæ ; hæc autem res, quæ influxu principii transit de non esse ad esse, vocatur res facta seu effectus (2). *148. De notione causæ.*

Jamvero dantur quatuor causarum genera : efficiens, finalis, materialis et formalis : duo priora sunt effectui *extrinseca, intrinseca* vero posteriora. Causarum intrinsecarum propria causalitatis ratio in hoc consistit quod immediata ad invicem unione *constituunt* aliquod compositum ab utraque inadæquate distinctum. Hoc porro compositum esse potest vel substantiale, quando ex unione duorum elementorum exsurgit aliquod ens in suo primo esse constitutum, vel accidentale quando aliquid, in suo primo esse jam constitutum, recipit per accessionem alicujus formæ, aliquod esse secundarium quod complet esse substantiale. *149. De causarum generibus.*

Jamvero si ad invicem comparantur, causa materialis est « id ex quo aliquid fit et est ei inexistens, (puta materia prima respectu rerum materialium, materia secunda respectu artefactorum ; item quodlibet subjectum quod forma perficitur, respectu compositi) ». Causa formalis est « id quo aliquid est determinatum ad specialem rationem entis sive sit forma substantialis, qua ens corporeum determinatur ad unam speciem in genere substantiæ, sive sit forma accidentalis qua res in suo primo esse jam constituta, determinatur ad participandum esse secundum quamdam perfectionem sibi superadditam » (3).

Variæ justificationis causæ exponuntur in decreto concilii Tridentini : « Hujus justificationis causæ sunt, finalis quidem : gloria Dei et Christi ac vita æterna ; efficiens vero : misericors *150. Justificationis causæ enumerantur ;*

(1) Cf. Terrien, *o. c.*, t. I, p. 423.
(2) Cf. De Jaegher, *o. c.*, n. 272 ss.
(3) Billot, *De Sacramentis,* t. I, p. 48 ss.

Deus, qui gratuito abluit et sanctificat signans et ungens Spiritu promissionis Sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ ; meritoria autem : dilectissimus Unigenitus suus, Dominus Noster Jesus Christus, qui, quum essemus inimici, propter nimiam caritatem qua dilexit nos, sua sanctissima passione in ligno crucis nobis justificationem meruit et pro nobis Deo Patri satisfecit ; instrumentalis item : sacramentum baptismi, quod est sacramentum fidei, sine qua nulli unquam contigit justificatio ; demum unica formalis causa est justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit, qua videlicet ab eo donati renovamur spiritu mentis nostræ, et non modo reputamur, sed vere justi nominamur et sumus » (1).

151. explicantur.

Finalis causa dicitur : gloria Dei et Christi ac vita æterna.

Omnis operatio Dei ad extra natura sua tendit, vel mediate vel immediate, ad *formalem* Dei gloriam procurandam : hæc igitur est ultimus finis *operis* cujuslibet a Deo ad extra. In textu concilii dicitur : *ac Christi :* quia opus, de quo hîc agitur, scilicet hominum justificatio est opus speciali modo tribuendum Verbo Incarnato et propter quod Deus exaltavit Christum et dedit illi nomen quod est super omne nomen. Dicitur : *vita æterna* : etenim supernaturalis beatitudo hominum est materialiter idem ac gloria Dei extrinseca, in præsenti ordine Providentiæ (2).

Efficiens causa dicitur : misericors Deus.

Hîc indicatur causa efficiens *principalis*. Hanc esse solum Deum demonstrat S. Thomas : « Nulla res potest agere ultra suam speciem : quia semper oportet quod causa potior sit effectu. Donum autem gratiæ excedit omnem facultatem naturæ creatæ : cum nihil aliud sit quam quædam participatio naturæ divinæ, quæ excedit omnem aliam naturam. Et ideo impossibile est quod aliqua creatura gratiam causet (3). Sic enim necesse est quod solus Deus deificet, communicando consortium divinæ naturæ per quamdam similitudinis participationem, sicut impossibile est quod aliquid igniat nisi solus ignis » (4).

Secundum sententiam, cui adhæremus, solus Deus est etiam sola causa *perfectiva* (5) gratiæ, nempe sola causa quæ *physice* attingit entitatem gratiæ : censemus enim sacramenta esse causam instrumentalem gratiæ tantum *dispositivam* et ordinis *intentionalis* (6).

---

(1) *Enchir.*, n. 799.
(2) Cf. *Collat. Brug.*, t. VI, p. 558 ss., t. XIX, p. 251 ss.
(3) H. e. ut causa principalis. De causa *instrumentali* gratiæ agit S. Thomas, *Sum. Theol.*, 3, q. 62, a. 1 ss.
(4) *O. c.*, 1-2, q. 112, a. 1. Cf. *De veritate*, q. 27, a. 3 et 4.
(5) Cf. *Collat. Brug.*, t. VIII, p. 530 ; VI, p. 444.
(6) Cf. *Collat. Brug.*, t. III, p. 523 ; t. VI, p. 443 I ; De Smet, *De Sacramentis* in genere, n. 30 ss.

Instrumentalis (1) causa dicitur sacramentum baptismi. Hîc sermo fit tantum de *baptismo* : quia est sacramentum quo, regulariter loquendo, homo prima vice fit justus... Etiam Christus secundum humanitatem dici potest aliquo vero sensu causa efficiens instrumentalis gratiæ (2).

Meritoria causa dicitur Dominus noster Jesus Christus (3). Causa meritoria sub alia ratione ad *dispositionem* reducitur, sub alia, ad causam *finalem*. Quando agitur de Christo, quatenus ut secundus Adam, meruit gratiam pro toto genere humano, meritum ejus reducitur ad causam finalem, nempe ad id cujus gratia, seu id propter cujus dignitatem, aliquid datur. Sic intelligitur cur actus meritorius Christi potuerit esse posterior suo effectu, nempe collatione gratiæ : Deus nempe qui ab æterno omnia præcognoscit, potuit, intuitu meriti futuri Christi, jam ante Christum concedere gratiam (4).

Cum Christo et dependenter ab Ipso, ejus Mater, Beata Maria Virgo, est aliqua ratione etiam causa *meritoria* gratiarum quae nobis meruit Christus. Hoc docet Pius X, in encycl. *Ad diem illum* (2 Febr. 1914) : « Patet itaque abesse profecto plurimum ut nos Deiparae supernaturalis gratiæ efficiendæ vim tribuamus, quae Dei unius est. Ea tamen, quoniam universis sanctitate praestat conjunctioneque cum Christo, atque a Christo ascita in humanae salutis opus, *de congruo*, ut aiunt, promeret nobis quae Christus *de condigno* promeruit, estque princeps largiendarum gratiarum ministra ». De illa quaestione, quaedam dicemus infrà, in appendice ad volumen.

Formalis causa dicitur justitia Dei qua *nos justos* facit, qua *renovamur* spiritu mentis nostræ, quæ *in nobis recipitur* et *dispositionibus uniuscujusque* illam recipientis *proportionatur*. Illa proinde definitione statuitur *interno* dono et *inhærenti* homini, hunc *formaliter justificari*, et damnatur Lutheri sententia asserentis justificationem esse formaliter *declarationem* judiciariam qua Deus aliquem ut justum habet, seu justitiam esse mere extrinsecam et imputatam. Illa definitio, ut patet, summi est momenti, præsertim quia dicendo « *unica* causa formalis », rejicit concilium opinionem illorum qui duplicem justificationem, unam internam seu inhærentem, externam seu imputatam alteram admittebant (5).

152. De opinione qua asseritur specialis unio ad Spiritum Sanctum ut homo fiat adæquate filius adoptivus Dei.

Hac definitione non rejicitur opinio quorumdam theologorum qui, licet admittant hominem formaliter *justum* reddi per gratiam, censent tamen illum non esse adæquate *filium adoptivum Dei* nisi speciali unione ad ipsum Spiritum Sanctum. Quod Lessius (1554-1623) sic exprimit : « Cogita Spiritum Christi esse veluti immensam quandam animam, quæ augustiis istius humanitatis non coërcetur, sed in omnem partem quasi in infinitum exundat : itaque sufficiens est, ut non solum illum hominem seu hoc indi-

(1) De ratione causæ *instrumentalis*, cf. *Collat. Brug.*, t. XV, p. 215 ss.
(2) Cf. *Collat. Brug.*, t. XI, p. 559 ; t. XIV, p. 233.
(3) Christum esse causam meritoriam demonstratur in *Collat. Brug.*, t. XI, p. 159.
(4) Cf. BILLOT, *De Sacramentis*, t. I, p. 49.
(5) Cf. HEFNER, *Die Entstehunsgeschichte des Trienter Rechtfertigungsdekretes*, p. 247 ss. Noluit concilium dirimere quæstionem utrum gratia sanctificans realiter distinguatur a charitate infusa. Cf. *o. c.*, p. 251 ; PESCH, *o. c.*, n. 350.

viduum, sed omnes etiam illos, qui illi adhæserint, vivificet et consequenter filios Dei efficiat. Facit autem hæc non immediate per se nos informando, sed per dona gratiæ, quæ nobis infundit. Sumus ergo filii Dei proprie et formaliter non tam per donum aliquod creatum secundum physicam suam entitatem consideratum, quam per inhabitationem et possessionem spiritus divini vivificantis et regentis animas nostras, sive per gratiam habitualem, quatenus hæc facit nos possidere Spiritum Dei » (1).

Idem docent Petavius (1583-1652) (2), Thomassinus (1619-1695) (3), quorum opinionem, nostra ætate, admittunt Scheeben, (4), Hurter (5), Illmus ac Revmus Waffelaert (6), qui objectiones plures aliis merito factas declinat ; impugnant vero Franzelin (7), Granderath (8), Oberdoerffer (9), Froget (10).

Cl. Hurter hoc tradit argumentum : « Constituimur filii Dei regeneratione. De ratione vero generationis est naturæ communicatio : cum ergo aliunde constet, nos reddi divinæ naturæ consortes, participes non solum charismatum Spiritus S., sed ipsius Spiritus Sancti.., omnia suadent, nos pleniori saltem sensu reddi filios Dei adoptivos, quatenus regeneratione in nos transit Spiritus adoptantis : adeo ut adoptatus, quamvis non naturaliter possideat naturam adoptantis (tunc enim esset filius naturalis) supernaturaliter illam participet » (11).

Respondemus nos omnino admittere de ratione generationis esse communicationem naturæ et proinde homines eatenus generari in filios Dei quatenus illis aliquo modo communicatur divina natura. Hæc vero divinæ naturæ communicatio fit ipsa gratia sanctificante nobis infusa, qua formaliter naturæ divinæ participes efficimur, ut suprà, n. 119 ss., exposuimus, et proinde physice et supernaturaliter assimilamur naturæ divinæ. Nec intelligimus quomodo possit esse alia physica unio inter animam et ipsam Personam divinam quum unio hypostatica, certe non habetur inter justum et Spiritum Sanctum.

Supernaturalis assimilatio animæ ad Deum per gratiam sanctificantem habet tamquam connaturale complementum in potentiis animæ supernaturalem cognitionem et amorem quibus Deus possidetur (12) : hac in terra, fide et charitate : in altera vita, intuitiva visione et charitate perfecta. Sed in visione intuitiva *physice* quidem unitur Deus immediate animæ, quatenus infundit et conservat lumen gloriae, *intentionaliter* vero fit immediate præsens intellectui, ut objectum cognitum cognoscenti.

Caput IV

DE DISPOSITIONIBUS AD JUSTIFICATIONEM.

Notiones præviæ.

A. Quædam hic exponendæ sunt notiones inter se affines.

---

(1) *De divinis perfectionibus*, L. XII. Cf. Bellamy, ap. Vacant-Mangenot, *Dict. de théol. cath., art. Adoption surnaturelle*, col. 428 ss.
(2) *De Trinitate*, L. VIII, c. 4 ss.
(3) *De Incarnatione*, L. VIII, c. 9 ss.
(4) *Handbuch der katholische Dogmatik*, L. II, § 125, L. III, § 169.
(5) *Theologiæ dogmaticæ compendium*, t. III, n. 190.
(6) *Meditationes theologicæ*, in *Collat. Brug.*, t. VIII, p. 150-162 ; t. XV, p. 442, 613, 625, 673, t. XVI, p. 5.
(7) *De Deo Trino*, Romæ, 1869, p. 568 in nota.
(8) *Zeitschrift für katholische Theologie*, 1878.
(9) *De Inhabitatione Spiritus sancti*, p. 71-122.
(10) *De l'habitation du S. Esprit dans les âmes justes*, p. 195 ss.
(11) l. c.
(12) V. suprà n. 137.

153. *Quid sit positiva dispositio;*

1. Definitur *dispositio positiva :* realis habitudo subjecti, qua subjectum per se indifferens actuatur et constituitur plus minusve proxime idoneum ad formam suscipiendam, ita ut hæc sit ipsius connaturale complementum. Dicitur *habitudo realis,* quia est modus quidam subjecti non consistens in negatione, sed in positiva realitate. Dicitur *subjectum per se indifferens,* quia dispositio est proprie aliquid accidentaliter superveniens subjecto ipsumque ad hoc potius quam ad illud determinans. Si enim hic modus est essentialis subjecto, ideoque jam ex se est subjectum ad aliquid determinatum, ea proprie non dispositio sed potentia dici debet. Dicitur *plus minusve proxime,* h. e. per dispositionem subjectum a statu indifferentiæ exiens approximat seu accedit ad formam, ad quam fit idoneum: sed plus minus accedere potest; nam quædam dispositiones positivæ immediate, quædam mediate connectuntur cum forma. Porro illa idoneitas sive aptitudo ad formam suscipiendam est effectus formalis dispositionis, imo est formaliter ipsa dispositio (1).

154. *quid negativa dispositio.*

A positiva dispositione bene distinguenda est *dispositio* quæ dicitur *negativa :* hæc est quæ tantum removet id quod impediret susceptionem formæ in subjecto ; ex. gr. naturalis cognitio de Dei existentia et de ejus præcipuis attributis est, relate ad fidem supernaturalem, dispositio mere negativa : talis enim cognitio, in se sola inspecta, nullo modo ducit vel movet hominem ad ipsam fidem supernaturalem ; attamen homo, tali ornatus cognitione, quum veritates credendæ ipsi proponentur, non jam vincendas habebit difficultates et objectiones, quas sine tali cognitione inveniret : ideo hæc naturalis cognitio removet prohibens seu impedimenta ad fidem, ideo est dispositio negativa. Judicium vero practicum de obligatione hîc et nunc credendi veritates a Deo revelatas, ad quod judicium consequitur formalis actus fidei, positive ad fidem ducit hominem ; ideoque dispositio est positiva ad fidem. Quapropter a theologis statuitur hoc ultimum judicium practicum esse debere *supernaturale,* et qua tale prærequiri, etiamsi naturale præcessisset (2).

Non admittenda est distinctio inter *indigentiam* positivam et — negativam: *indigentia* est essentialiter privatio perfectionis debitae subjecto a quo abest : indigentia igitur est formaliter negatio perfectionis et supponit dispositionem positivam ad id quod abest, inde illud exigit. — Distinguenda est indigentia perfectionis a *desiderio* habendae perfectionis cujus indigentia cognoscitur.

155. *Quid meritum :*

2. *Meritum,* in concreto, est opus dignum aliqua retributione seu mercede. Meritum, in abstracto, seu ipsa *ratio meriti* est

(1) PALMIERI, *De gratia actuali,* thes. XXXI, p. 278.
(2) Cf. ILLmus ac REVmus WAFFELAERT, *o. c., Collat. Brug.,* T. III, p. 2 et p. 65.

dignitas operis ad retributionem. Meritum considerari potest et in *actu primo* et in *actu secundo*. Meritum in actu primo est id quod per se valorem aliquem habet ad præmium obtinendum : hic valor est ipsi operi intrinsecus. Meritum in actu secundo est id quod præterea, propter debitas conditiones, puta acceptationem præmiantis, de facto exigit præmium : quare meritum in actu secundo pendet etiam ab extrinseco.

de condigno et de congruo.

Distingui solet a theologis meritum *de condigno* et meritum *de congruo*. *De condigno* vocatur illud meritum, cui ex *justitia* præmium retribuendum est et cui, secundum rectam valoris operis existimationem, inest *aequalitas* cum mercede. Illud est meritum proprie dictum. Meritum de *congruo* est illud cui, non ex justitia, sed tantum ex quadam *convenientia et liberalitate,* fit retributio, et cui non inest aequalitas cum mercede: illud est meritum *improprie* dictum et meritum *secundum quid* tantum. « Dicitur aliquis, ait *S. Thomas,* mereri ex condigno, quando invenitur æqualitas inter præmium et meritum secundum rectam æstimationem, ex congruo autem tantum, quando talis æqualitas non invenitur, sed solum secundum liberalitatem donantis munus tribuitur quod tantum decet » (1). Inde meritum de condigno importat veram *exigentiam* ad mercedem ; meritum de congruo, convenientiam seu congruitatem quæ inest operi ut mercede donetur.

156. Distinguitur meritum a dispositione.

Meriti directus *effectus* est *elargitio boni* tamquam mercedis (2). Distinguenda est *dispositio positiva* a *merito* etiam de congruo. « Nam : a) meritum includit in suo conceptu obsequium præstitum alteri et refertur ad alium, a quo præmium esse debet ; dispositio haberi potest citra ullum obsequium alteri præstitum et per se dicit ordinem ad subjectum, cujus est modus, quodque fit aptum ad formam assequendam : b) Meritum respicit bonum retribuendum ab alio sive ipsi merenti sive etiam alteri (unus enim potest, absolute loquendo, alteri aliquid mereri) ; dispositio respicit tantummodo formam inducendam in subjecto cujus est dispositio ; neque enim dispositio unius potest esse dispositio alterius » (3). Formaliter ergo differunt positiva dispositio et meritum, quamvis idem actus possit esse et dispositio positiva et meritorius relate ad eamdem formam accipiendam. Ita ex. gr. actus fidei supernaturalis elicitus ante justificationem et positive disponit hominem hunc elicientem ad justificationem et hanc de congruo meretur.

157. Quid satisfactio.

3. *Satisfactio* est compensatio pro læsione honoris alicui illata ;

(1) In II, Dist. 37, q. I, a 3.

(2) Bene notemus meritum, subjective spectatum, esse omnino *personale* nec posse alii personæ communicari: quot sunt merentes, tot sunt merita realiter distincta.

(3) PALMIERI, *o. c.*, 1. c.; cf RIPALDA, *De ente supernaturali,* Disp. XVIII, sect 1.

inde satisfactionis directus effectus est *ablatio reitatis*. Unus idemque actus potest esse simul meritorius ac satisfactorius ; sed fieri etiam potest ut actus sit tantum satisfactorius et non meritorius, et meritorius quin sit satisfactorius: potest enim quis mereri apud alterum quin hunc offenderit et consequenter quin egeat satisfacere; potest etiam quis alteri satisfacere quin apud illum aliquam mercedem expectare possit (1). Opus satisfactorium debet esse pœnale (2).

158. Quid impetratio.

4. *Impetratio,* stricte dicta et active sumpta, est deprecatio qua quis alium movet ut hic ex liberalitate aut misericordia aliquid det. Formalis ratio impetrationis est diversa a formali ratione meriti (3).

Quod sic declarari potest : « Aliter nimirum movetur Deus a meritis, aliter a precibus fidelium ; ergo motio piarum precum propria recte significatur per impetrationem, cum nullo aptius vocabulo significari possit. Antecedentis probatio huc redit. Motio scilicet Dei propter merita innititur justitiæ vel cuidam æquitati ; motio vero propria impetrationis innititur misericordiæ ejus, qui oratur : supponitur quidem in eo, qui orat, exclusio alicujus positivi demeriti, quod tale sit ut valeat impedire exercitium misericordiæ alterius ; sed id supponitur tamquam conditio vel dispositio subjecti ; at non supponitur aliquod positivum meritum præter id quod ipsi orationi intrinsecum est ; est enim ipsa certe obsequium quoddam præstitum ei qui exoratur ; at rursus hoc meritum ita se habet ut propter illud moveatur alter proprie quatenus misericors est et liberalis, non quatenus justus est aut ex quadam æquitate agens, sed quatenus libere ex sua insita bonitate sinit se flecti ob miseriam alterius : hæc autem motio propria est impetrationis, qua misericordia flectitur et sic orationis proprium est impetrare. Ita pauper eleemosynam petens a divite obsequium quidem ei præstat, sed hoc obsequium ex intentione pauperis et acceptatione divitis eo spectat, ut hujus liberalitatem et misericordiam flectat et veluti ad actum determinet per ostensionem miseriæ suæ ; ita ut ratio cur dives flectatur sit, quia *ex insita bonitate sinit se flecti* ad sublevandam miseriam pauperis, non propter aliquam exigentiam ejusdem. Idem de Deo dicatur prout orationes impetrant apud eum. Itaque impetratio convenit cum merito ; quia oratio impetrans est obsequium quoddam in honorem alterius, nec potest esse acceptabilis oratio quæ non sit talis : differt a merito vel congruo stricte sumpto, quia oratio prout talis ad misericordiam aut liberalitatem Dei pure refertur atque ad eam flectendam dirigitur, quæ proinde si

(1) Cf. *Collat. Brug.*, T. XI, p. 84 ; SCHIFFINI, *Institutiones philosophiæ moralis*, T. I, n. 229.
(2) Cf. S. BONAVENTURA, in II, dist. 23, dub. I (t. II, p. 572).
(3) Cf. BOUQUILLON, *Theologia moralis fundamentalis*, n. 391.

flectitur, ideo flectitur quia sinit libere se flecti ex insita sua bonitate : e contrario meritum ad justitiam vel benevolam æquitatem refertur » (1).

Efficaciam *meriti* formaliter diversam esse a virtute *impetrationis* docet etiam *S. Thomas :* « Oratio præter effectum spiritualis consolationis, quam præsentialiter affert duplicem habet virtutem respectu futuri effectus ; scilicet virtutem merendi et virtutem impetrandi » (2).

159. Status quæstionis.

B. Si complete exponere volumus quæstionem de dispositionibus ad justificationem, triplex imprimis occurrit quæstio : poteritne homo se positive disponere ad gratiam, ita scilicet ut gratia fiat forma illi quasi connaturalis et expostulata ab illo ? Poteritne homo sive de condigno sive de congruo *mereri* sibi gratiam ? Poteritne eam sibi precibus *impetrare ?* Sed ulterius considerandum est agi posse de operibus mere *naturalibus,* solis videlicet viribus naturæ peractis, vel de operibus factis influxu *gratiæ.* Inde de hoc duplici operum genere agemus successive.

Jam ex ipso nomine et disquisitione de essentia gratiæ, constat hanc esse aliquid *gratuitum,* h. e. naturæ creatæ omnino indebitum ; sed ulterius inquiri potest utrum qualitates *naturales* vel opera bona *naturaliter* facta possint titulus esse ad obtinendam a Deo justificationem et gratiam. Huic quaestioni *negative* est respondendum, ut ex sequentibus patebit : in quibus successive erit sermo de *dispositione* proprie dicta, deinde de *merito,* tandem de *impetratione:* quibus elucebit collationem gratiae esse homini omnino *gratuitam.*

ARTICULUS Ius. **De naturalibus operibus spectatis relate ad justificationem.**

160. Opera naturalia non sunt positiva dispositio ad gratiam.

PROPOSITIO PRIMA. *Homo nequit viribus naturæ quovis modo se positive disponere ad justificationem vel ad quamlibet gratiam.*

Demonstratur.

1. Illa S. Scripturæ testimonia quæ in demonstratione sequentis propositionis afferemus ostendunt *nulla ratione* ex operibus naturaliter factis dependere justificationem et gratiæ concessionem : non igitur naturalibus operibus inesse potest aliqua vera præparatio seu positiva dispositio ad gratiam.

Deinde etiam in Concilio Arausicano II docetur : « *per naturæ vigorem nihil boni, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ cogitari aut eligi posse* » (3).

---

(1) PALMIERI, *o. c.,* Thes. XXXII, p. 281.
(2) *Sum. Theol.,* 2-2, q. 83, a. 15. Cf. DIGNANT, *De virtute religionis,* n. 53 s.
(3) Cf. *Enchir.,* n. 180.

2. In natura qualibet creata, nulla dari potest positiva dispositio physica ad gratiam supernaturalem quamlibet. Nam subjectum positive dispositum ad aliquam formam, hanc quodammodo exigit. Jamvero suprà, n. 43-51, 101-107, demonstratum est gratiam esse aliquid omnem naturæ creatæ superans exigentiam. Ergo.

Nec ulla natura creata potest per actus morales bonos naturaliter factos positive se disponere ad similem gratiam. Nam quum nihil agere possit ultra virtutem suam, actus boni naturaliter facti non possunt reddere hominem positive idoneum nisi ad aliquid ipsi homini proportionatum seu connaturale. Sed quælibet gratia supernaturalis excedit omnino totum ordinem naturæ. Ergo.

PROPOSITIO SECUNDA. *Hominum operibus bonis naturaliter factis nullum inest ad justificationem meritum in actu secundo.*

Hæc propositio est de fide divina.

161. Opera bona naturalia non esse meritoria in actu secundo demonstratur :

Demonstratur.

A. EX S. SCRIPTURA.

1°) ex S. Scriptura ;

Arg. 1um. S. Scriptura docet : a) non solum opera naturalia non reddere hominem gratum ac justum coram Deo, b) sed id quo evadit homo vere justus coram Deo esse aliquid unicuique homini prorsus *gratuitum,* utpote concessum a Deo *non intuitu operum* ab homine factorum, sed ex effectu solius misericordiæ Dei, c) et ideo (qua in re est valida confirmatio præcedentis asserti) nullam adesse rationem cur homo de suis operibus glorietur.

En verba S. Scr. : a) « Quia ex operibus legis (qua talibus) non justificabitur omnis caro » (i e. ullus homo) (1). Quod autem Apostolus hîc dicit de lege mosaica, potiori titulo valet de lege mere naturali.

b) « Justitia autem Dei per fidem Jesu Christi in omnes et super omnes, qui credunt in eum : non est enim distinctio... Justificati gratis (h. e. dono gratuito respectu uniuscujusque justificati) per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Jesu... » (2). « Cum autem benignitas et humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei : non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam, (h. e. dono mere gratuito, non ratione aliquorum bonorum operum quibus mereremur nostram justificationem) salvos nos fecit... » (3).

c) Ubi est ergo gloriatio tua ? Exclusa est. Per quam legem ? Factorum ? Non : sed per legem fidei. Arbitramur enim justificari hominem per fidem sine operibus legis » (4). Justificari per fidem

(1) *Rom.*, III, 20.
(2) *Ibid.*, 22-24.
(3) Tit., III, 4-5.
(4) *Rom.*, III, 27-28.

sine operibus legis est justificari nulla talium operum ratione habita (1). Cf. Rom., VIII, 28; Ephes., I, 40.

162. Arg. 2um. Initium omnis justificationis est fides (2). Atqui ipsa vocatio ad fidem est omnino gratuita seu independens ab operibus ante ipsam factis. Ergo totum negotium justificationis est independens ab operibus naturaliter factis.

« Justitia autem Dei per fidem Jesu Christi » (3). Sed « (Deus) nos liberavit et vocavit vocatione sua sancta non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum et gratiam » (4). « Gratia enim estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis : Dei enim donum est, non ex operibus, ut ne quis glorietur » (5).

Ex duplici argumento suprà exposito evidenter sequitur a Deo opera bona naturaliter facta nullo modo acceptari ut ipsis justificatio, vel omne id quod ad ipsam positive ducit, retribuatur ; imo hoc inculcat S. Scriptura : *totum negotium salutis* et *nominatim ipsam vocationem* ad fidem esse prorsus *gratuitam*, et nulla ratione præmium vel mercedem. Ergo omne meritum in actu secundo ad gratiam excluditur ab operibus naturaliter factis.

163.

B. EX TRADITIONE ET DOCUMENTIS ECCLESIÆ.

2o) ex Traditione.

S. Joannes Chrysostomus : « Ne beneficiorum magnitudo te extollat, vide quomodo te coërcet et comprimit (Scriptura) : gratia enim, inquit, estis salvati. Nec fidei donum est nostrum sed Dei, non ex operibus, ut ostendatur Dei gratia et benignitas » (6). — *S. Augustinus :* « Non enim gratia Dei erit ullo modo, nisi gratuita fuerit omni modo » (7). — *S. Gregorius* M. († 584) : « Nemo ut divina illum gratia subsequatur, prius aliquid contulit Deo. Nam si nos Deum bene operando prævenimus, ubi est quod propheta ait : Misericordia ejus præveniet me » (8) ?

Cœlestinus I dicit : « Et non dubitemus, ab ipsius gratia omnia hominis merita præveniri, per quem fit, ut aliquid boni et velle incipiamus et facere » (9). *Concilium Arausicanum* II, can. 6 docet : « Si quis sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, studentibus, petentibus, quærentibus, pulsantibus nobis misericordiam dicit

---

(1) Cf. BEELEN, Comm. in h. 1.

(2) « Cum vero Apostolus dicit, justificari hominem per fidem et gratis; ea verba in eo sensu intelligenda sunt, quem perpetuus Ecclesiæ catholicæ consensus tenuit et expressit; ut scilicet per fidem ideo justificari dicamur, quia fides est humanæ salutis initium, fundamentum et radix omnis justificationis » Conc. Trid. Sess. VI, c. 8, *Enchir.*, n. 801.

(3) *Rom.*, III, 22.

(4) 2 Tim., I. 9.

(5) *Ephes.*, II, 8-9.

(6) *In epist. ad Ephes.*, hom. IV, n. 2.

(7) *De peccato originali*, c. 24, n. 28.

(8) *Moralia*, c. 33. n. 21.

(9) *Enchir.*, n. 141.

conferri divinitus, non autem ut credamus, velimus, vel hæc omnia sicut oportet agere valeamus, per infusionem Sancti Spiritus in nobis fieri confitetur, et aut humilitati, aut obedientiæ humanæ subjungit gratiæ adjutorium, nec ut obedientes et humiles simus, ipsius gratiæ donum esse consentit, resistit Apostolo dicenti : Quid habes quod non accepisti ? et : Gratia Dei sum id quod sum » (1). Concilium Tridentinum declarat: « Ipsius justificationis exordium in adultis a Dei per Christum Jesum præveniente gratia sumendum esse : hoc est, ab ejus vocatione, qua, nullis eorum existentibus meritis, vocantur » (2).

164. Opera naturalia non sunt meritoria in actu primo ;

PROPOSITIO TERTIA. *Hominum operibus naturaliter factis nullium inest ad gratiam meritum in actu primo.*

Hæc propositio est theologice certa.

Demonstratur.

EX RATIONE THEOLOGICA. Meritum, in actu primo importat valorem aliquem operi intrinsecum qui de se par est obtinendo præmio : valorem, dico, qui de se capax sit vel vere exigendi præmium, et tunc est meritum condignum, vel alliciendi alterum ad præmium ex benevolentia concedendum, et tunc est meritum congruum. « Actus autem cujuscumque rei non ordinatur divinitus (nec de se ordinabilis est) ad aliquid excedens proportionem virtutis quæ est principium actus ; hoc enim est ex institutione divinæ providentiæ ut nihil agat ultra suam virtutem. Vita autem æterna (et omnis gratia, quippe quæ ad vitam æternam positive ducit) est quoddam bonum excedens proportionem naturæ creatæ... Et inde est quod nulla natura creata est sufficiens principium actus meritorii vitæ æternæ (et gratiæ) nisi superaddatur aliquod supernaturale donum, quod gratia dicitur » (3).

165. Precibus naturaliter factis non inesse vim impetratoriam demonstratur :

PROPOSITIO QUARTA. *Nec precibus naturaliter factis in præsenti Providentiæ ordine inest vis impetratoria justificationis et cujuslibet gratiæ.*

Hæc propositio est saltem theologice certa (4).

Demonstratur.

1o) ex S. Scriptura

A. EX S. SCRIPTURA.

Nempe ex illis textibus quibus docemur hominem ex operibus suis naturaliter factis non posse justificari vel salvari : v. suprà,

(1) *Enchir.*, n. 149.
(2) Sess. VI, c. 5. *Enchir.*, n. 797.
(3) S. THOMAS, *Sum. Theol.*, 1-2, q. 114, a. 2.
(4) « Hanc propositionem theologi ut certo definitam tradere non solent, quia (ut opinor) non satis constat de intentione patrum absolute excludendi vim motivam orationis, *quatenus distinguitur a merito de congruo* » VAN NOORT. *De gratia*, n. 79, in nota.

n. 43 ss. ; non enim omnino vera esset hæc universalis doctrina si posset homo precibus naturalibus positive obtinere gratiam.

2°) *ex Traditione*

B. EX TRADITIONE.

1. Assertio nostra implicite continetur in testimoniis citatis suprà, n. 162.

2. Sed quædam explicita habentur de hac re : *S. Augustinus :* « Ubi intelligimus et hoc ipsum esse donum Dei, ut veraci corde et spiritualiter clamemus ad Deum. Attendant ergo, quomodo falluntur, qui putant esse a nobis, non dari nobis, ut petamus, quæramus, pulsemus; et hoc esse dicunt, quod gratia præceditur merito nostro, ut sequatur illa, cum accipimus petentes et invenimus quærentes aperiturque pulsantibus ; nec volunt intelligere etiam hoc divini muneris esse, ut oremus » (1). « Verumtamen ne saltem orationis putarentur præcedere merita, quibus non gratuita daretur gratia, sed iam nec gratia esset, quia debita redderetur, etiam ipsa oratio inter gratiæ munera reperitur » (2). — *S. Prosper :* « Quomodo autem non advertis te in illud damnatum incidere... *gratiam Dei secundum merita nostra dari ;* cum aliquid præcedere boni operis ex ipsis hominibus, propter quod gratiam consequantur, affirmas ? Non enim ullius (3) meriti haberi potest petentis fides, quærentis pietas, pulsantis instantia » (4).

166. 3°) *ex ratione theologica.*

C. EX RATIONE THEOLOGICA.

In præsenti Providentiæ ordine, negotium salutis totum a Dei gratia incipit et dependet, ita ut nullus humanus actus, mere naturalis, sit acceptus coram Deo. Quod clare elucet ex hoc Concilii Arausicani II canone 7: « Si quis *per naturæ vigorem bonum aliquid quod ad salutem pertinet* vitæ æternæ, cogitare, aut eligere... posse confirmat... hæretico fallitur spiritu » (5). Igitur, etiam *oratio naturalis* nunc nihil valet ad salutem, nec habet coram Deo vim impetrativam auxilii salutaris.

167. Ulterior argumenti explicatio.

a) Ut exacte cognoscatur hujus argumenti valor, iterum consideremus oportet differentiam inter rationem *meriti* et rationem *impetrationis.*

Actus enim qua *meritorius* importat ut homo aliquid de suo, puta obsequium, alteri deferat et sic habeat titulum propter quem alter, vel ex justitia, (si agitur de merito de condigno), vel ex quadam saltem convenientia (si agitur de merito de congruo) aliquid *retribuat* (6).

Oratio autem (abstractione facta ab hoc quod possit esse opus meritorium), ex propria sua essentia, nempe ex eo peculiari capite quod est *petitio,* habet propriam et peculiarem aptitudinem ad impetrandum.

(1) *De dono perseverantiæ,* c. 23, n. 64.
(2) *Epist.* 194, (al. 105), *ad Sixtum,* c. 4, n. 16.
(3) In editione facta Venetiis, an. 1744, legitur *nullius,* sed sensus videtur exigere: *ullius.*
(4) *Contra Collatorem,* c. 3, n. 8. — Cf. PESCH, *o. c.,* n. 205.
(5) *Enchir.,* n. 180. Cf. VAN NOORT, *o. c.,* n. 79.
(6) Cf. ILLmus AC REVmus WAFFELAERT *o. c., Collat. Brug.,* t. V, p. 592.

« Nam petitio natura sua ad hoc ordinatur ut animum alterius inducat ad dandum id quod petitur, non quia emitur, nec quia solvitur, nec quia aliquis illud meretur, sed solum *quia petitur*. Eatenus videlicet aptitudo ad impetrandum propria est orationis... quatenus consentaneum est liberalitati ejus qui rogatur, moveri ad dandum solum *quia rogatur* » (1).

Igitur ex sola natura orationis, licet naturalis, non potest demonstrari, ut videtur, ejus inefficacia ad obtinendam gratiam : ex hoc v. gr., quod aliquis homo infidelis petat ab Ente Supremo, cujus aliquam habet naturalem notitiam, ut bene vivat vel ut verum cognoscat vel ut beatus sit post mortem, non posset quis statuere talem orationem non posse esse efficacem, quia hæc naturalis est et quia, in præsenti ordine Providentiæ, non potest homo recte vivere absque gratia (2). Sed *positiva* est Dei dispositio qua non acceptas habet orationes mere naturales.

b) Nec ex hoc concludamus nos non posse adhortari homines infideles ut orent, præsertim illos qui sincere inquirunt veritatem, licet nondum credant : nam α) oratio, etiam mere naturalis, est dispositio negativa ad conversionem, et dispositio, licet negativa, non tamen parvi momenti, præsertim quia superbiæ contraria est ; β) quum non requiratur ipsa fides ut possit quis supernaturaliter moveri a Deo ad orandum, ideo infideles possunt supernaturaliter orare : γ) quum Deus, de facto non acceptas habeat naturales preces. Ipse auxilio supernaturali, secundum immensam benignitatem ac misericordiam, impellit homines ad orandum (3).

c) Ad propositionem statim expositam demonstrandam sequenti ratiocinio utitur cl. P. Pesch : « Sine gratia neque cognoscere neque appetere possumus objecta supernaturalia ut expedit. Atqui non possumus orando impetrare quod neque cognoscimus neque appetimus. Ergo oratione naturali non possumus impetrare gratiam » (4).

Quæ ratiocinatio infici videtur gratuito supposito: etenim hoc supponitur quod non possumus orando impetrare nisi cognoscamus et appetamus *ut expedit* bona supernaturalia. Quo jure hoc asseritur ? Si sola essentia orationis consideratur, nonne sufficit ut homo naturaliter desiderando suam felicitatem in genere, postulet a Deo ut hanc obtineat, licet homo nesciat qua in re hæc de facto consistat ? Quum de essentia orationis nihil aliud sit quam petitio, cum vera erga Deum reverentia ac fiducia, quum possit homo naturaliter cognoscere, saltem in genere, id quo indiget (v. gr. cognitione veritatis, virtute ad resistendum tentationibus) et quum etiam naturaliter possit hæc desiderare eaque cum reverentia ac fiducia petere a Deo, non videtur quo modo aliquid ex parte ipsius orationis deficere possit quominus sit efficax. Sed de facto, in præsenti Dei Providentia, Deus tales mere naturales non exaudit preces : quod ex revelatione cognoscimus. Ratio autem hujus videtur esse quia homines nunc, absque gratia, sunt in statu damnationis, sunt nempe, propter originale peccatum, natura filii iræ, nec aliquid valent nisi auxilio gratiæ jam aliquo modo incipiant eripi ab illo statu.

---

(1) JUNGMANN, *De gratia*, n. 387.

(2) De possibilitate impetrandi gratiam per preces naturales *in alio ordine*, cf. RIPALDA, *o. c.*, L. I, disp. 19, sect. 3.

(3) Conversus quidam narrat quomodo magni fuerit momenti in sua conversione recitatio hujus orationis: « Veni, Sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium et tui amoris in eis ignem accende ». Cf. Dr G. BULL, *Pourquoi je suis devenu catholique*, Paris, 1906, p. 10, 19, 23.

(4) *O. c.*, n. 206.

Scholion

DE AXIOMATE : *Facienti quod in se est Deus non denegat gratiam.*

168. Hujus axiomatis sensus apud;

Veteres Scholastici, ut videtur (1) et certe S. Bonaventura ac S Thomas hoc adagium intelligunt hoc sensu: facienti quod in se est *ope gratiæ actualis* Deus non denegat *gratiam justificantem.*

S. Bonaventuram,

S. Bonaventura quærendo « utrum liberum arbitrium destitutum gratia gratis data (h. e. gratia actuali) (2) possit ad gratiam gratum facientem (h. e. gratiam sanctificantem) sufficienter se disponere » respondet negative : « ratio est quia gratia gratum faciens est quid divinum... et ideo liberum arbitrium nunquam assurgit nec ad cognoscendam gratiam nec ad petendam, nisi aliquo modo a sursum excitetur et per aliquod donum gratiæ gratis datæ, quod tenet quasi medium inter donum gratiæ gratum facientis et naturalem libertatem voluntatis » (3).

Huic autem assertioni ponit objectionem ex adagio : facienti quod in se est... etc. Et respondet : « *facere quod in se est* potest dupliciter intelligi : uno modo *positive,* quia facit aliquid ordinatum ad gratiam, et tantum facit, quantum potest : et hoc modo veritatem habet sermo prædictus. Alio modo potest intelligi *privative,* ut dicatur *facere quod in se est* quia facit quod potest, quamvis illud non sit ordinatum ad gratiæ susceptionem : et hoc modo liberum arbitrium, gratia destitutum, potest facere quod in se est ; et sic prædictus sermo non habet veritatem » (4). Falsum igitur dicit S. Bonaventura hoc assertum : facienti homini quod in se est *viribus mere naturalibus* Deus non denegat gratiam sanctificantem.

169. S. Thomam,

S. Thomas (5) dicit : « præparare se ad gratiam alio modo dicitur facere quod in se est ; sicut est consuetum dici quod si homo facit quod in se est, Deus dat ei gratiam. Hoc autem dicitur in aliquo esse, quod est in potestate ejus. Unde, si homo per liberum arbitrium non potest se ad gratiam præparare, facere quod in se est non erit præparare se ad gratiam » (6). Sic determinat S. Thomas sensum hujus dicti: *facere quod in se est.*

In *Summa theologica,* explicite hoc docet quod « homo non potest se præparare ad lumen gratiæ (h. e. gratiam sanctificantem) suscipiendum nisi per auxilium gratuitum Dei interius moventis » (7). Ad objectionem autem quæ opponitur ex adagio : *Facienti quod in se est...,* respondet : « Nihil homo potest facere nisi moveatur a Deo, secundum illud Joannis : *Sine me nihil potestis facere.* Et ideo quum dicitur homo facere quod in se est, dicitur hoc esse in potestate hominis secundum quod est motus a Deo (8) (h. e. ut suprà ait: secundum quod ei per auxilium gratuitum

---

(1) Cf. PALMIERI, *o. c.*, thes. XXXIV; SCHIFFINI *o. c.*, n. 313, III; LAHOUSSE, *o. c.*, n. 150.

(2) V. suprà n. 10.

(3) In II, dist. 28, a. 2, q. 1 (t. II, p. 682).

(4) *Ibid.*, ad 4.

(5) S. Thomas in II, dist. 28, q. 1, a. 4 docuerat, hominem posse se præparare ad gratiam justificantem absque gratia actuali, nempe absque aliquo auxilio *supernaturali interno.*

(6) *De veritate,* q. 24, a. 15.

(7) 1-2, q. 109. a. 6.

(8) *Ibid.*, ad 2 ; et ad 4 dicit : « hominis est præparare animam, quia hoc facit per liberum arbitrium; sed tamen hoc non facit sine auxilio Dei moventis et ad se attrahentis ».

inspiratur a Deo bonum propositum) ». — Et alio in articulo quærit : « utrum necessario detur gratia (sanctificans) se præparanti ad gratiam, *vel* facienti quod in se est » (1), et respondet quod si præparatio consideratur quatenus est a libero arbitrio solum, nulla est necessitas consecutionis gratiæ : quia donum gratiæ excedit omnem præparationem virtutis humanæ. Si vero præparatio consideratur quatenus est a Deo movente, hinc consecutio gratiæ habet necessitatem *infallibilitatis*, quatenus si ex intentione Dei moventis est quod homo, cujus cor movet, gratiam consequatur, infallibiliter ipsam consequitur.

Ex dictis constat a S. Thoma adagium, de quo agitur, intelligi hoc sensu: facienti quod in se est *auxilio gratiæ actualis*, seu obsequendo motioni supernaturali Dei, Deus non denegat *gratiam sanctificantem* (2).

Nec objicias quod S. Thomas videtur docere homini, si faciat quod in se est *solis naturæ viribus*, Deum non denegare gratiam, quia S. Thomas dicit : « Cum (quis non baptizatus) usum rationis habere inceperit... primum quod tunc homini cogitandum occurrit, est deliberare de se ipso. Et siquidem se ipsum ordinaverit ad debitum finem, per gratiam consequetur remissionem originalis peccati » (3). Etenim non possunt explicari hæc verba : « si se ipsum ordinaverit ad debitum finem » ac si significent : si homo *actu mere naturali* se ad Deum ordinaverit ; tunc enim sequeretur dici a S. Thoma hominem actu mere naturali posse se positive disponere ad ipsam gratiam sanctificantem accipiendam (4). Talis autem assertio est omnino opposita doctrinæ S. Thomæ docenti hominem adultum debere *se præparare* ad gratiam sanctificantem recipiendam, et hanc præparationem esse supernaturalem. Proinde hæc prima ordinatio, de qua hîc sermo est, est etiam facta cum auxilio gratiæ actualis et eatenus facit homo quod in se est, quatenus libere consentit et cooperatur auxilio divino (5).

Ad rem Sylvius : « Quod porro B. Thomas hoc art. dicit, eum qui se ipsum ordinaverit in debitum finem, per gratiam consecuturum remissionem peccati originalis, non sic est accipiendum, quasi statim et in eo prorsus instanti quo qualitercumque se in debitum finem ordinaverit, justificetur; sed intelligi imprimis debet de ordinatione, qua quis *auxilio divinæ gratiæ* adjutus, se convertit, ac deinde, quod talis justificabitur, in quantum Deus illi sic providebit, tum per interiores illuminationes, tum per exteriora ministeria, ut cito fidem, qualis ad justificationem necessaria est, accipiat; citoque justificetur ac interim ipsum a peccato *custodiet* » (6).

Secundum hæc etiam bene intelliguntur quae habet S. Thomas : « Non sequitur inconveniens posito quod quilibet teneatur aliquid explicite credere, si in silvis vel inter bruta animalia nutriatur. Hoc enim ad

---

(1) *Sum. Theol.*, 1-2, q. 112, a. 3. Cf. PEGUES, *Comment. franç. litt. de la Somme théol.*, t. IX, p. 654 ss.

(2) Eodem sensu interpretatur hoc CAJETANUS, in 1-2, q. 109, a. 6.

(3) *Sum. Theol.*, 1-2, q. 89, a. 6.

(4) Nec dubitandum est quin hîc agatur de gratia sanctificante: nam in sermone S. Thomæ, nomen *gratia*, sine ulteriori explicatione, semper designat gratiam *habitualem* seu justificantem; præterea, in citato loco, gratia de qua agitur, est gratia qua immediate remittitur peccatum originale. De significatione nominis *gratia* apud S. Thomam, cf. *De veritate*, q. 24, a. 14; 1-2, q. 110.

(5) *Sum. Theol.*, Cf. S. Thomas, 1-2, q. 109, a. 6-7. Cf. SYLVIUS, in h. 1.

(6) In 1-2, q. 89, a. 6. — « Hoc ipsum quod aliqui faciunt quod in se est, convertendo se scilicet ad Deum, ex Deo est movente corda ipsorum ad bonum » S. THOMAS, *in epist. ad Rom.*, c. 10, lect. 3.

divinam Providentiam pertinet, ut cuilibet provideat de necessariis ad salutem, dummodo ex parte ejus non impediatur. Si enim aliquis taliter nutritus ductum naturalis rationis sequeretur in appetitu boni et fuga mali, certissime est tenendum, quod ei Deus *per internam inspirationem* revelaret ea, quæ sunt ad credendum necessaria, vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret » (1). Docet igitur S. Thomas quod si homo sequatur ductum rationis naturalis in appetitu boni et fuga mali, aliis verbis, si vitet peccatum mortale, hic homo, propter Dei Providentiam, habebit id unde possit supernaturaliter credere et sic justificari; sed non docet S. Thomas hominem posse vitare peccatum mortale, absque auxilio gratiæ. Imo suprà, n. 70 ostendimus hoc fieri non posse per longum tempus. Præterea hîc iterum affirmat S. Thomas necessitatem præparationis positivæ ac supernaturalis ad gratiam sanctificantem, nominatim necessitatem fidei.

169bis. Molinam,

Molinam. Molina, *Corcordia,* in A. XIV, a. 13, disp. 10, p. 43 adagium explicat hoc sensu: facienti quod in se est *per vires naturales* Deus non denegat gratias actuales quibus homo possit pervenire ad justificationem. Hanc sententiam ulterius explicat dicendo Deum fecisse cum Christo pactum, vel ordinem statuisse, ut quoties ex nostris viribus naturalibus conaremur facere quod in nobis est, praesto essent auxilia gratiae.

Illa opinio Molinae circa pactum Dei cum Christo vel regulam statutam nullo solido argumento demonstratur. Praeterea infallibilis connexio quam statuit Molina inter opera bona naturalia et collationem gratiarum actualium non rite componitur cum omnimoda gratuitate gratiae. Illa enim gratuitas nobis ita exhibetur, in doctrina sacra, ut nulla sit connexio inter opera mera naturalia et collationem gratiarum, ita ut opera mere naturalia ne conditio quidem sint accipiendæ gratiæ. Quapropter tenemus cum S. Thoma: « Hoc ipsum quod aliquis non ponit obstaculum [gratiae] ex gratia procedit » (2).

S. Franc. Sal.

S. Franciscus Salesius, *Traité de l'amour de Dieu,* T. I, c. 18, videtur adagium illud intelligere eo sensu quo dicat: amanti Deo naturaliter Deus auxilium dabit ut deinde possit homo pervenire ad supernaturalem charitatem. — In secunda parte capitis citati docet S. Franciscus quomodo naturalis inclinatio ad amandum Deum sit id quo possit homo elevari per gratiam ad supernaturalem amorem.

170. Duplici sensu verum est axioma datum. a) facienti... **per vires gratiæ,**

Abstractione nunc facta a quæstione historica quonam in sensu fuerit olim intellecta propositio de qua agitur, inquiritur utrum in se ipsa spectata, sit vera.

Et affirmative respondemus. Porro in doctrina catholica potest recte adhiberi duplici sensu:

a) Facienti quod in se est *per vires gratiæ* Deus non denegat *ulteriores gratias.* De *justis* hoc effatum recte dicitur quatenus illi omnes habebunt gratias sufficientes quibus possint perseverare; præterera cooperando gratiæ merentur de congruo ulteriores gratias actuales quibus valeant continuo *crescere in gratia et cognitione Domini nostri et Salvatoris Jesu Christi* (3). De illis qui

(1) *De veritate,* q. 14, a. 11, ad 1.
(2) *Comment. in epist. ad Hebr.,* c. XII, lect. 3.
(3) 2 Petr. III, 18.

nondum justificati sunt, adagium intelligitur hoc sensu quod illi Deo, per gratiam vocanti, cooperati, alias accipient actuales gratias, quibus magis ac magis disponuntur ad ipsam justificationem quæ et ipsa tribuetur illis (1).

171. b) facientii... per vires naturales.

b) Facienti quod in se est per vires *naturæ* Deus non denegat gratiam qua ad salutem pervenire possit. Si homo per vires naturæ vel cum auxilio Dei quod non esset ordinis supernaturalis vitat peccatum mortale et sic *non ponit obicem gratiæ*, tunc habebit a Deo gratiam, non quia actus hominis naturales sunt vel meritorii gratiæ vel ad ipsam positive disponentes, sed quia *Deus volendo omnes homines* salvos fieri, omnibus dat media sufficientia et porro « non ponenti obicem, quamvis nulla sit dispositio positiva et meritoria de congruo, Deus non denegat gratiam, id est entitative supernaturalem, quo homo se disponat ad fidem stricte dictam salutarem et quacum credat, et ulterius dispositus gratiam justificantem accipiat » (2).

In asserto sic intellecto, nihil aliud continetur quam hoc quod Deus *ex mera liberalitate* infallibiliter concedit opportuno tempore gratiam vocationis ad fidem illis qui per peccatum non obicem ponunt ; sic a Semipelagianismo immune est assertum (3). Tota ratio illius facti reponitur in voluntate Dei antecedente, qua vult omnes homines salvos fieri (4).

172. Conclusio.

Attamen præplacet nobis sententia tenens ante ipsam fidem dari gratias entitative supernaturales, et sine illis, in præsenti ordine Providentiæ, hominem de facto non vitare, per longum saltem tempus, peccata mortalia ; consequenter effatum, de quo suprà, de facto importare ; facienti quod in se est *per vires gratiæ* (5).

ARTICULUS IIus. **De positivis dispositionibus ad justificationem.**

173. Duplex genus dispositionis.

Hujusque vidimus in natura humana, ejusque naturalibus actibus,

(1) Cf. JUNGMANN, *o. c.*, n. 212.

(2) Illmus ac REVmus WAFFELAERT, *o. c.*, in *Collat.* Brug., T. II, p. 181. V. ibidem varias quæstiones de modo quo homo infidelis juvetur ad non ponendum obicem, pp. 181-186.

(3) Cf. VAN NOORT, *o. c.*, n. 82.

(4) Inde dari potest dispositio negativa in homine ad *receptionem* gratiæ. Etenim peccatum mortale, quo homo positive sese avertit a Deo, est natura sua aliquod inpedimentum ad hoc quod Deus tali homini concedat gratiam. Inde observatio legis naturalis, etiam si solis naturæ viribus fieret, et per breve tempus quatenus removet hoc inpedimentum, sc. peccatum mortale, est quædam dispositio negativa ad receptionem gratiæ; inde dicitur recte: homo per actus naturales potest se negative disponere ad gratiam. Cf. PALMIERI, *o. c.*, Thes. LXI; KILBER, *De gratia*, n. 140. Possunt etiam dari dispositiones negativæ ad cooperandum gratiæ. Homo v. gr. qui soleret, naturali cognitione ductus, Deum adorare Illique gratias agere, non haberet ad adorandum supernaturaliter Deum difficultates quas haberet homo qui tales actus naturales nunquam fecit vel qui assuetus esset blasphemiæ. Generatim quo minus deditus est vitiis homo eo minores invenit difficultates ad cooperandum gratiæ.

(5) Cf. HUGON, *Hors de l'Eglise point de salut*, Paris, 1907, p. 91; VAN DER MEERSCH, ap. VACANT. MANGENOT, *Dict. de théol. cath.*, art. *Grâce*, col. 1603.

nullam esse posse dispositionem positivam ad justificationem. Nunc ulterius inquirimus utrum detur aliqua *supernaturalis* præparatio *positiva* ad justificationem.

Concipi potest duplex dispositionis genus : altera quæ sit *qualitas* quædem supernaturalis animæ inhærens eamque idoneam constituens ad gratiam justificantem suscipiendam : altera quæ in proportione quadam consistat *actuum* nostrorum cum gratia justificante. Prius genus dispositionis exigi nequit: secus in infinitum daretur processus (1). Requiritur autem in homine prædito usu rationis, dispositio quæ in *actibus* sita sit in quantum scilicet liberi arbitrii, gratia excitati et adjuti, bonis motibus ad donum justificationis suscipiendum homo præparatur. Illi autem actus quibus positive homo præparatur ad justificationem sunt supernaturales, h e. facti ex influxu gratiæ cui libere assentit homo (2). Hæc est doctrina catholica quam contra Lutherum declaravit concilium Tridentinum.

174. Lutheri error de fide justificante.

Lutherus aliique de præsenti re duo erronea propugnabant :

1. *Solam fidem justificare,* h. e. ob solam fidem suam hominem reputari a Deo justum, seu ei imputari extrinsecus justitiam Christi. V. suprà, n. 17. Inde non exigebant actum fidei tamquam dispositionem positivam ad justificationem, sed potius tamquam ejusdem causam formalem ; nullos actus alios admittebant tamquam *præparatorios* ad justificationem, imo negabant libertatem indifferentiæ in omnibus actibus salutaribus.

2. Nomine fidei justificantis non significabant fidem *dogmaticam,* h. e. actum intellectus adhærentis veritati propter auctoritatem Dei revelantis, sed fidem *promissionum* (3).

« Ut hæc melius intelligas adverte, triplicem fidem a Protestantibus distingui ; prima est fides *historica,* qua creduntur vera esse quæ in Scripturis asseruntur ; altera est fides *miraculorum,* qua credimus nihil esse, quod a Deo fieri non possit ; tertia est fides *promissionum,* qua fiducialiter credimus veras esse promissiones de gratuita peccatorum remissione per merita Christi.

» Fidem hanc promissionum dividunt in generalem et specialem. *Generalis* est qua in genere creditur, omnibus in Christum credentibus promissam esse remissionem peccatorum ; *specialis* vero, qua unusquisque in particulari credit atque confidit hanc promissionem singillatim ad se quoque pertinere, sibique factam esse. Atque hanc *fidem promissionum specialem* aiunt illam esse qua justificamur » (4).

---

(1) Cf. S. THOMAS, 1-2, q. 109, a. 6.
(2) Cf. EINIG, *De gratia,* p. 125.
(3) Cf. PRAT, *o. c.,* p. 255 ss.
(4) JUNGMANN, *o. c.,* n. 287. Cf. BOUQUILLON, *De Virtutibus Theologicis,* n. 28; LAHOUSSE, *De gratia,* n. 318.

Licet de natura illius *fidei promissionum specialis,* non clare loquantur Protestantes, tamen conveniebant in hoc quod elementum *intellectuale,* h. e. adhæsionem *intellectus* ad aliquid *ut verum* rejiciebant, et fidem illam, cui totum negotium salutis tribuebant, si non unice, saltem principaliter constituebant in *fiducia,* h. e. in *voluntatis* (vel cordis) firma expectatione quod ipsis remissa essent propria peccata (1).

175. Catholica doctrina.

Contra hos errores catholicam veritatem statuit *concilium Tridentinum*: « Declarat præterea (sacra Synodus), ipsius justificationis exordium in adultis a Dei per Christum Jesum præveniente gratia sumendum esse, hoc est ab ejus vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis vocantur, ut qui per peccata a Deo aversi erant, per ejus excitantem atque adjuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem, eidem gratiæ libere consentiendo et cooperando disponantur ; ita ut, tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, neque homo ipse omnino nihil agat, inspirationem illam recipiens, quippe qui illam et abjicere potest, neque tamen sine gratia Dei movere se ad justitiam coram illo libera sua voluntate possit... Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia et adjuti, fidem ex auditu concipientes libere moventur in Deum, credentes vera esse quæ divinitus revelata et promissa sunt, atque illud imprimis, a Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem quæ est in Christo Jesu, et dum peccatores se esse intelligentes, a divinæ justitiæ timore quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt, ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod et detestationem, hoc est per eam pœnitentiam, quam ante baptismum agi oportet ; denique dum proponunt suscipere baptismum, inchoare novam vitam, et servare divina mandata » (2).

« Si quis dixerit, sola fide impium justificari, ita ut intelligat, nihil aliud requiri, quod ad justificationis gratiam consequendam cooperetur, et nulla ex parte necesse esse, eum suæ voluntatis motu præparari atque disponi; A. S. » (3).

« Si quis dixerit, fidem justificantem nihil aliud esse quam fiduciam divinæ misericordiæ, peccata remittentis propter Christum ; vel eam fiduciam solam esse, qua justificamur; A. S. » (4).

---

(1) Cf. PRAT, *o. c.*, p. 255 ss.
(2) Sess. VI., c. 5 et 6. *Enchir.*, n. 797, 798.
(3) Sess. VI., can. 9. *Enchir.*, n. 819.
(4) Sess. VI., can. 12 *Enchir.*, n. 822.

PROPOSITIO PRIMA. *In infantibus omnibusque qui usum rationis nunquam habuerunt, nulla prærequiritur dispositio ad justificationem.*

176. In infantibus non requiritur dispositio ad justificationem.

Hoc constat tum ex praxi Ecclesiæ tales sine ulla prævia dispositione ad baptismum suscipiendum admittentis, tum ex doctrina Ecclesiæ docentis parvulos per sacramentum baptismi eripi a diaboli dominatu et in Dei filios adoptari (1), item parvulos suscepto baptismo inter fideles computandos esse (2), consequenter esse justificatos.

Ratio cur ab infantibus et illis qui ad usum rationis non pervenerunt, nulla prærequiratur dispositio est, quia tales omni dispositione ad justificationem sunt incapaces : nulla enim *naturalis perfectio* disponit subjectum, in quo est, ad supernaturalem justificationem, et nullam *operationem* moralem edere possunt infantes et illi qui usu rationis semper carent ; unde nec negative, nec positive ad justificationem sese valent aut debent disponere.

PROPOSITIO SECUNDA. *In adultis, in illis nempe qui usum rationis adepti sunt, prærequiruntur quædam dispositiones ad obtinendam justificationem.*

177. In adultis prærequiruntur dispositiones.

Hoc est de fide saltem ecclesiastica, ut constat ex doctrina concilii Tridentini suprà relata.

Ratio cur ab adultis prærequirantur dispositiones ad justificationem est, quia conditio naturæ humanæ petit ut homo cum deliberatione et electione ad statum justitiæ finemque suum ultimum perveniat. Quæ ratio sic exponitur a S. Thoma : « Respondeo dicendum quod justificatio impii fit Deo movente hominem ad justitiam. Ipse enim est qui justificat impium, ut dicitur Rom. III. Deus autem movet omnia secundum modum uniuscujusque.... Unde et hominem ad justitiam movet secundum conditionem naturæ humanæ. Homo autem secundum propriam naturam habet quod sit liberi arbitrii. Et ideo in eo qui habet usum liberi arbitrii non fit motio a Deo ad justitiam absque motu liberi arbitrii » (3).

Remanet ut indicemus *quænam* requirantur dispositiones.

Loquimur hîc de adultis peccatoribus, de illis scilicet qui, præter originale, personalia peccata habent (4).

Ante omnia requiritur *fides,* fides nempe dogmatica, seu firmus

---

(1) Conc. Florent. Decret pro Jacobitis. *Enchir.*, n. 712.
(2) Conc. Trid. Sess. VII, *De Baptismo,* can. 13. *Enchir.*, n. 869.
(3) *Sum. Theol.*, 1-2, q. 113, a. 3.
(4) A cæteris præscinditur, quia isti vel jam inveniuntur in statu gratiæ et hinc necessariis dispositionibus nequaquam carere possunt : vel nec gratiam, nec reatum peccati mortalis habere supponuntur, et sic, neganda esset cum quibusdam hypothesis possibilitas, aut certe excepto dolore de peccato (quia de peccato originali nemo potest conteri) cæteræ omnes conditiones mox exponendæ in talibus requirerentur. Cf. BILLOT, *De Ecclesiæ Sacramentis,* T. I, Thes. XXVI.

in veritates a Deo revelatas assensus mentis propter auctoritatem Dei revelantis. Etenim « sicut dictum est, motus liberi arbitrii requiritur ad justificationem impii secundum quod mens hominis movetur a Deo, Deus autem movet animam hominis convertendo eam ad seipsum.... Et ideo ad justificationem impii requiritur motus liberi arbitrii in Deum. Prima autem conversio in Deum fit per fidem, secundum illud : Accedentem ad Deum oportet credere quia est (Hebr. XI, 6). Et ideo motus fidei requiritur ad justificationem impii » (1).

Deinde requiritur :

Spes : quia motus, quo homo se convertit ad Deum, nequit haberi quin expectet homo a Deo æternam felicitatem auxiliumque ad illam necessarium ;

timor : quia, si sperat homo æternam felicitatem, necessario et timebit æterna supplicia et omne quod ad illa ducit ;

dilectio, nempe amor initialis Dei. Justificatio enim impii est translatio impii a statu injustitiæ ad statum justitiæ. Jamvero impius qui libere movetur ad justitiam hanc desideret oportet et simul Deum justitiæ fontem diligere (2) incipiat necesse est;

pœnitentia seu dolor de peccatis, cum proposito saltem implicito non peccandi de cætero : qui enim accedit ad Deum et sincere in ipsum sperat illumque incipit diligere, nequit non dolere de peccatis commissis quæ sunt aversio a Deo, nec, si de futuro cogitat, non proponere a peccato in posterum omnino abstinere : ideo sine pœnitentia numquam remittitur peccatum ;

votum saltem implicitum suscipiendi sacramentum, baptismum nempe vel pœnitentiam ; quia hæc sunt media ad salutem necessaria a Deo, in præsenti Providentiæ ordine, instituta.

Nota. 1) Hæ omnes dispositiones quas enumeravimus requiruntur in justificatione cujuslibet impii adulti, quamvis quædam ex illis possint esse tantum virtualiter seu implicite contentæ in aliis (3).

2) Hæ dispositiones, uti patet ex explicatione data, positive reddunt hominem idoneum ad justificationem accipiendam consequenter esse debent *supernaturales.*

---

(1) S. THOMAS, 1-2, q. 113, a. 4.

(2) Abstrahimus ab ulteriori inquisitione de natura hujus initialis amoris erga Deum, utrum nempe sit aliquid distinctum ab ipso desiderio conversionis. « Verius diceres hanc initialem dilectionem non esse necessario restringendam ad perfectum amorem charitatis, sed adhuc intelligi posse de ipsa voluntate sive desiderio conversionis, in quo involvitur quidem justitiæ recuperandæ amor, adeoque et Dei qui fons justitiæ est ». BILLOT, *o. c.*, T. II. Thes. XV, p. 154; cf. BELLARMINUS, *De justificatione,* L. I, cap. 13.

(3) Cf. BILLOT, *o. c.*, l. c.

178. *Non sufficere solam fidem ad justificationem demonstratur :*

Scholion. Directe contra Lutherum statui possunt asserta duo : *Non sola fides sufficit ut homo constituatur et maneat justus.*

Demonstratur.

1) ex S. Scriptura ;

A. EX S. SCRIPTURA.

« Si habuero omnem fidem, scribit S. Paulus, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum » (1). Testatur ergo, etiam tantam fidem seu fiduciam in promissionem vere factam a Christo saluti non prodesse, nec apud Deum valere ut quis credat, si charitas deficiat.

S. Jacobus vero ex professo confutat eos, qui jam tempore Apostolorum docebant, homines per fidem sine operibus justificari et salvari posse. « Quid prodest, ait, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat ? Numquid poterit fides salvare eum ? Fides si non habeat opera, mortua est in semetipsa.... Videtis, quoniam ex operibus justificatur homo, et non ex fide tantum.... Sicut corpus sine spiritu mortuum est, ita et fides sine operibus mortua est » (2).

« Lutherus, quum illa S. Jacobi epistola suam sententiam omnino profligari videret, clamavit stramineam hanc epistolam esse, nec S. Jacobi Apostoli sed alterius viri boni ac simplicis, qui acceptis quibusdam dictis discipulorum Apostolicorum ea in chartam conjecerit. At impudentiæ magistri vel ipsos Lutheri sectatores puduit, ita ut non ausi sint ex canone suo S. Jacobi epistolam rejicere » (3).

Præterea multoties pœnitentia commendatur ut necessaria ad remissionem peccatorum. « Pœnitemini et convertimini ut deleantur peccata vestra » (4).

179. *2) ex Traditione ;*

B. EX TRADITIONE.

Nil pariter magis alienum est a Lutheri figmentis, quam Patrum doctrina. Etiam ipsi fidem solam ad peccatorum remissionem, justificationem et salutem non sufficere unanimiter docent. *S. Justinus M.* in suo dialogo cum Triphone Judæis acclamat : « Si de peccatis vestris doleatis, ipsum quem crucifixistis, ut Christum agnoscatis, et mandata ipsius observetis, veniam peccatorum vestrorum consequemini » (5). *S. Hieronymus* de hæreticis sui temporis, qui asserebant sola fide negotium salutis absolvi, scribit : « Promittunt eis pacem et regnum cœlorum et dicunt : Non necesse est, ut vivas continenter et sancte ; habeto fidem quam docemus, et omnia promissa Domini consequeris ;

---

(1) 1 *Cor.*, XIII, 2.
(2) *Jac.*, II, 14 ss.
(3) JUNGMANN, *o. c.*, n. 294. De canonicitate epistolæ S. Jacobi, cf. VAN STEENKISTE-CAMERLYNCK, *Commentarius in epistolas catholicas* (5a edit.), Brugis 1909, p. 31 ss.
(4) *Act.*, III, 19.
(5) N. 95.

quæ loquentes magis adversus eos iram Dei concitant » (1). — *S. Prosper :* « Eum, inquit, qui potest uti libero arbitrio, nec opera sine fide, nec fides sine operibus justificat » (2). — Quantopere Protestantium sententia de sola fide justificante doctrinæ ab Apostolis traditæ adversetur, vel ipsi Orientales schismatici agnoverunt, magnaque cum indignatione istum errorem in synodo Hierosolymitana (a. 1672) rejecerunt. Sic illa Synodus statuit can. 13°: Credimus, non sola fide, sed ea solum, quæ per caritatem operatur, id est fide atque operibus hominem justificari.

C. EX RATIONE THEOLOGICA.

180.
3) ex ratione theologica.

Si doctrina spectans ad ordinem moralem talis est ut ex illa logice sequatur perversio morum, illa doctrina falsa est. Atqui sententia Lutheri de fide justificante conducit ad perversionem morum. Ergo.

Minor declaratur : Unicuique homini aliquam legis naturalis cognitionem habenti persuasum est quædam bona esse facienda, quædam mala vitanda. Hujus veræ obligationis persuasio est prima conditio requisita ad hoc ut homo bene agat et vincat difficultates magnas quæ continuo occurrunt in exercitio virtutis. Hanc autem persuasionem tollit sententia Lutheri quippe qui tenet fide sola, nempe, secundum ipsum, fiducia de remissione peccatorum, hominem justificari sive bonum faciat, sive malum committat (3): ergo in hac sententia nulla jam esse potest persuasio necessitatis exercendæ virtutis vitiique exstirpandi.

Dicebant, et adhuc dicunt quidam Lutherani (4), ex ipsa fide opera bona infallibiliter esse secutura : sed inepte hoc asseritur : quum enim ex ipsa eorum sententia constat inutilia esse opera

---

(1) *Comment. in Matth.* VIII, 3.

(2) *De vita contempl.* L. 1. c. 19.

(3) Notissima sunt hæc Lutheri verba: « Fides est certa, altissimeque animo insidens, divinæ bonitatis et gratiæ, per Verbum Dei cognitæ atque manifestæ, *fiducia* » Cit. a PRAT, *o. c.*, p. 255.

« Vides quam dives sit homo Christianus : etiam volens non potest perdere salutem suam quantiscumque peccatis nisi nolit credere ». *Ibid*

« Si gratiæ prædicator es, gratiam non fictam sed veram prædica : si vera gratia est, verum non fictum peccatum ferto. Deus non facit salvos ficte peccatores. Esto peccator et pecca fortiter ; sed fortius fide et gaude in Christo... peccandum est quamdiu hîc sumus » Cit. a JUNGMANN, *De gratia* n. 297, nota. De authentia illorum verborum : « esto peccator et pecca fortiter, sed fortius fide... », quae indubia est, cf. HARTMANN-GRISAR, *Luther,* t. II, p. 158 ss. Sensus autem non est exhortatio ad peccandum, sed expressio doctrinae Lutheri tenentis justificationem haberi unice per fiduciam, non impediri per peccata ; peccata porro esse inevitabilia. Quam nociva sit talis doctrina patet !

(4) « Nous (Luthériens) croyons... que nous sommes sauvés par la *satisfactio vicaria,* par les mérites de Jésus Christ seulement, par la seule foi dans le Christ, non par nos bonnes œuvres. C'est le sens de la parole de Luther que l'ignorance [?] a si souvent mal interprétée : *pecca fortiter, sed crede fortius.* Nous croyons que les bonnes œuvres, sont le fruit de la croyance en Jésus Christ et que la foi seule, non la nature propre de l'homme, permet de les accomplir » (Déclaration citée dans *La Quinzaine.* 1906, p. 180).

bona ad salutem, homines ad illa exercenda jam non movebuntur. Quod confirmatur experientia (1).

181. Objectio. **Objectio.** S. Paulus explicite docet solam fidem sufficere ad hoc ut homo fiat justus ; dicit enim : « Arbitramur enim justificari hominem per fidem sine operibus legis » (2).

R. Nego antecedens ; quoad textum allatum, dico ejusdem sensum esse : ex operibus legis, h. e. ex sola observatione præceptorum *legis,* qua talis (sive naturalis, sive mosaïcæ, quam præcipue respicere videtur S. Paulus), neminem justificari ; sed ad justificationem omnino requiri *fidem* (3).

Inde huic doctrinæ non contradicit S. Jacobus asserendo : « Videtis quoniam ex operibus justificatur homo et non ex fide tantum » (4). Nam S. Jacobus hîc loquendo de homine jam credente dicit solam fidem non sufficere ad justificationem sed ulterius requiri alia bona opera, ex fide procedentia (5).

182. Fides requisita ad justificationem est fides dogmatica. 2. *Fides, quæ requiritur ad justificationem, est fides* DOGMATICA, *h. e. assensus intellectus veritati revelatæ propter auctoritatem revelantis.*

Demonstratur.

EX S. SCRIPTURA.

Ad ostendendum fidem ad salutem esse necessariam *S. Paulus* integram epistolam ad Romanos scripsit. Thema enim epistolæ proponitur his verbis : « Non enim erubesco evangelium ; virtus enim Dei est in salutem omni credenti : Judæo primum et Græco. Justitia enim Dei in eo revelatur ex fide in fidem, sicut scriptum est: Justus autem ex fide vivit (6) ». Jamvero his ipsis verbis jam indicatur evangelium importare *objectum* hujus fidei justificantis, illudque objectum esse complexum veritatum credendarum (7). Porro exemplar hujus fidei apostolus proponit

---

(1) Cf. JUNGMANN, *o. c.*, n. 294-297.

(2) *Rom.*, III, 28.

(3) Comment cette foi... produit elle la justification ? Paul affirme que l'homme est justifié par la foi *(διά πίστεως* ou *πιστει)*, en vertu de la foi *(εκ πίστεως)*, sur la foi *(ἐπὶ πιστει)* ; la première locution désigne le moyen ou l'instrument, la seconde le principe, la troisième le fondement de la justification. Une fois justifié, l'homme continue à vivre dans la foi *(εν πιστει)*, comme dans une atmosphère surnaturelle dont sa vie a désormais besoin, et *de* la foi *(εκ πίστεως)* comme d'une force dont l'énergie est durable et toujours agissante ". PRAT, *Théologie de Saint Paul,* t. I, p. 237.

(4) *Jac.*, II, 24.

(5) Cf. PRAT, *o. c.*, p. 243-245; VAN STEENKISTE-CAMERLYNCK, *o. c.*, 50 ss.

(6) *Rom.*, I, 16-17.

(7) « Nomine *Evangelii* juxta contextum non tam doctrina, quam annuntiatio evangelica intelligi videtur.., res prædicatæ tamen simul comprehenduntur, quandoquidem potissimum ob suum argumentum prædicatio contemnebatur ». CORNELY, *Commentarius in epistolam ad Romanos,* Parisiis, 1896, p. 66.

Abraham, cui « reputata est fides ad justitiam (1) ». Quid vero credidit Abraham ? Illud : « Patrem multarum gentium posui te (2) » ? quæ non est fides illa fiducialis Protestantium, sed fides dogmatica. Similiter et nobis in justitiam « reputabitur credentibus in eum, qui resuscitavit Jesum Christum, Dominum nostrum, a mortuis (3) ». Unde si confitearis in ore tuo Dominum Jesum et in corde tuo credideris, quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris » (4).

Similiter in epistola ad Hebræos explicatur illud : « Justus autem meus ex fide vivit. » Ex qua fide ? Quæ est « argumentum non apparentium », qua « intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei, ut ex invisibilibus visibilia fierent », qua « credere oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit (5). Idem fidei objectum proponitur multis aliis Scripturæ locis, ut : « Hæc autem scripta sunt, ut credatis, quia Jesus est Christus, Filius Dei, et ut credentes vitam habeatis in nomine ejus » (6). (Cf. Jo. III, 16; Act. VIII, 37; Gal. II. 16, etc) (7).

PROPOSITIO TERTIA. *Ultima et sufficiens dispositio ad impii adulti justificationem, extra sacramentum re susceptum, est omnis et sola contritio quæ ex motivo perfectæ erga Deum charitatis concipitur.*

Prænotandum. Suprà plures enumeravimus dispositiones quæ requiruntur ad justificationem peccatoris : illæ possunt esse plus vel minus remotæ ad ipsam justificationis consecutionem, hancque tempore præcedere. Nunc autem statuimus peccatorem, adultum scilicet peccati mortalis personalis reum, actu contritionis perfectæ justificari, ita ut hic actus sit ultima dispositio, cui necessario adnectitur gratiæ sanctificantis infusio. Supponimus actum charitatis perfectæ annexum habere vel implicite continere votum suscipiendi sacramentum.

Demonstratur.

183. Ultimam dispositionem ad adulti justificationem esse charitatem perfectam demonstratur : 1) ex S. Scriptura ;

A. EX SCRIPTURA.

« Si quis diligit me, sermonem meum servabit : et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus » (8). « Omnis qui diligit ex Deo natus est, et cognoscit Deum... Deus caritas est, et qui manet in caritate, in Deo manet

(1) *Rom.*, IV, 9.
(2) *Ibid.*, IV, 19.
(3) *Ibid.*, IV, 24.
(4) *Ibid.*, X, 9.
(5) *Hebr.*, X, 38 ss., XI, 1-6.
(6) *Jo.*, X, 31.
(7) Hæc demonstratio desumitur a PESCH, *o. c.*, n. 362.
(8) *Jo.*, XIV, 23.

et Deus in eo » (1). Jamvero diligi a Deo secundum quod divinæ personæ animam inhabitant est obtinere donum gratiæ sanctificantis ; ergo dilectionis actus ultimo disponit ad gratiæ susceptionem. Quoad naturam istius dilectionis, notandum est intelligendam esse charitatem *perfectam,* illam nempe qua Deus simpliciter super omnia amatur tamquam summum bonum : hic enim est amor veræ amicitiæ quæ describitur in testimoniis citatis.

184. 2) ex ratione theologica ;

B. EX RATIONE THEOLOGICA.

« Per contritionem charitate perfectam homo abjicit, quantum in se est, omnem perversitatem ordinis præcedenter inductam, dolens de sua conversione ad creaturam ut ad ultimum finem, tamquam de summo omnium malo, et sese denuo ad Deum convertens tamquam ad summum omnium bonum, super omnia appretiative amatum. Sed repugnat divinæ misericordiæ, ut creaturam sese rectificantem circa ultimum finem, perversitatemque ordinis cum auxilio gratiæ totaliter abjicientem, adhuc repellat denegando veniam (2). Certissime ergo tenendum est. contritione perfecta statim justificari peccatorem, lege constanti ac universali, antequam sacramentum actu suscipiatur » (3).

Objicies forsitan ipsum charitatis actum, utpote aliquid mere transiens, non posse esse ultimam dispositionem ad *habitum* charitatis et ad gratiam sanctificantem. Respondetur autem : « Sed charitatis natura hæc est ut inducat ordinem permanentem. Sane proprium est hominis, in quantum est ratione præditus, libera sua electione sese ordinare in finem : atqui ordo in finem est ex natura sua permanens. Nam finis est ratio eligendi ea quæ sunt ad finem, finis igitur ultimus totius humanæ vitæ est ratio eligendi omnia in tota vita hominis secundum legem Dei. Proinde cum homo eligit Deum ut finem ultimum per actum charitatis perfectæ, secundum modum suæ naturæ proprium, sese ordinat permanenter sub Deo, et ideo ejusmodi ordo manet donec non retractetur. Cum igitur gratia naturam non destruat, dicendum etiam per actum charitatis perfectæ hominem sub Deo stabiliter ordinari tamquam ad objectum beatitudinis supernaturalis »(4).

185 3) ex documentis Ecclesiæ.

C. EX DOCUMENTIS ECCLESIÆ.

a) *Concilium Tridentinum* hæc habet : « Docet præterea S. Synodus, etsi contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliet priusquam hoc sacratum (Pœnitentiæ) actu suscipiatur, ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni sine sacramenti voto, quod in illa

(1) 1 *Jo.,* IV, 7, 16.
(2) Dicendo *veniam* intelligimus remissionem reatus *culpæ* et consequenter *æternæ* pœnæ, non vero remissionem pœnæ temporalis quæ sæpe remanet luenda.
(3) BILLOT, *De Sacramentis.* T. II, p. 125.
(4) PIGNATARO, *De Gratia Christi,* autogr., p. 417.

includitur, non esse adscribendam ». (1). Ubi licet directe mens concilii appareat esse docere contritionem non justificare, sine voto sacramenti, tamen supponit hoc omnino in doctrina catholica constare : dari nimirum justificationem per contritionem charitate perfectam, eamque contingere ante sacramenti susceptionem. Neque dicas : concilium non universaliter sed aliquando id contingere affirmat. Respondetur enim non dicere concilium : aliquando contritum Deo reconciliari, sed contritionem aliquando esse charitate perfectam, et tunc Deo peccatorem reconciliare » (2). b) Merito igitur damnata est a *Pio V propositio 17a Baii :* « Per contritionem, etiam cum caritate perfecta et cum voto suscipiendi sacramentum coniunctam, non remittitur crimen extra casum necessitatis aut martyrii, sine actuali susceptione sacramenti » (3).

186. De gratia qua elicitur actus qui est ultima dispositio ad justificationem.

Scholion. Actus contritionis perfectæ, qui est ultima dispositio impii ad justificationem, debet evidenter esse supernaturalis, ideoque elicitus a voluntate elevata per gratiam. Inquirunt autem theologi quanam eliciatur gratia, utrum actuali an ipsa charitate habituali, quæ jam infunderetur cum gratia sanctificante.

S. Thomas (4) et multi ejus discipuli docent justificationem impii adulti fieri *in instanti, simulque tempore* haberi ipsum *motum liberi arbitrii* (in peccatum detestandum ac in Deum amandum) et *infusionem gratiæ sanctificantis,* ita ut actus contritionis perfectæ eliciatur *habitu* charitatis.

Alii, inter quos *Suarez,* censent « actum illum supernaturalem, quo proxime disponitur peccator ad infusionem gratiæ habitualis, non procedere effective ab habituali gratia seu (quod idem est) non elici a potentia mediante habitu infuso, sed mediante aliquo alio auxilio (actuali) seu adjuvante gratia » (5).

Certe non repugnat ut actus charitatis perfectæ eliceretur auxilio aliquo actuali et ut, elicito actu, statim infunderetur gratia sanctificans cum annexis donis. Sed nulla videtur necessitas admittendi illud auxilium actuale, ut statim dicetur. Præcipua

---

(1) Sess, XIV, c. 4. *Enchir.*, n. 898.
(2) PIGNATARO, *o. c.*, 417.
(3) *Enchir.*, n. 1071.
(4) « Prædicta quatuor quæ requiruntur ad justificationem impii tempore quidem sunt simul, quia justificatio impii non est successiva, ut dictum est (art. præc.) ; sed ordine naturæ unum eorum est prius altero ; et inter ea naturali ordine primum est gratiæ infusio; secundum motus liberi arbitrii in Deum; tertium est motus liberi arbitrii in peccatum ; quartum vero est remissio culpæ». 1-2, q. 113, a. 8 ; v. *De Veritate,* q. 28, a. 8 ; cf. CAJETANUS in 1-2, q. 113, a. 8 ; SOTO, *De natura et gratia,* L. II, c. 18. VASQUEZ, in 1-2, Disp. 211.
(5) SUAREZ, *De gratia,* L. VIII, c. 12 (p. 366). Eamdem sententiam propugnant DE LUGO, *De Pœnitentia,* disp. VIII, sect. 7 ; GOTTI, *Theologia Scholastico-dogmatica,* T. II, Tract. VII, q. II, dub. 4, § 6 ; PESCH, *o. c.*, n. 360 ; ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, *Annotationes de Virtutibus theologicis,* p. 153 ss. qui tamen illam sententiam alias relinquit. Cf. *De eening der minnende ziel met God,* bl. 104.

difficultas quæ movetur contra sententiam S. Thomæ est hæc : Si actus contritionis charitate perfectæ est ultima dispositio ad justificationem, tunc dicendum quod homini infunditur habitus *quia* est contritus ; sed si habitus est ipsum principium a quo elicitur ipse actus charitatis, tunc dicendum quod homini infunditur habitus *ut* fiat contritus. Impossibile autem est ut gratia infundatur et *quia* homo contritus est et *ut* fiat contritus. Ergo actus charitatis quo homo ultimo disponitur ad justificationem nequit elici ab habitu.

Respondetur distinguendo minorem, distinguendo scilicet varias rationes formales, secundum quas gratia influere potest. Eadem enim entitas gratiæ potest aliter et aliter influere et ideo potest aliam et aliam causalitatis rationem exercere : secundum unam esse natura priorem actui, secundum aliam natura posteriorem. Hîc agitur de eadem entitate quae sub uno respectu est *operans* necnon principium actus charitatis, et sub alio respectu est *cooperans* atque sic actum reddit meritorium.

187. S. Thomæ sententia explicatur.

Integram S. Thomæ sententiam exponit et propugnat Card. Billot: « Insuper nota quod, cum ad omnem actum supernaturalem requiratur elevatio potentiæ elicientis actum, hæc elevatio habetur dupliciter : vel per motionem Dei in facultatem receptam (gratiam operantem), vel per habitum inhærentem quo homo utitur ut vult, (gratiam cooperantem) (1). Nunc autem nihil prohibet quominus in una eademque gratiæ habitualis largitione, pro priori et posteriori signo naturæ, uterque elevationis modus importetur. Imo, in justificatione impii per contritionem perfectam, necesse est id evenire. Nam cum juxta omnes, infusio habitus et motus contritionis sint tempore simul, non est existimandum voluntatem elevari per aliquod principium distinctum ab habitu ipso ; redundaret enim, et ad nihil inserviret. Verum pro priori naturæ, habitus nondum influit per modum habitus, scilicet ut in potestate voluntatis existens, sed influit solum per modum motionis, seu ut gratia operans, et hoc modo est principium contritionis, in quantum contritio est ultima dispositio ad justificationem. In signo autem naturæ posteriori, cum jam in potestate liberi arbitrii positus intelligitur, incipit influere per modum habitus, id est, ut gratia cooperans; et hoc modo est principium contritionis, in quantum eadem contritio est meritoria vitæ æternæ, et de condigno satisfactoria pro pœna temporali. « Dicendum, inquit Angelicus, quod dispositio subjecti præcedit susceptionem formæ, ordine naturæ; sequitur tamen actionem agentis, per quam etiam ipsum subjectum disponitur et ideo motus liberi arbitrii, naturæ ordine præcedit consecutionem gratiæ, sequitur autem gratiæ infusionem » (2). Quasi diceret quod motus contritionis, ordine naturæ præcedit habitum charitatis consideratum ut habitus est; sed sequitur ipsum, pro quanto infusio habitus, in priori naturæ, se habet ut motio Dei elevantis voluntatem ad eliciendum actum, qui est ultima ad habitualem gratiam dispositio.

---

(1) De illa distinctione inter gratiam *operantem* et *cooperantem* v. suprà n. 130 et nota bene non hîc asseri distinctionem inter gratiam *operantem* et *cooperantem* esse eamdem ac inter gratiam actualem et habitualem.

(2) 1-2, q. 113, a. 8, ad 2.

« His jam præmissis, nullius negotii erit ordinem naturæ præstituere in iis quæ ad justificationem impii requiruntur. Aliter quippe consideratur ordo ille ex parte Dei justificantis, aliter vero ex parte hominis justificati (1). Cum enim Deus, mediante infusione gratiæ, simul elevet liberum arbitrium ad supernaturalem contritionis actum, ipsamque animam sanet et justificet, hinc est quod ex parte Dei agentis, prior natura est infusio gratiæ, posterior vero, motus liberi arbitrii et culpæ ablatio. Sed ex parte hominis justificati, prior natura est receptio gratiæ, qua est operans ; sequitur motus contritionis prius removens prohibens destruendo offensam, tum positive disponens ad gratiam ; ultimo est consecutio habitus gratiæ justificantis, qui quidem habitus, prout consideratur in potestate voluntatis, cujus propria veluti virtus effectus est, rationem jam habet gratiæ cooperantis » (2).

Eadem, ut videtur, est sententia S. Bonaventuræ qui dicit : « communiter ponitur et verum esse credo quod Deus expellit peccatum *per gratiam* [i. e. sanctificantem]... ideo cum causa præcedat effectum, infusio gratiæ *naturaliter* [i. e. ordine naturæ] prior est expulsione peccati » (3). Et infrà dicit : « Gratia prius per naturam habet rationem *agentis* quam *informantis* ; et secundum quod habet rationem *agentis* sic est *principium* justificationis ; secundum quod habet rationem *informantis*, sic est terminus » (4).

Editores operum S. Bonaventuræ notant (5) a Scholasticis affirmari communiter *justificationem impii fieri instanti* et *in eodem instanti quatuor conjungi* inter se distinguenda, nempe infusionem gratiæ sanctificantis, motum liberi arbitrii (per fidem) in Deum, detestationem peccati, ipsam remissionem culpæ (6).

Non recte interpretatur cl. P. Pesch mentem S. Thomæ quando dicit (l. c.) : « Solet S. Thomas nomine gratiæ sæpe simul complecti et gratiam actualem et gratiam habitualem » Nam S. Thomas solet, quando loquitur de *gratia*, sine ulteriori explicatione, hoc vocabulo designare *gratiam habitualem* (7).

Specialiter in loco de quo agitur. sc. 1-2, q. 113, a. 8, non potest quis serio in dubium vocare quominus S. Thomas ibi, quando loquitur de *infusione gratiæ*, loquatur de infusione gratiæ *justificantis* seu *sanctificantis*.

PROPOSITIO QUARTA. *In susceptione sacramentorum mortuorum, dispositio sufficiens ad justificationem impii est, præter fidem, attritio omnem voluntatem peccandi excludens, cum spe veniæ.*

---

(1) Cf. S. Thomas, 1-2, q. 113, a. 8 ad 1.
(2) Billot, *o. c.*, p. 88 ss cf. *De gratia*, p. 234 ss.
(3) In IV, dist. 17. P. I, a. 2, q. 1 (t. IV, p. 426). Cf. in III, dist. 18. a. 2, q. 1 (t. III, p. 389).
(4) In VI, l. c., ad 1.
(5) T. IV, p. 427.
(6) Cf. Salmanticenses, Tr. XIX, de Charitate, disp. IV, dub. 2 et 3.
(7) Cf. 1-2, q. 109-114 inclusive, præsertim q. 110. Nec obstat hoc quod dicit S. Thomas 1-2, q. 111, a. 2: « Gratia dupliciter potest intelligi : uno modo divinum auxilium, quod nos movet ad bene volendum et agendum ; alio modo habituale donum nobis divinitus inditum ». Licet S. Thomas admittat hanc divisionem gratiæ in *auxilium quod nos movet* et *habituale donum nobis inditum*, tamen de facto sub nomine gratiæ, quando nihil adjungit, designat gratiam habitualem, ut legenti S. Doctoris opera facile patebit. V. suprà, p. 10, nota 2 ; p. 139, nota 4.

188. In susceptione Sacramenti dispositio s. f- ficiens ad justificationem est, præter fidem, attritio omnem voluntatem peccandi excludens, cum spe veniæ.

Prænotandum. Ad justificationem adulti semper prærequiritur fides. Inquirimus quid requiratur tamquam motus liberi arbitrii in adulto impio qui justificatur in sacramento præter fidem. Notemus nos loqui de ipsa *dispositione* subjecti et non de actibus qui in ipso requiruntur tamquam *materia sacramenti*. Supponimus sacramenta producere gratiam ex opere operato non ponentibus obicem.

Demonstratur.

« Cum sacramenta conferant gratiam ex opere operato, non requiritur ibi illa dispositio quæ ex opere operantis appelat et exigit formam, sed tantum illa quæ aufert obicem impedientem ne opus operatum suum habeat effectum. Atqui ad remotionem obicis in peccatore, satis est attritio omnem voluntatem peccandi excludens, cum spe veniæ. Ergo redit conclusio. — Et ratio minoris est quia obex in peccatore qua tali, esse non potest ipsa habitualis culpæ existentia, vel quæ in ea importatur, habitualis conversio ad creaturam ut ad finem ultimum ; præsertim cum ad destructionem reatus culpæ sacramenta mortuorum fuerint directe a Deo instituta et aliunde sit impossibile ut efficaciam causæ impediat existentia illius rei, ad cujus destructionem ex natura sua causa ordinatur. Relinquitur ergo ut dictus obex non sit nisi *adhærentia* cordis ad peccatum, utputa si peccatum nulla ratione fuerit totaliter ab affectu rejectum: nulla ratione, inquam et nequidem propter motiva inferiora, puta in quantum est inductivum gehennæ, aut moralis honestatis privativum. Et sane, in sensu composito hujus adhærentiæ fieri nequit ut, seclusa omni violentia quæ semper ab operibus Dei abest, convertatur homo ad Deum per gratiam habitualem ; præterea, omnino repugnat ut cesset imputabilitas culpæ, quamdiu homo ad culpam suo effectu alligatur. Ast, per solam attritionem excludentem voluntatem peccandi, tollitur præfatum adhærentiæ impedimentum. Licet igitur, quantum est ex vi operis operantis, nondum sit factum satis ad destruendam offensam adhuc imputabiliter manentem, et nondum inveniatur homo conversus ad Deum ut ad ultimum totius humanæ vitæ finem : nihilominus ablatum est obstaculum prohibens, ne sacramentum hanc conversionem in habitu operetur. In quo juvari iterum potest exemplo in superioribus jam proposito ; nam si quis rumperet vinculum quo alligatus erat ad unum terminum, nondum quidem actu suo se converteret ad terminum oppositum ; esset tamen in proxima dispositione requisita ad hoc, ut per causam extrinsecam ab uno situ in contrarium immutaretur : et sic est in præsenti » (1).

(1) BILLOT, *o. c.*, p. 153.

CAPUT V.

DE PROPRIETATIBUS JUSTIFICATIONIS.

189. Quid proprietas?

Nomine *proprietatis* designatur id quod intelligitur ex intima rei natura necessario consequi et ad essentiam accedere.

Non requiritur ut proprietas sit aliquid realiter distinctum ab ipsa re cujus dicitur esse proprietas : immortalitas, e. gr. recte dicitur proprietas animæ rationalis.

Quoad justificationem et gratiam sanctificantem, triplex exponitur a theologis proprietatis: cognoscibilitas, inæqualitas, amissibilitas.

ARTICULUS Ius. **De cognoscibilitate justificationis** (1).

190. De medio cognoscendi objectivo.

Humano intellectui contingit tripliciter cognoscere res : vel *in seipsis,* sicut anima cognoscit actus suos ; vel in *effectu,* sicut in creaturis cognoscitur Deus ; vel in *causa,* sicut in agente naturali cognito potest aliquis cognoscere effectum secuturum in talibus adjunctis, sicut etiam in agente per intellectum et voluntatem potest aliquis cognoscere aut (conjecturaliter) actionem quam ponet agens ille in tali vel tali circumstantia, aut (ex ejus testimonio) actionem quamdam fuisse factam.

Gratia nequit ab homine cognosci in *seipsa :* est enim qualitas spiritualis, imo supernaturalis ; qualitas vero immaterialis quæ est principium actuum vitalium nequit ab homine cognosci in se ipsa ; actus ipsi vitales possunt esse objectum conscientiæ psychologicæ, non vero principia actuum.

Nec in effectu : effectus gratiæ est operatio supernaturalis : hæc autem operatio, qua operatio est, cognosci potest conscientia psychologica, sed non potest cognosci qua *supernaturalis* est : supernaturalitas enim ut ex propria uniuscujusque experientia constat, non est objectum experientiæ propriæ ; deinde operationes animæ suæ in tantum ab unoquoque cognoscuntur in quantum attingunt objectum suum : sed actus supernaturales eadem ratione qua actus naturales ejusdem speciei attingunt objectum : v. gr. fides quæ est assensus in rem revelatam propter Dei auctoritatem, attingit objectum, tum materiale, tum formale eodem modo, sive sit naturalis, sive supernaturalis (2).

---

(1) Videsis VAN DER MEERSCH, ap. VACANT-MANGENOT, *Dict. de théol. cath.*, art. *Grâce*, col. 1616 ss.

(2) Cf. BILLOT, *De Virtutibus infusis*, p. 78.

In causa, h. e. in Deo infundente gratiam, posset hæc cognosci si Deus ipse revelaret hanc sui operationem. Sed ipse Deus non directe homini manifestat operationem qua infundit gratiam. Remanet inquirendum utrum ex parte Dei possimus de existentia gratiæ in homine habere notitiam, quatenus ex Revelatione cognosceremus existentiam conditionum quibus connectitur infusio gratiæ sanctificantis.

PROPOSITIO PRIMA. *Nullus sine speciali Dei revelatione scire valet, certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum.*

Hæc propositio est de fide, saltem ecclesiastica.

191. **Prænotandum.**

1. « Certitudo proprie dicitur firmitas adhæsionis virtutis cognitivæ in suum cognoscibile » (1). Certitudo fidei est illa firmitas adhæsionis quæ est propria fidei.

In præsenti, sermo est de fide divina : de hac enim agebatur in concilio Tridentino. Sed idem valet de fide ecclesiastica, quæ nempe respondet definitioni infallibili Ecclesiæ, definientis aliquid ut verum licet hoc non fuerit a Deo revelatum. Inde quando hîc dicitur non posse aliquid sciri certitudine fidei, sensus est aliquid non posse cognosci illa certitudine quæ est propria fidei divinæ vel ecclesiasticæ.

192. Error Lutheri

2. Ut perspiciamus sensum decreti concilii Tridentini, oportet imprimis ut consideremus *occasionem* qua latum fuit.

Fuit nempe error Lutheranorum qui docebant : a) sola fide justificari homines (v. suprà, n. 174) ; b) hanc fidem esse fiduciam sed simul absolutam persuasionem quam unusquisque habet de remissione suorum peccatorum. Inde docebant unumquemque eadem certitudine debere credere se esse justificatum qua credit tres esse in Deo personas, proinde amittere justificationem eo ipso quod dubitet utrum sit justificatus : a nulla enim personæ dispositione, præter ipsam fidem, dependebat, secundum illos, justificatio hominis.

193. Doctrina catholica.

3. Hunc errorem intendit damnare concilium Tridentinum, sed quum ageretur de certitudine quam homo habere potest de propria justificatione exorta est « longissima omnium et molestissima » (2) disputatio inter catholicos theologos, præsertim inter Dominicanos et Franciscanos (3). Hi enim propugnabant absolutam certitudinem (quam quidam fidei certitudinem dicebant) posse haberi ab

---

(1) S. THOMAS in III, dist. XXVI, q. II, a. 4; Cf. DE JAEGHER, *o. c.*, n. 96.

(2) SOTO, *Apologia... qua reverendo patri Ambrosio Catharino, de certitudine gratiæ respondet.* Appendix in opere *De natura et gratia,* fol. 262, verso. Cf. MERKLE, *Concilii Tridentini diariorum Pars Prima,* Friburgi Br. 1901, præsertim p. 98, 101, 109, 593, 600.

(3) Cf. HEFNER, *o. c.*, p. 297 ss.

homine de sua justificatione ; illi vero conjecturalem tantum admittebant certitudinem. Hanc controversiam noluit dirimere concilium nec quæstionem penitus examinare ; formulam in decreto assumpsit quæ omnibus fuit accepta, licet apponeret aliquam restrictionem propositioni de absoluta gratiæ certitudine, quam prius propugnabant quidam Franciscani. Statuit concilium : a) neminem justificari ex eo quod fiduciam vel certitudinem habeat de remissione suorum peccatorum ; b) non oportere eos qui vere justificati sunt, absque ulla dubitatione apud semetipsos statuere se esse justificatos ; c) unumquemque, dum seipsum suamque propriam infirmitatem et indispositionem respicit *de sua gratia formidare* et *timere* posse, cum nullus scire valeat *certitudine fidei, cui non potest subesse falsum,* se gratiam Dei esse consecutum.

En textum concilii Tridentini: Cap. 9. Contra inanem hæreticorum fiduciam.

« Quamvis autem necessarium sit credere, neque remitti neque remissa unquam fuisse peccata, nisi gratis divina misericordia propter Christum : nemini tamen fiduciam et certitudinem remissionis peccatorum suorum jactanti, et in ea sola quiescenti, peccata dimitti vel dimissa esse dicendum est, cum apud hæreticos et schismaticos possit esse, imo nostra tempestate sit, et magna contra Ecclesiam catholicam contentione prædicetur vana hæc et ab omni pietate remota fiducia. Sed neque illud asserendum est, oportere eos, qui vere justificati sunt, absque ulla omnino dubitatione apud semetipsos statuere, se esse justificatos, neminemque a peccatis absolvi ac justificari, nisi eum, qui certo credat, se absolutum et justificatum esse, atque hac sola fide absolutionem et justificationem perfici : quasi qui hoc non credit de Dei promissis deque mortis et resurrectionis Christi efficacia dubitet. Nam sicut nemo pius de Dei misericordia, de Christi merito, deque sacramentorum efficacia dubitare debet : sic quilibet, dum seipsum, suamque propriam infirmitatem et indispositionem respicit, de sua gratia formidare et timere potest : cum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum » (1).

Igitur concilium Tridentinum nihil aliud definit quam hoc quod homo nequit, absque speciali Dei revelatione ita cognoscere se esse justificatum ut de hoc habeat illam certitudinem quæ est propria fidei, et quæ talis est ac tanta ut huic non possit subesse falsum (2) : talis enim certitudo est propria fidei divinæ, sive consideretur ex parte objecti formalis sive ex parte principii elicitivi:

---

(1) *Enchir.*, n. 802 ; cf. n. 823.

(2) His verbis definit concilium qualis excludatur certitudo ex parte *effectus* ejusdem : nempe excluditur certitudo *cui non potest subesse falsum.* Notatu dignum est in formula decreti prius scriptum fuisse : cum nemo scire valeat certitudine fidei *catholicæ :* deinde loco hujus vocabuli, positum est : *cui non potest subesse falsum.* Ratio est quia nimis vaga fuisset definitio si dictum fuisset : fidei *catholicæ :* hæc enim intelligi potuisset fides qua credi debent ab *omnibus fidelibus* easdem veritates a Deo revelatas : jamvero hoc evidens est quod justificatio singulorum hominum non pertinet ad veritates illas. Inde expressio: *cui non potest subesse falsum,* non habenda est, secundum mentem concilii, ut omnino æquivalens : *catholicæ.* Cf. HEFNER, *o. c.*, p. 323 s.

ex parte objecti formalis quia hoc est auctoritas ipsius Dei revelantis ; ex parte principii elicitivi quia fides divina in subjecto, nempe in homine, habetur per gratiam, qua nunquam adjuvatur homo ad admittendum falsum. Nihil definivit concilium de natura actus intellectus quo possit homo cognoscere se esse justificatum, nec de certitudine quæ tali cognitioni convenit : quæ proinde quæstiones libere inter theologos disputantur (1).

194. Quædam Catholicorum opiniones indicantur; Ambr. Catharini.

Imo, ut videtur, non intendit concilium Tridentinum damnare opinionem Ambr. Catharini (2). Hic duplicem fidem distinguebat: *unam, catholicam* seu *universalem,* qua creduntur ab omnibus veritates a Deo revelatæ et ut tales propositæ omnibus credendæ ; alteram, *privatam* seu *particularem,* qua aliquis homo aliquid credit vel quia ipsi a Deo fuit privatim aliquid revelatum, vel quia ex aliqua veritate universaliter a Deo revelata et ex aliqua alia veritate, aliunde cognita, aliquid credit. Porro censebat Catharinus hac fide privata posse homines credere se esse justificatos : etenim quia, excepto casu specialis revelationis a Deo factæ, homo nequit credere se esse justificatum nisi quatenus intellectu suo humano recte judicat de propriis actibus, et quia judicio intellectus humani semper subesse potest falsum, ideo, secundum Catharinum, hæc fides privata non est talis cui non potest subesse falsum, proinde concilium Tridentinum non excludit hanc fidem privatam de propria uniuscujusque gratia seu justificatione.

Licet non intenderit hanc opinionem damnare concilium, tamen, ut videtur, hanc opinionem esse falsam et rejiciendam *logice sequitur* ex definitione concilii recte et plene intellecta. Et sane si quis haberet actum fidei divinæ (licet hæc sit fides privata) de statu suæ justificationis, haberet certitudinem cui non potest subesse falsum : actui enim fidei infusæ nunquam potest subesse falsum : proinde homo haberet de sua justificatione certitudinem eamdem, quoad gradum firmitatis, ac est certitudo fidei catholicæ. Inde recte, ut videtur, contendit D. Soto id quod propugnat Catharinus esse falsum et alienum a mente synodi Tridentinæ (3).

Bellarmini,

Bellarminus (4) notat inter Catholicos dari tres sententias: una est sententia Ambrosii Catharini ; altera est « quæ non docet quidem certitudinem fidei divinæ, [haberi posse ab homine de propria justificatione], tamen affirmat *posse,* imo etiam *solere,* præsertim homines perfectos, ad eam securitatem venire, ut nullam habeant de sua justificatione formidinem, plane ad eum modum, quo credimus sine ulla hæsitatione, et formidine deceptionis, Cæsarem imperasse in Italia, Alexandrum in Græcia, Ciceronem oratorem, Livium historicum, Virgilium poetam fuisse ; Constantinopolim esse urbem in Thracia et Antiochiam in Syria, quamvis neutram vidimus ». Hanc sententiam non admittit Bellarminus Tertiam vero propugnat, quam communiorem dicit : quæ « non tollit

(1) Cf. GAUCHER, *Le signe infaillible de l'état de grâce,* Le Perreux, 1907, præsertim p. 91 ss. Non tamen assentimur thesi ab hoc auctore propugnatæ quæ dicit : hominem justificatum posse habere, absque speciali revelatione, certitudinem absolutam de sua ipsius justificatione, eamdem nempe certitudinem qua sacerdos qui infantem baptizavit credere potest illum infantem esse justificatum : *o. c.,* p. 21 s. Ideo non recte ponitur ipse titulus operis: le signe *infaillible.*

(2) Cf. PALLAVICINI, *Concilii Tridentini historia,* L. VIII, c. 12, n. 10-12.

(3) *O. c.,* fol., 263 ss.

(4) *De justificatione,* L. III, c. 11, n. 24-27;

quidem omnem formidinem, tollit tamen omnem *anxietatem* et *hæsitationem*, et ipsam etiam dubitationem, si dubius dicatur qui non audet alteri parti assentiri... Datur enim aliquod medium inter extrema [h. e. certitudinem fidei et anxietatem], videlicet certitudo quædam moralis ex parte intellectus, et spes ac fiducia ex parte voluntatis ».

Becani.

Becanus (1561-1621) dicit hominem de sua justificatione habere posse certitudinem *experimentalem*, quatenus homo potest experiri *actus*, qui sunt proprii hominis justi, licet non possit experiri illos actus *quatenus* sunt *hominis justi*. Inde dicit : « Hæc autem certitudo experimentalis multum distat a certitudine fidei, quia potest illi subesse falsum. Etsi enim certus sim et falli in eo non possim, quin sentiam me moveri, non tamen certus sum me moveri ut justum. Multi enim et peccatores moventur » (1).

Scholasticorum antiquorum :

Antiqui Scholastici etiam ex professo posuerunt quæstionem utrum quis possit cognoscere se habere gratiam et communiter respondent hominem, extra casum revelationis particularis, hoc non posse cognoscere nisi *conjecturaliter*, i. e. ex signis quibus deducitur præsentia gratiæ. Illa autem signa sunt operationes vel habituales dispositiones quas potest homo *experiri*, quas nempe potest cognoscere conscientia psychologica. Minus solliciti fuerunt de determinando gradu firmitatis illus assensus, utrum sit tantum probabilis vel certus.

Alex. Halensis.

Alexander Halensis docet hominem non posse scire se habere gratiam per *scientiam, quæ est medium cognitionis infallibile :* ratio est quia gratia importat Dei benevolentiam erga nos : et de hac benevolentia non possumus habere prædictam cognitionem. Sed homo potest cognoscere se habere gratiam per experimentum seu per scientiam experimentalem, quia potest res gratiæ experiri in se. Tria autem sunt signa ex quibus habetur experimentum per quod anima sancta experimentaliter cognoscit se habere gratiam : illa tria sunt : lumen in intellectu, in voluntate vero : lætitia, in appetitu concupiscibili, pax in appetitu irascibili. Inde Deus non relinquit nos penitus in ignorantia gratiæ, nec etiam nobis penitus cognitionem gratiæ concedit : non dat cognitionem gratiæ speculativam, sed dedit ut cognosceremus illam secundum affectivam cognitionem in experientia et sensu divinæ dulcedinis quæ est gratia (2).

S. Bonaventuræ.

S. Bonaventura tenet nos non posse *certitudinaliter* cognoscere nos habere charitatem (nisi per revelationem doceamur) : nam charitas importat gratiam gratum facientem, quæ reddit hominem Deo acceptum, hanc autem Dei acceptionem non scimus certitudinaliter (3).

S. Thomæ.

S. Thomas dicit hominem, absque speciali revelatione, non posse scire *certitudinaliter* se habere gratiam : hoc dicit S. Thomas de certitudine quæ est propria scientiæ, quæ est de conclusionibus demonstrativis per indemonstrabilia universalia principia. Potest autem homo cognoscere se habere gratiam *conjecturaliter* per aliqua signa, in quantum scilicet percipit se delectari in Deo et contemnere res mundanas et in quantum homo non est conscius sibi alicujus peccati mortalis (4).

Scoti.

Scotus idem, ut videtur, censet (5).

---

(1) *Summa theologiæ scholasticæ*, Tract IV, *De Gratia*, C. 3. q. 11, p. 270.
(2) *Summa theologica*, P. III. q. 71, membr. 3, a. 1-3.
(3) In I, dist. 17, P. I, a. 1, q, 3 (t. I. p. 299).
(4) 1-2, q. 112, a. 5. Cf. CAJETANUS in h. 1.
(5) In IV, dist. 1, q. 3, q. 4, a. 5, q. 14, a. 4. Cf. HEFNER, *o. c.*, p. 301 s.

195. Propositio demonstratur ex ratione theologica.

Demonstratur.

EX RATIONE THEOLOGICA.

Ut aliqua propositio possit credi fide divina requiritur ut hæc sit vel explicite, vel formaliter implicite revelata a Deo ; atqui, absque speciali revelatione, nullius hominis factum justificationis est vel explicite vel formaliter implicite revelatum ; ergo.

Major demonstratur in tractatu *de fide* (1).

Minor declaratur. Omnes concedunt non explicite revelatum fuisse quinam sint justificati. Sed nec formaliter implicite hoc est revelatum : etenim omnes propositiones universales de justificatis sunt *conditionales :* v. gr. si quis debito modo recipit baptismum, hic justificatur ; atqui nunquam potest perfecta certitudine alicui constare conditionem fuisse erga semetipsum adimpletam ; ergo nec conclusio syllogismi conditionati, in præsenti materia, potest esse *objectum fidei.*

Declaratur minor hujus secundi syllogismi. Adultus justificatur vel ex susceptione sacramenti producentis gratiam ex opere operato, vel ex actu contritionis seu charitatis perfectæ.

Si de primo casu agitur, non potest homini perfecta certitudine constare omnia fuisse adimpleta ad validam Sacramenti susceptionem : non enim nisi certitudine morali late dicta cognosci potest potestatem ordinis aut jurisdictionis, vel intentionem requisitam fuisse in ministro (2).

Si de secundo casu agitur, quum ad justificationem requiratur charitas *supernaturalis,* homo nequit unquam perfecta certitudine scire se amare Deum *sicut oportet* ad justificationem : supernaturalitas enim actus percipi nequit conscientia psychologica. Conscientiæ objectum est : actus noster prout attingit suum objectum. Jamvero si substantia actus consideratur, eadem ratione objectum tum formale, tum materiale attingitur sive in actu intrinsece naturali, sive in actu intrinsece supernaturali. Accedit quod propter supernaturalitatem et perfectionem essentialem talis actus, quæ satis occulta est nobis, sunt inter theologos variæ opiniones de modis accidentalibus, ut de intensione ac duratione actus. Licet in solutione harum quæstionum possit aliquis veritatem assequi, nihilominus non est de hac solutione certitudo fidei, nec theologica, stricte dicta ; hoc satis est ut judicium : ego sum sufficienter dispositus ad justificationem, non satis sit certum ut fiat, quoad me, revelatum hoc alterum judicium : ego sum justificatus (3).

---

(1) Cf. BOUQUILLON, *o. c.*, n. 20; *Collat. Brug.*, T. VI, p. 516; SCHIFFINI, *De virtutibus infusis,* n. 58-65 ; BILLOT, DE *virtutibus infusis,* thes. XII, § 3.

(2) Præterea generatim loquendo, non perfecta certitudine cognoscitur ab illis qui non administrant Sacramentum, materiam Sacramenti fuisse aptam et formam rite pronuntiatam.

(3) Cf. SUAREZ, *o. c.*, L. IX. c. 10. n. 11.

Quum non possim *conscientia* scire me hîc et nunc elicere actum charitatis *sicut oportet* ad justificationem, ad habendam fidem de propria justificatione requireretur ut fuisset revelatum quod actus amoris erga Deum quia Deus est in se ipso infinite bonus esset semper *supernaturalis*. Sed hoc revelatum non est et hic actus, sicut ipse actus fidei, potest fieri naturaliter. Præterea de hoc adagio : *facienti quod in se est Deus non denegat gratiam*, nulla habetur explicatio revelata. Revelatum est Deum esse benignissimum ac misericordissimum, sed non quomodo Deus exerceat illam benignitatem in distributione gratiarum ; imo nec ex revelatione scimus quomodo verificetur hæc Dei voluntas qua vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire.

Nota. Ad demonstrandam propositionem non sufficit dicere: « ut cognoscam me esse justificatum, requiritur ut utar etiam aliqua veritate non revelata ; ergo hæc propositio : ego sum justificatus, non potest esse de fide, quia, quoad me, hæc cognitio dependet ab aliqua veritate non revelata ». Nam fieri potest ut utendum sit veritate non revelata, ad hoc ut aliqua veritas fiat *quoad nos* revelata (1) : ex propositione universali revelata v. gr. fieri potest quoad nos revelata aliqua propositio singularis, mediante aliqua cognitione naturali. Exemplum sit : revelatum est omnes homines, absque speciali privilegio, naturali generatione natos ex Adamo, infectos esse peccato originali ; ex hoc quoad nos de fide est, talem hominem esse originali labe infectum, quum constet naturali cognitione, illum fuisse naturaliter natum ex Adamo.

Confirmatur. *196. Confirmatur.*

EX TRADITIONE.

S. Hieronymus doctrinam hanc perspicue proponit dum commentatur illa verba libri *Ecclesiastes* IX, 1 : *Omnia hæc tractavi in corde meo, ut curiose intelligerem : Sunt justi atque sapientes et opera eorum in manu Dei : et tamen nescit homo, utrum amore*

(1) Dicendo *utendum aliqua veritate non revelata*, non intelligimus quod hæc veritas adhibeatur tamquam præmissa in vero syllogismo, vim illationis habente : quo casu, conclusio, deducta ex una propositione revelata et ex altera non revelata, non est quoad nos revelata. Sed uti possumus veritate non revelata ut nobis innotescat sensus alicujus propositionis revelatæ, vel ut constet conditionem expressam in propositione revelata fuisse verificatam vel in propositione revelata universali contineri aliquam propositionem particularem.

« Hic notandum occurrit, non esse confundendum id quod expressis verbis in propositione aliqua significatur, cum eo quod prima fronte ex sola lectione vel auditione propositionis percipitur. Potest enim esse quod verborum sensus nonnisi ex studiosissima inquisitione innotescat, et ideo multæ sunt veritates explicite revelatæ, quæ tales non apparent, nisi multis adhibitis argumentis ; iis porro argumentis dico, quibus solum ostenditur qualis sit in determinato contextu secundum hermeneuticæ regulas, suppositio, potestas et connexio terminorum ». BILLOT, *o. c.*, p. 253, nota 2.

an odio dignus sit, sed omnia in futurum servantur incerta (1). Ad quæ eximius ille Ecclesiæ doctor : « Porro, inquit, hic sensus est : etiam in hoc dedi cor meum et scire volui, quos Deus diligeret, quos odisset ; et inveni justorum quidem opera in manu Dei esse et tamen utrum amentur a Deo an non, nunc eos scire non posse, et ambiguos fluctuare, utrum ad probationem sustineant, quæ sustinent, an ad supplicium. In futuro igitur scient, et in vultu eorum sunt omnia, id est antecedet eos cum de hac vita discesserint notitia istius rei ; quia tunc est judicium, et nunc certamen. Et quicumque adversa sustinent, utrum per amorem Dei sustineant, ut Job, an per odium, ut plurimi peccatores, nunc habetur incertum ».

Adjungamus his pulcherrimam illam responsionem, quam S. *Gregorius M.* dedit nobili matronæ Gregoriæ, imperatricis Constantinæ cubiculariæ. Hæc femina de peccatorum suorum multitudine valde anxia a sancto Pontifice instanter petebat ut testaretur se ex revelatione scire, Gregoriæ peccata esse dimissa. Hinc ad ipsam scribit s. Doctor : « Quod vero dulcedo tua in suis epistolis subjunxit importunam se mihi existere, quoad usque scribam mihi revelatum esse quia peccata tua dimissa sunt, rem et difficilem etiam et inutilem postulasti. Difficilem quidem, quia ego indignus sum cui revelatio fieri debeat : inutilem vero, quia secura de tuis peccatis fieri non debes, nisi cum jam in die vitæ ultimo plangere eadem peccata minime valebis. Quæ dies quousque veniat, semper suspecta, semper trepida metuere culpas debes, atque eas quotidianis fletibus lavare » (2).

197. Non demonstratur ex S. Scriptura.

Adnotatio. Propositio nostra, ut videtur, nequit demonstrari ex S. Scriptura. Non raró tamen adhibentur quidam textus quos breviter crisi subjiciemus :

1. « Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum : qui autem judicat me Dominus est. Itaque nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum et manifestabit consilia cordium et tunc laus erit unicuique a Domino » (3).

Imprimis notemus Apostolum dicendo : « Non in hoc justificatus sum » non loqui de justificatione interna per gratiam ; sed dicit : licet munere apostolico ita functus sim ut juxta conscientiæ meæ testimonium nihil egerim quod fidelem ministrum dedeceat, tamen non audeo me dijudicare et *fidelem* declarare.

Hoc admisso quidam adhibent hunc textum hoc modo : Apostolus

(1) Hoc assertum, ut videtur, non est interpretandum sicut facit hîc S. Hieronymus; nihilominus ipse exponit doctrinam in Ecclesia vigentem. V. BEELEN, in h. loc.
(2) *Registrum Epistolarum.* L. VII. epist. 25.
(3) *1 Cor.* IV, 4. Cf. CORNELY, in h. l.

affirmat se non posse perfecta certitudine scire utrum non defecerit in obeundo munere apostolico, quia hoc judicium perfectum et infallibile competit Deo soli. Jamvero quod Apostolus hîc dicit de semetipso circa ministerium apostolicum debet dici, propter paritatem rationis, vel etiam a fortiori, de omnibus christianis quoad suas obligationes, ita ut nemo perfecta certitudine scire possit se esse immunem a peccato.

Sed non apparet cur hîc necessario intelligendum sit Apostolum locutum esse de defectu gravi seu peccato mortali, scilicet non video cur intelligendum sit : *nullius peccati mortalis* mihi conscius sum in munere apostolico obeundo. Non repugnat Apostolum censuisse : nullius omnino culpæ in adimpletione muneris mei sum conscius, sed non in hoc justificatus sum. Ideoque ex testimonio allato non possumus concludere: nullus homo potest scire se nunquam commisisse peccatum mortale.

2. « Sunt justi atque sapientes et opera eorum in manu Dei sunt: et tamen nescit homo utrum amore an odio dignus sit » (1).

Illa verba, cum contextu considerata hoc significant : homo hac in terra nequit ex eventibus, sive prosperis, sive adversis, cognoscere utrum sit omnino gratus Deo vel non : nam eventus tum prosperi tum adversi contingunt æque homini bono ac malo. Nonnisi in altera vita cognoscet homo utrum sit acceptus coram Deo vel non. « Non nisi per *accommodationem* aut saltem interpretationem *non necessariam* de incerto gratiæ supernaturalis statu accipi debent » [illa verba] (2).

3. « De propitiato peccato noli esse sine metu » (3).

Sensus obvius non est : debes timere ne peccatum commissum tibi non fuerit a Deo remissum, sed hic : « quod tibi aliisve peccata quondam condonata esse cognoscas : ne inde, omni metu deposito, de Dei misericordia præsumas, et pristinis alia addas. Noxia ergo damnatur securitas et quæ in præsumptione degenerat confidentia » (4).

Objectiones. *198. Objectiones.*

1. Dicit S. Paulus : « Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro quod sumus filii Dei » (5); atque Spiritui Sancto testanti necesse est credere ; ergo credere debemus nos esse filios Dei.

R. Nego suppositum. Supponitur in objectione sensum textus

(1) *Eccle.* IX, 1.
(2) GIETMANN, *Commentarius in Ecclesiasten* p. 275. Cf. BEELEN, Het boek genaamd *De Prediker*, bl. 31.
(3) *Eccli.* v, 5.
(4) SMITS. in h. l., cit. a BEELEN, *Het boek genaamd Ecclesiasticus*, p. 22.
(5) *Rom.* VIII, 16.

esse Spiritum Sanctum singulis justis testari se de facto esse filios Dei. Hic autem non est sensus. In textu græco legitur *συμμαρτυρεῖ τῷ πνεύματι ἡμῶν ;* h. e. simul testatur cum spiritu nostro. Est ergo confirmatio sententiæ præcedentis : « accepistis spiritum adoptionis in quo clamamus : Abba (Pater) ». Testimonio nostri spiritus, quo invocamus Deum, ut Patrem, jungitur testimonium Spiritus quo movemur ad invocandum Deum ut Patrem. Hæc est conditio justi ut a Spiritu excitetur ad invocandum Deum ut Patrem. Sed hæc excitatio non est aliqua revelatio qua Spiritus Sanctus singulis hominibus testatur ipsos esse de facto justos. Imo impellere potest Spiritus etiam peccatores ad dicendum : *Pater noster qui es in cœlis.* Præterea hæc Spiritus excitatio, qua supernaturalis est, non percipitur spiritu humano.

2. Multi theologi docent sacerdotem (vel laicum), qui infantem valide baptizavit, fide divina credere posse et debere hunc infantem esse justificatum (1), quia plena certitudine potest cognoscere adimpletam fuisse conditionem requisitam ad infantis justificationem ; atqui eadem certitudine potest homo cognoscere adimpletam fuisse conditionem requisitam ad propriam sui justificationem, nempe actum charitatis perfectæ ; ergo homo potest fide divina credere se esse justificatum.

R. Negatur minor, scilicet paritas quæ ibi asseritur, negatur scilicet eodem cognitionis modo et eadem certitudine posse hominem cognoscere a se adimpletam fuisse conditionem requisitam ad infantis justificationem ac a se adimpletam fuisse conditionem requisitam ad propriam justificationem.

Etenim sacerdos baptizans conscientia psychologica et physica certitudine directe potest cognoscere se habere intentionem requisitam ad validitatem baptismi, seque modo debito pronuntiare formulam requisitam et infundere aquam ; quum autem ex parte subjecti recipientis baptismum, scilicet infantis, nullus possit esse obex, sequitur a sacerdote perfecta certitudine cognosci posse adimpletam fuisse conditionem requisitam ad justificationem infantis et proinde, saltem secundum illos theologos (2), esse quoad sacerdotem jam revelatum hunc infantem esse justificatum.

Sed quoad alium casum, nempe quoad conditionem requisitam ad propriam justificationem, homo potest quidem cognoscere conscientia psychologica et physica certitudine se hîc et nunc elicere actum charitatis perfectæ, *quoad substantiam actus,* sed non habet conscientiam psychologicam de *supernaturalitate* actus

---

(1) Cf. BOUQUILLON, *o. c.*, n. 24 ; ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, *Annotationes in hunc tractatum.* n. 24 ; MAZZELLA, *De virtutibus infusis,* n. 425 ss.

(2) Dico: *secundum illos theologos,* quia alii hoc negant. Respondeo difficultati in hypothesi quod conceditur antecedens: quod cæteroquin admitto.

hujus. Jamvero dispositio ultima ad justificationem, extra sacramentum, est charitatis *supernaturalis* actus ; nec revelatum est quotiescumque homo eliciat actum charitatis perfectæ, hunc actum esse supernaturalem.

3. Multi contemplativi ita suam cum Deo unionem describunt ut pateat se esse omnino certos de actuali sua justificatione vel asserunt se esse in statu gratiae ; ergo illi saltem christiani absolutam certitudinem habent de sua justificatione.

R. Concedo antecedens, imo et consequens: noto autem illud consequens non esse contradictorium thesi a nobis propugnatæ.

Etenim apud illos contemplativos agitur de unione *mystica* proprie et stricte dicta, et de quadam contemplatione *infusa* (1) ac de consequente speciali fruitione de Deo. Jamvero illa extraordinaria conjunctio animae cum Deo est vel in seipsa æquivalens *revelatio divina* de statu gratiae in quo versatur anima, vel exigit illam revelationem divinam : ergo, in illo casu, non absque speciali Dei revelatione cognoscit homo se esse justificatum (2).

PROPOSITIO SECUNDA. *Certitudine late dicta, excludente scilicet omne judicium probabile prudens de opposito, potest homo scire se esse justificatum.*

Explicatur.

199. Explicatur quæ certitudo haberi possit.

Admittimus hac de re certitudinem quamdam veram, excludentem omne *prudens* dubium, seu, ut alii loquuntur, excludentem judicium probabile prudens de opposito (3); censemus hanc certitudinem esse possibilem et esse objective rectam, h. e. proportionatam tum objecto cognoscendo, tum naturæ cognitionis de qua agitur, et sæpe haberi a christianis serio studentibus perfectioni acquirendæ ; non desunt tamen homines virtuosi qui anxietate quadam et nimia formidine afficiuntur de salute ; nec alii qui ex levitate omne dubium excludunt.

Demonstratur.

200. Demonstratur 1) in casu quo homo recipit Sacramentum;

1. Potest homo certudine excludente omne prudens dubium scire se esse sufficienter dispositum ad validam et fructuosam receptionem Sacramenti pœnitentiæ : illi actus requisiti in se non

(1) Cf. ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, in *Collat. Brug.*, t. XXII, p. 177 ss.

(2) Cf. PHILIPPUS A SS. TRINITATE, *Summa theologiae mysticae*, Parisiis, 1874, t. I, disc. procem., a. 8, *ad quintum*, p. 52 ; Illmus ac Revmus WAFFELAERT, in *Collat. Brug.*, t. XVII, p. 497.

(3) Duo gradus certitudinis moralis distingui possunt. Primus est certitudinis moralis *stricte* sumptæ, quatenus excludit non solum omne prudens dubium sed etiam omnem formidinem : talis est ex. gr. certitudo de existentia Romæ, pro eis qui numquam eam viderunt. Alter vero gradus est certitudinis moralis *late* sumptæ, quæ excludit quidem judicium probabile prudens de objecto opposito, sed non omnem formidinem : talis est ex. gr. certitudo quæ habetur inter Catholicos de valide suscepto baptismo, quando sacerdos minister id testatur. Cf. MAZZELLA, *o. c.*, l. c.

sunt difficiliores quam ut possint rite poni ab hominibus utentibus ordinaria prudentia et cura ; præterea illi actus sunt objectum conscientiæ ; tandem nemo prudenter dubitare potest quominus Deus tunc concedat gratias actuales necessarias ut illi actus sint supernaturales. Fide enim divina tenemus Deum magna benevolentia et misericordia homines supernaturali gratia movere ad actus salutares faciendos, sincere velle hominum salutem et larga manu concedere media saluti necessaria : nemo proinde validam habet rationem putandi sibi non dari a Deo illa auxilia quæ hîc et nunc sunt sibi necessaria ut agat *sicut oportet,* quum sincere *velit* sic agere. Ex altera parte, potest homo certitudine morali, excludente dubium prudens, cognoscere sacerdotem omnia rite peragere ut valida sit administratio sacramenti ex parte ministri ejus.

Nec dicas : potest in homine latere aliquis affectus ad peccatum mortale, unde attritio non sit universalis. Non nego quod hoc fieri possit ; imo admitto dari posse attritionem sinceram quæ tamen non sit appretiative summa, et fieri posse ut homo non habeat conscientiam de hoc defectu, et sic recipiat, bona fide, sacramentum pœnitentiæ quod sit validum et tamen informe (1). Sed tamen fieri potest ut homo cognoscat conscientia plena se hîc et nunc renuntiare omni peccato mortali, quod sufficit ; nec requiritur ut singulis peccatis explicite renuntiet.

201. 2) in casu quo elicit actum charitatis perfectæ ;

2. Homo fidelis, h. e. fidem catholicam habens, potest perfecta certitudine scire se credere ; deinde potest, certitudine excludente prudens dubium, scire se hîc et nunc ex motivo fidei amare Deum, quia est in se ipso infinite bonus et ita ut illum præferat rebus omnibus et vi hujus amoris sit paratus omnia potius despicere quam peccare mortaliter ; præterea prudenter dubitare nequit quominus Deus ad illum actum perfectæ charitatis eliciendum tribuat gratiam et consequenter justificationem.

Nota bene perfectiorem nos habere posse certitudinem de actu fidei (qua est actus credendi, non qua est supernaturalis) (2), quam de actu amoris : ratio est quia fides est formaliter in intellectu : quum autem intellectus sit essentialiter potentia cognoscitiva, tamquam proprietatem habet posse perfecte cognoscere suos actus cognoscitivos : non autem eadem perfectione refert actus voluntatis quæ est potestas appetitiva et quæ ipsa non cognoscit actus suos. Hæc est, ut videtur, sententia quam exponit S. *Thomas* ad solvendam sequentem objectionem: « Sicut scientia est donum Dei, ita et gratia. Sed qui a Deo scientiam accipit, scit se scientiam habere. Ergo pari ratione qui accipit gratiam a Deo, scit se habere gratiam.

« Dicendum quod de ratione scientiæ est quod homo certitudinem

(1) Cf. BILLOT, *De Ecclesiæ Sacramentis,* T. II, Thes. XVI, p. 156 ss.
(2) Cf. HARENT, *Dict. de théol. cath.,* art *Foi,* col. 371 ss.

habeat de his quorum habet scientiam : et similiter de ratione fidei est quod homo sit certus de his quorum habet fidem ; et hoc ideo, quia *certitudo pertinet ad perfectionem intellectus,* in quo prædicta dona existunt. Et ideo quicumque habet scientiam, vel fidem, certus est se habere. Non est autem similis ratio de gratia et charitate et aliis hujusmodi, quæ perficiunt vim appetitivam » (1).

202. 3) ex habitualibus dispositionibus.

3. Dantur quædam dispositiones *habituales* ex quibus, tamquam ex signis, conjecturalem cognitionem de sua justificatione acquirere potest homo (qui aliunde nullius peccati mortalis conscius sibi est), et hæc cognitio, licet conjecturalis, esse potest, ut videtur, *certa,* nempe hac certitudine quæ excludit *prudens* dubium. Ratio est quia gratia sanctificans est principium remotum vitæ spiritualis ac supernaturalis, hæc autem vita exercetur actibus animæ qui sunt objectum conscientiæ (quoad substantiam eorum, non quoad modum supernaturalitatis), si ergo homo in se apprehendit *habitus* bonorum operum quæ exercentur ex fide divina, non poterit prudenter dubitare quominus illi sint effectus gratiæ.

Hoc confirmatur verbis S. Pauli qui dicit : « Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ ; quod in simplicitate cordis et sinceritate Dei et non in sapientia carnali, sed in gratia Dei conversati sumus in hoc mundo » (2). Ex hoc textu non directe concludimus hominem posse testimonio conscientiæ scire, absque prudenti dubio, se esse in statu gratiæ sanctificantis: nam hæc verba : *in gratia Dei conversati sumus in hoc mundo* non videntur illud significare, sed utimur hoc textu ut ostendatur hominem, testimonio conscientiæ, agnoscere posse quosdam gratiæ, generice sumptæ, effectus. Dicit enim Apostolus : juxta conscientiæ nostræ testimonium (3), summo cum animi candore, quem *divinæ gratiæ* debemus, nos, Paulus et Thimotheus, semper conversati sumus in mundo.

Confirmatur etiam his verbis : « Fructus autem Spiritus est : charitas, gaudium, pax,... » (4). In præcedentibus dixerat Apostolus: Spiritu ambulate et desideria carnis non perficietis » (5). Tunc enumerat opera ad quæ impellit caro, deinde habitus bonorum operum qui sunt fructus Spiritus : sicut de operibus carnis homines conscientiam habere possunt et debent illa relinquere, ita de operibus bonis et debent in illis ambulare ; quia ex indole sua agnoscuntur ut fructus Spiritus, ideo cognoscere potest homo conjecturaliter se habere Spiritum.

---

(1) *Sum. Theol.* 1-2., q. 112, a. 5, ad 2. Cf. SOTO, *De natura et gratia,* L. III., c. 10 ss.; BILLUART, *De Gratia,* diss. VI, a. 4. obj. 2°, inst. 2°.

(2) 2 *Cor.,* I, 12.

(3) Non est ratio cur dicatur hîc agi de speciali Dei revelatione, sed de *conscientiæ* suæ testimonio loquitur Apostolus.

(4) *Gal.,* v, 22.

(5) *Ibid,* 16.

203. Confirmatur ex praxi fidelium.

4. **Confirmatur.** Sententia tenens non posse haberi de propria justificatione nisi *probabilem* opinionem non excludentem omne *prudens* dubium, adversatur sensui et praxi christianorum optimorum: illi enim qui frequenter sanctissimam recipiunt Communionem et ferventer se ad illam præparant, non censent : se posse communicare licet probabiliter sint in statu peccati mortalis, sed persuasum habent firmiter se esse immunes ab omni peccato mortali et ideo sine anxietate vel hæsitatione ad Sacram Synaxim accedunt.

204. Objectio.

Objectio. Si impossibilis est *perfecta* certitudo de propria justificatione, unusquisque semper anxius esse debet ; atque hæc conclusio pessima est in ordine morum ; ergo rejicienda assertio e qua deducitur.

R. Nego antecedens, nempe connexionem inter conditionem et conditionatum. Nam hæc anxietas foret irrationabilis : non enim potest exigere homo certitudinem majorem quam est certitudo quæ ex ipsa indole veritatis cognoscendæ resultat. Jamvero non alia potest de justificatione haberi quam quæ excludit prudens dubium. Si prudens dubium excluditur hoc sufficit. Hac autem donatus certitudine potest et debet homo fidere Deo, ejus maximæ benignitati ac misericordiæ ; hæc autem fiducia honori cedit Deo qui ita ut Pater habetur (1). Hæc fiducia producit pacem animæ et gaudium et disponit mirabiliter hominem ut, suî ipsius oblitus, Dei sequatur motiones ad bonum et sic magis ac magis in virtutibus crescat et in justificatione, necnon ad opera magna facienda accendatur, quemadmodum constat in historia Sanctorum.

« Protestantes vero, dum jubent eam certitudinem haberi quæ haberi nequit, ex una parte ad fallacem quamdam præsumptionem et persuasionem confictam provocant ; ex altera parte, quum reapse eam certitudinem et persuasionem nemo possideat nec possidere et sentire possit, atrocem provocant in homine pugnam ac dubiorum fluctuationes. Calvinista necessario, dum sentit se illam certitudinem fidei, quæ juxta novatores a Deo solo sine hominis cooperatione infunditur, non habere, crudeli dubio angitur, forte se ad numerum reprobatorum pertinere ; Lutheranus pariter, dum autumat justificationem a fiducia illa quæ opus Dei in homine est pendere, et nihilominus hanc vacillare advertit, dubia maxima de sua salute concipiet » (2).

205. De natura prædictæ certitudinis.

Nota. Certitudo, formaliter accepta, prout est firmitas judicii adhærentis enuntiabili, si recte obtinetur, importat necessitatem

---

(1) Sed hæc sincera ac plena fiducia haberi nequit, ut videtur, si homo non potest nisi probabilem opinionem de sua justificatione habere : in casu enim deberet *fidere se habere gratiam* et simul intellectu *judicare probabile esse se non habere gratiam.*

(2) JUNGMANN, *o. c.*, n. 314.

enuntiabilis, necessitatem nempe objectivæ convenientiæ vel disconvenientiæ terminorum propositionis, scilicet subjecti et prædicati. Triplex autem distinguitur necessitas enuntiabilis, nempe *metaphysica, physica, moralis,* secundum diversitatem *motivi* quod determinat assensum intellectus ; inde etiam distinguitur triplex certitudo (1).

Si quæratur quanam certitudine homo possit cognoscere se esse justificatum, respondendum videtur: a) certitudine *morali late* dicta,vel b) certitudine *æquivalenti, quoad gradum firmitatis* assensus.

Etenim a) quando agitur de justificatione per susceptionem sacramenti, certitudo, quam de illa habere potest homo, nititur in certitudine de valida administratione sacramenti : hæc porro certitudo non est nisi *moralis late* dicta, fundata nempe in modo quo communiter solent agere homines. Attamen in materia de qua agitur habetur aliquod motivum certitudinis majus quam in aliis materiis. Etenim valida administratio Sacramentorum est intime connexa cum supernaturali vita membrorum Ecclesiæ ; hæc vita permanere debet et sustentari mediis, quæ Deus ad hoc ordinavit, nominatim Sacramentis. Quapropter ad divinam Providentiam speciali quadam ratione pertinet efficere ut, ordinario saltem cursu, valide administrentur Sacramenta.

b) Quando agitur de justificatione per actum charitatis perfectæ, haberi potest certitudo *physica* de illo actu, quoad *substantiam* actus : hic enim actus, qua talis, est objectum conscientiæ psychologicæ. Sed altera propositio, nempe : Deus hîc et nunc reddit hunc actum *supernaturalem,* non est revelata, nec, ut videtur, theologice certa ; est tamen propositio de cujus veritate non rationabiliter dubitaret fidelis qui actum amoris perfecti erga Deum elicit, et qui recte cogitat de benignitate Dei et de necessitate gratiæ ; proinde in hoc casu homo rationabiliter excludit, utpote solido fundamento carens, judicium quo affirmaretur se non esse justificatum.

ARTICULUS IIus. **De inæqualitate justificationis.**

206. Error Lutheri.

Lutherus aliique contendebant « justitiam in omnibus justificatis esse æqualem. Hominis enim justitia juxta eos est ipsa justitia Christi per fidem apprehensa ac nobis extrinsece imputata. Cum igitur hæc justitia Christi sit prorsus immutabilis et incapax augmenti vel decrementi, fit ut eadem ratione in omnibus justificatis inveniatur. *Omnes Christiani,* clamat blasphemans Lutherus,

(1) Cf. De Jaegher, *o. c.,* n. 103-105 ; *Collat. Brug.,* t. III, p. 66 ss., t. XIV, p. 257-265 ; MATTIUSSI, *Logica* (pro manuscripto), n. 133 ss.

æque magni sumus sicut mater Dei, et æque sancti sicut ipsa (1). Consequenter etiam docent, justitiam per bona opera non conservari nec augeri. Bona opera sunt tantum signa acceptæ justificationis, nil vero conferunt ad eam augendam et salutem promerendam ; sicuti et opera mala propter fidem non imputantur ad pœnam et saluti non nocent » (2). Inde Protestantes justificationem habebant ut independentem prorsus a sanctitate hominis, quæ consistit in m*orali perfectione,* nempe in rectitudine voluntatis circa ultimum finem et quæ importat observationem mandatorum Dei ac exercitium virtutum in bonis operibus. Justitia extrinsece imputata potest, secundum Protestantes, simul stare cum peccatis gravibus (3).

207. Doctrina catholica.

Doctrina vero *catholica* hoc negat, et statuit gratiam sanctificantem et consequenter justitiam esse homini vere intrinsecam, proinde non necessario esse æqualem in omnibus, sed esse posse inæqualem in singulis justis, etiam in eodem justo pro diversis temporibus. Infunditur enim *secundum mensuram quam Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult et secundum propriam cujusque dispositionem et cooperationem :* hæc habet concilium Tridentinum, uti vidimus suprà n. 98 (4).

Deinde idem concilium docet posse per bona opera intrinsece augeri justitiam: « Sic ergo justificati, *et amici Dei* ac *domestici* facti, *euntes de virtute in virtutem renovantur,* ut Apostolus inquit, *de die in diem :* hoc est, *mortificando membra carnis* suæ, et *exhibendo ea arma justitiæ* in sanctificationem, per observationem mandatorum Dei et Ecclesiæ, in ipsa justitia per Christi gratiam accepta, cooperante fide bonis operibus, *crescunt* atque *magis justificantur,* sicut scriptum est : *Qui justus est, justificetur adhuc.* Et iterum : *Ne verearis usque ad mortem justificari.* Et rursus : *Videtis, quoniam ex operibus justificatur homo et non ex fide tantum.* Hoc vero justitiæ incrementum petit sancta Ecclesia, cum orat : *da nobis, Domine, fidei, spei et charitatis augmentum* » (5).

« Si quis dixerit, justitiam acceptam non conservari atque etiam augeri coram Deo per bona opera : sed opera ipsa fructus solummodo et signa esse justificationis adeptæ, non autem ipsius augendæ causam : A. S. » (6).

---

(1) Sermo de Nativitate B. Mariæ.
(2) JUNGMANN, *o. c.*, n. 315.
(3) Cf. HEFNER, *o. c.*, p. 329 ss. Protestantium errores de justificatione absque operibus refutavit Baius, sed ipse alium propugnavit errorem docendo justitiam formaliter consistere in observatione mandatorum et non in supernaturali gratia infusa animae. Cf. *Collat. Brug.*, t. XVIII, p. 134 ss.
(4) Cf. S. THOMAS, *Sum. Theol.*, 1-2, q. 112, a. 4.
(5) Sess. VI, c. 10, *Enchir.*, n. 803.
(6) Sess. VI, can. 24, *Enchir.*, n. 834

« Si quis dixerit, hominis justificati bona opera ita esse tota Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita, aut ipsum justificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam et Jesu Christi meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, non vere mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, et ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum; A. S. » (1).

PROPOSITIO PRIMA. *Gratia sanctificans augetur per bona opera supernaturalia, tamquam per causam meritoriam.*

Illa propositio est *de fide,* utpote definita in concilio Tridentino. Utrum autem sit de fide *divina* an de fide tantum *ecclesiastica* non decernimus.

208. Prænotanda circa causam, modum et essentiam augmenti.

Prænotanda. 1. Quum solus Deus sit causa efficiens principalis et perfectiva gratiæ, ipse potest aliis majorem, minorem aliis gradum doni supernaturalis tribuere, etiam absque præviis hominis operibus meritoriis : et ex hoc jam constat inæqualem esse posse gratiam. Nemo inter Catholicos dubitat quominus Beatæ Mariæ Virgini, Dei Matri, in sua conceptione infusa fuerint gratia sanctificans et dona supernaturalia illi connexa, in gradu intensiori quam aliis concessa fuerint creaturis.

2. Duobus deinde modis fieri potest gratiæ augmentum : scilicet *ex opere operato,* et *ex opere operantis.* Augmentum ex opere operato pertinet ad effectus sacramentorum, qua de re agitur in alio tractatu. Inde hîc supponitur sacramenta a Christo instituta, quando ab homine jam justificato recipiuntur, illius gratiam augere. Nunc specialiter consideramus inæqualitatem quæ provenit ex diverso augmento gratiæ ex opere operantis nempe per ipsa opera bona justi.

Hîc etiam supponitur gratiam et dona supernaturalia per se infusa augeri semper *simul* (2).

3. Quomodo intelligendum est *augmentum* gratiæ sanctificantis in anima ?

Gratia sanctificans nequit dici augeri quatenus se extendat ad alia et alia objecta, sicut aliquis habitus naturaliter acquisitus augeri potest : ita augetur scientia geometriæ in eo qui de novo incipit scire aliqua geometricalia quæ prius nesciebat. Sed gratia sanctificans, etiam minima, se extendit ad omnes omnino actus qui supernaturaliter fieri possunt : quia est principium remotum seu radicale totius vitæ supernaturalis.

Remanet ut gratia augeatur quatenus hæc fiat intensior in subjecto, et proinde ipse habitus fiat *essentialiter* perfectior.

---

(1) Sess. VI, can. 32, *Enchir.*, n. 842.
(2) Cf. MAZZELLA, *De virtutibus infusis,* n. 133 ss.

In quo consistat intrinsecum augmentum gratiæ et virtutis infusæ disputant theologi (1): alii censent hoc fieri per *additionem* entitatis ad entitatem, seu gradus ad gradum : quasi Deus entitati gratiæ, jam existenti in anima, adjungeret novam entitatem ejusdem speciei. Quomodo hæc sententia componi possit cum *simplicitate* habitus immaterialis non videmus. Alii censent habitum supernaturalem augeri per majorem *radicationem* in ipso subjecto, per hoc nempe quod entitas gratiæ magis penetret animam.

Hæc est sententia S. Thomæ, qui explicite negat charitatem augeri *per additionem* (2), et sic loquitur: « Dicendum quod infusio charitatis importat quamdam mutationem secundum habere charitatem et non habere; et ideo oportet quod aliquid adveniat quod prius non infuit. Sed *augmentatio* charitatis importat mutationem secundum magis et minus ; et ideo oportet quod aliquid insit quod prius non infuerit, sed quod magis insit quod prius minus inerat. Et hoc est quod Deus facit charitatem augendo, scilicet quod magis insit et quod perfectius similitudo Spiritus sancti participetur in anima » (3).

Sed bene notemus hæc S. Thomæ verba : « Ex hoc quod charitas magis firmatur et radicatur in subjecto, sequitur ipsam augeri *essentialiter*... » (4). Et alibi: « Quidam dixerunt charitatem non augeri secundum suam essentiam, sed solum secundum radicationem in subjecto, vel secundum fervorem. Sed hi propriam vocem ignoraverunt. Cum enim sit accidens, ejus esse est inesse. Unde nihil aliud est ipsam *secundum essentiam augeri* quam eam *magis inesse subjecto ;* quod est eam magis in subjecto radicari » (5).

Et de omnibus virtutibus infusis dicit S. Thomas « Virtutes intenduntur *in quantum subjectum reducitur magis in actum ipsarum* per actionem agentis causantis eas. Unde sicut virtutes acquisitae augentur ex actibus per quos causantur, ita virtutes infusæ augentur per actionem Dei a quo causantur » (6).

209. Gratiam augeri demonstratur ; 1) ex S. Scriptura ;

Demonstratur.

A. EX S. SCRIPTURA.

« Deponentes igitur omnem malitiam, et omnem dolum, et simulationes et invidias, et omnes detractiones sicut modo geniti infantes, rationabile, sine dolo lac concupiscite : ut in eo crescatis in salutem » (7). Hortatur Petrus homines conversos a statu peccati ad Christum, ut peccata relinquentes, concupiscant cibum spiritualem quo crescant in vita spirituali ac supernaturali sicut modo geniti infantes cibo naturali crescunt in vita naturali. Sed vita supernaturalis habetur imprimis per gratiam sanctificantem : hæc ergo potest augeri. *Exhortando* autem ut crescant innuit Petrus vitæ salutaris augmentum dependere ab operibus bonis.

---

(1) Cf. MAZZELLA, *o. c.*, n. 132.
(2) 2-2, q. 24, a. 5. Cf. *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 169 ss.
(3) *Ibid.*, ad 3.
(4) In I, dist. 17, q. 2, a. 1.
(5) 2-2, q. 24, a 4, ad 3. Cf. CAPREOLUS, in I, dist. 17, q. 2 (t. II. p. 94 ss).
(6) *De virtutibus*, a. 11.
(7) 1 Petr., II, 1-2.

Ad idem augmentum hortatur etiam dicendo : « Crescite vero in gratia (h. e. dono supernaturali interno) et in cognitione Domini nostri Jesu Christi » (1).

Hæc doctrina de augmento internæ et infusæ a Deo justificationis gratiae per opera bona exponitur etiam a S. Paulo. « Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos... ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi: donec occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis fifii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi » (2). Dedit ergo varios rectores Christus eo fine ut christiani ad spiritualem perfectionem ducerentur et ut pervenirent omnes ad statum viri in perfectione maturi, in quo plenitudinem possiderent donorum Christi in hac vita.

Hortatur porro ad hoc incrementum : « Veritatem autem facientes in charitate crescamus in illo per omnia qui est caput Christus : ex quo totum corpus compactum et connexum per omnem junctu-ram subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri, augmentum corporis facit in ædificationem suî in charitate » (3). Sensus est: Ut veram fidei doctrinam constanter profitentes, in *charitate crescamus* sub omni ratione, usque ad similitudinem cum Christo qui est caput nostrum. Non tantum singula membra vivere debent per virtutem Christi (capitis) sed totum Ecclesiæ corpus... *cooperante* pro sua mensura et *crescente unoquoque membro,* quod augmentum spirituale sui accipiat usque in perfectum ædificium. Istud vero efficitur per charitatem quæ est principium vitæ a Christo communicatum (4). Tandem ut possint Christiani in perfectione crescere, debent *deponere veterem hominem qui corrumpitur secundum desideria erroris, et renovari spiritu mentis suæ et induere novum hominem qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis* (5).

Ille novus homo *creatus in justitia et sanctitate* est homo ornatus gratia justificante et sanctificante. In Christo aliquis fit *nova creatura* (6) « per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde per Jesum Christum salvatorem nostrum, ut justificati gratia ipsius, hæredes simus secundum spem vitæ æternæ » (7). Ergo christianus crescere debet secundum internam gratiam quæ est principium justitiæ et sanctitatis.

Homini *operibus bonis* semper progrediendum esse in perfectione

(1) *2 Petr.*, III, 18.
(2) *Ephes.*, IV, 11-13.
(3) *Ibid.*, 15-16.
(4) Ita fere VAN STEENKISTE in h. l.
(5) *Ephes.*, IV, 20-24.
(6) Cf. *2 Cor.*, V, 17; *Gal.*, VI 15.
(7) Tit., III, 5-7.

morali docet Apostolus etiam *Phil.*, III, 12-15 ; 1 *Thess.*, IV, 1-4.

Ex illis S. Scripturæ testimoniis constat justificationis augmentum fieri *per bona opera ;* non autem explicite dicitur *qua formali ratione* illa opera bona obtineant gratiæ augmentum. Attamen sensus obvius est ut sint vere *causa :* non enim plene diceremur crescere in charitate, in gratia, *per opera bona,* si illa non essent causa illius augmenti. Jamvero non possunt esse causa efficiens physica, quum solus Deus efficiat et infundat subjecto gratiam ; inde remanet ut sint causa *meritoria,* quod explicabitur in argumento sequenti (1). Praeterea in textu 2 *Petr.*, III, 18, confertur augmentum vitae supernaturalis cum augmento vitae naturalis et docetur: sicut vita naturalis augetur operibus vitalibus, v. gr. nutritione, ita vita supernaturalis augetur operibus vitalibus supernaturalibus. Jamvero praecipua relatio inter opera vitalia naturalia et augmentum vitae naturalis est causalitas, inde a pari relatio quae intercedit inter opera salutaria et augmentum vitae supernaturalis est causalitas. Tandem in omnibus textibus ubi agitur de augmento sanctitatis, illud augmentum exhibetur ut omnino dependens ab actibus, ita ut si nesciremus gratiam non nisi per infusionem a Deo haberi, concluderemus augmentum gratiae non contingere nisi per ipsum exercitium actuum sicut contingit augmentum virtutum seu habituum naturalium.

Confirmatur thesis ex dictis Patrum, v. gr. S. Augustini, Epist. CLXXXVII ad Dardonum, c. IV, n. 17, P. L. t. 33, col. 838; S, Leonis M. Serm. de Passione Domini II, in fine.

Thesis de augmento gratiae confirmatur etiam ex precibus Ecclesiae: « Sumptis mysteriis, quaesumus Domine, ut cum frequentatione mysterii crescat nostrae salutis effectus » *Postc. Dom. IV Adventus.*

« Omnipotens sempiterne Deus, da nobis fidei, spei et charitatis augmentum... » *Or. Dom. XIII post. Pentec.*

B. EX RATIONE THEOLOGICA.

210. 2) ex ratione theologica.

Hæc desumitur ex analogia quæ viget inter ordinem naturæ et ordinem supernaturalem. Et sane, omnis vivens creatus perficitur in vita sua operando vitaliter ; ergo justus operando vitaliter ac supernaturaliter perficitur et ipse in vita supernaturali. Hujus autem vitæ principium primum est gratia sanctificans, quippe quæ est quasi nova natura (cf. suprà n. 127) ; ergo justus operando supernaturaliter perficietur secundum ipsum principium vitæ supernaturalis. Sed opera justi nequeunt esse causa physica efficiens augmentum ; ergo erunt causa *meritoria.*

« Per gratiam vitæ supernaturalis principium obtinemus, cujus finis est vita æterna ; sed proprium est viventis sese perficere per actus vitæ et per eos tendere ad ultimam perfectionem ; ergo hominem necesse est perfici per actus virtutis, qui ex gratia procedunt, in ipsa vita spirituali,

(1) De natura causæ meritoriæ, cf. BILLOT, *De Ecclesiæ Sacramentis,* T. I, p. 49.

et ita perfectius attingere hujus vitæ terminum. Sed in vita naturali ejusmodi perfectio habetur per habitus acquisitos ; in vita autem supernaturali, præcise quia ejus principium est supernaturale, nequit perfici vita per habitus acquisitos : ergo necesse est a Deo perfici per habitus infusos ; sed homo obtinet vitam supernaturalem in quantum anima per gratiam elevatur ad esse supernaturale, et consequenter ejus potentiæ per virtutes infusas constituuntur principium vitæ supernaturalis : ergo ejusmodi augmentum vitae spiritualis nihil aliud esse potest quam intentio virtutum infusarum, cui necessario respondet augmentum gratiæ in animæ essentia. Siquidem anima per gratiam est principium primum (quasi nova natura) virtutum supernaturalium, quæ tribuunt... ipsum *posse operari* supernaturaliter, in tantum proinde augetur potentia ista supernaturalis in quantum anima est magis grata. Actibus igitur virtutum, qui charitate formantur, respondet augmentum gratiæ et virtutum in hac vita et consequenter gloriæ ; sed bonum quod homo obtinet ratione suæ liberæ operationis *mereri* (sensu passivo) dicitur; ergo justus per opera virtutum meretur gratiæ et gloriæ augmentum » (1).

PROPOSITIO SECUNDA. *Probabilior nobis videtur veterum Scholasticorum sententia asserens tantum opera bona ferventiora, statim seu actu obtinere augmentum habitus infusi gratiæ ; omnia tamen opera bona supernaturalia, quamtumvis remissa, recte dici meritoria augmenti gratiæ et gloriæ.*

Status quæstionis.

211. Objectum controversiæ.

Celebris est inter theologos controversia utrum per singulos actus supernaturales, quamtumvis remissos (2) (et supposito alias ad meritum conditiones requisitas verificari), homo *statim* obtineat augmentum habitus gratiæ et aliarum virtutum per se infusarum : supponimus enim nunc illa omnia semper simul augeri.

Ut status quæstionis clarius innotescat indicabimus breviter præcipuas sententias oppositas nostræ propositioni demonstrandæ ; deinde S. Thomæ doctrinam exponemus.

Quidam theologi censent omnes actus supernaturales quamtumvis remissos, *exigere* actuale augmentum gratiæ, illudque semper *statim* tribui; ita docent *Suarez* (3), *Ripalda* (4), *Mazzella* (5), *Pesch* (6).

Alii vero, attendentes non solum ad rationem meriti, sed etiam et præcipue ad rationem *dispositionis,* dicunt augmentum conferri quando homo per actum ferventiorem ad illud erit dispositus ; sed deinde variis modis explicant tum titulum quo illud augmentum

---

(1) PIGNATARO, *o. c.*, p. 486.

(2) Actus *remissi* sunt actus minus intensi quam habitus a quo procedunt, actus scilicet quorum intrinseca virtus activa est minor quam potentia operandi adæquata (h. e. facultas cum habitu) quae homini inest. Actus *ferventiores* sunt actus magis intensi quam habitus a quo procedunt.

(3) *De Gratia,* L. IX, cap. 3, n. 15, n. 23; L. XII, cap. 8, n. 4.

(4) *O. c.*, Disp. XC, sect. 7.

(5) *De Virtutibus infusis,* n. 164 ss.

(6) O. c., T. VIII (*De virtutibus*) n. 79 s.

exigitur, tum ipsum gradum augmenti, tum ipsam rationem dispositionis ad augmentum. Longius esset diversas illas sententias hîc referre omnes. — Non pauci eorum qui dicuntur Thomistæ docent augmentum gratiæ actibus remissis proprie debitum, non dari in hac vita, etiamsi homo intensiorem actum virtutis supernaturalis eliciat, sed semper differri usque ad ingressum gloriæ, seu usque ad *primum instans glorificationis,* in quo homo prorumpit in actum ferventissimum charitatis, qui non habet rationem meriti, sed tantum dispositionis ad recipiendum augmentum debitum actibus remissis in via elicitis. Ita censent *Gonet* (1), *Billuart* (2). Nobis videtur dicendum quod si homo in hac vita non facit actus ferventiores nunquam habebit augmentum gratiæ. Inde adhæremus sententiæ quam Em. Card. Billot sic proponit : « Augmentum virtutum infusarum (et gratiæ) pro quanto dependet a *merito* seu *opere operantis,* proportionaliter imitatur augmentum acquisitarum, et viam sequitur parallelam. Sentiunt enim Scholastici quod præscindendo ab opere operato in sacramentis, idem requiritur ex parte hominis ac si augmentum ab exercitio operum efficienter dependeret : quatenus scilicet, sicut actus remissus non est efficiens causa incrementi habitus in acquisitis, ita nec in infusis, utpote utrobique effectui improportionatus, illic quidem in ratione causæ efficientis, hîc vero in ratione dispositionis. Et non obstat quod in habente gratiam actus etiam remissus sit meritorius, quia meritum [sc. in actu secundo] nunquam est de aliqua re nisi sub conditione dispositionis ad ejus consecutionem requisitæ » (3).

212. S. Thomæ doctrina exponitur.

PROPOSITIO EXPLICATUR.

Hanc fundamentalem opinionem per partes nunc declarabimus ipsis *S. Thomæ* verbis.

1. Loquendo de *habitibus in genere* docet S. Doctor non quolibet actu elicito ab habitu hunc augeri, sed actu *superexcedente* habitum :

« Similes actus similes habitus causant... Similitudo autem et dissimilitudo non solum attenditur secundum qualitatem eamdem vel diversam, sed etiam secundum eumdem vel diversum participationis modum. Est enim dissimile non solum nigrum albo, sed etiam minus album magis albo ; nam etiam motus fit a minus albo in magis album, tamquam ex opposito in oppositum... Quia vero usus habituum in voluntate hominis consistit, ut ex suprà dictis patet (Q. 49, a. 3 ; Q. 1, a. 5), sicut contingit quod aliquis habens habitum non utitur illo, vel etiam agit actum contrarium ; ita etiam potest contingere quod utitur habitu secundum actum non respondentem proportionaliter intensioni habitus. Si igitur intensio

(1) *Clypeus Theologiæ thomisticæ,* T. IV, Tract. 10, Disp. 10, art. 8, n. 150.
(2) *Tractatus de Charitate, dissert,* 2, a. 3.
(3) BILLLOT, *De virtutibus infusis,* p. 44. Cf. *Collat. Brug.,* t. XIII, p. 173 ss. Eamdem sententiam propugnat Em. Card. Billot, *De Gratia,* Prati, 1912, p. 278 ss.

actus proportionaliter æquetur intensioni habitus, vel etiam superexcedat, quilibet actus vel auget habitum, vel disponit ad augmentum ipsius, ut loquamur de augmento habituum ad similitudem augmenti animalis. Non enim quodlibet alimentum assumptum actu auget animal..., sed multiplicato alimento tandem fit augmentum ; ita etiam multiplicatis actibus. Si vero intensio actus proportionaliter deficiat ab intensione habitus, talis actus non disponit ad augmentum habitus, sed magis ad diminutionem ipsius » (1).

2. De *charitatis* augmento agens S. Thomas, a) imprimis in actu distinguit rationem *meriti* et rationem *dispositionis :*

« Non eodem modo se habet actus informatus caritate ad augmentum caritatis, et actus præcedens caritatem ad habendam caritatem. Actus enim qui est ex caritate, ordinatur ad augmentum caritatis et per modum dispositionis et per modum meriti ; sed actus præcedens caritatem ordinatur ad consequendam caritatem solum per modum dispositionis, ut supra dictum est (art. antec.), non per modum meriti : quia ante caritatem nullum potest esse meritum. Neuter autem actus ordinatur ad habendam vel augmentandam caritatem per modum alicujus efficientiæ, sicut actus nostri ad habendum habitus acquisitos » (2)

---

(1) 1-2, q. 52, a. 3.

Hanc rationem, secundum quam actus augeant, vel non, habitum, bene explicat *Cajetanus :*

« Ut tamen ex sensibilibus doctrina fiat, scito quod, quia unumquodque, dum patitur, dissimile activo est, passum autem est simile, ut dicitur in II *de anima :* et propterea calidi existentes non sentimus calidum extrinsecum nisi excellat nostrum esse calidum : ideo in anima nostra, cum potentia ad esse mansuetum deducenda est ad actum, oportet in principio dissimile esse mansuetudinis rationi seu activo. Cum autem in aliquid mansuetudinis deducta est, puta in primum gradum, postea per actus similes præcedentibus sic quod non procedunt a majori ratione seu activo mansuetudinis quam unius gradus, potentia animæ ad esse mansuetum non patitur ab eis, utpote a similibus. Sed cum actus advenit a majori ratione seu activo mansuetudinis, tunc, utpote dissimilis, patitur, et passa fit similis, dum fit in actu secundi gradus, et sic deinceps. Et quod diximus de mansuetudinis habitu simile est in aliis.

Et ex hoc patet quanta sit differentia inter actus alicujus habitus, puta mansuetudinis, quoad vim intensivam ejusdem. Nam actus remissi quodammodo disponunt ad augmentum et quodammodo ad diminutionem. Inquantum enim exercent habitum illum, utpote illi similes, licet non perfecte, firmant aut firmum conservant habitum. Inquantum vero deficiunt a similitudine perfectionis habitus, inclinant ad imperfectiorem gradum habitus, quod est disponere ad diminutionem : simile enim ad simile inclinat. — Actus autem *adæquati* habitui qui habetur *disponunt ad augmentum* habitus : dum et illum firmant aut conservant in suæ perfectionis gradu, utpote perfecte similes perfectioni habitus ; et animæ potentia per hoc propinquior redditur ad ulterioris perfectionis gradum ejusdem habitus. — Actus vero *excedentes* perfectionem habitus, virtute activi principii ipsius habitus excessum habentes, *augent* seu intendunt ipsum *habitum*. Tunc enim potentia animæ, quæ dissimilis erat actu mansuetudini in tali gradu, patitur ab illius activo per actus ab illo activo provenientes secundum quod excedit passivum adhuc non plene assimilatum sibi, et fit ei similior.

Ex his autem habes quomodo sit vel non sit inter naturalium et habitualium intensionem eadem ratio. Et quod actus eliciti habitus, *ut sic,* non augent habitum ; sed aliqui disponunt ad diminutionem, et aliqui ad augmentum. Et quod non est eadem ratio de omnibus actibus similibus ex quibus fieri dicitur habitus. Et quod illi soli actus similes augent qui ab activo secundum id quo excellit similitudinem passivi, ad eum procedunt : hi siquidem actus, ut sic, sunt dissimiles in principio augmenti, et similes in fine ejusdem ipsi passo et illius habitui: et sic simile simili intenditur et augetur. Patet demum ex his sensus articuli illius in prima secundæ et dictorum in eo ». In 2-2, q. 24, a. 6.

(2) In I, Dist. XVII, Q. II, a, 3; cf. *De Malo,* Q. VII. a. 2.

b) Docet actus *remissos,* h. e. intensitate inferiores virtuti infusæ esse *remotam* tantum dispositionem ad augmentum :

« Quando autem non secundum totam virtutem procedit actus ille tunc est ut dispositio remota et poterit tunc per plures actus pervenire ad augmentum caritatis, non tamen de necessitate : quia homo, quantumcumque sit dispositus potest non agere secundum rationem dispositionis illius: quod non contingit in dispositionibus non voluntariis » (1)

c) Gradus infusæ charitatis proportionatur ipsi intensitati actus qui est causa ejus infusionis.

» Ad hoc quod aliqua perfectio introducatur duo requiruntur. Unum ex parte introducentis, ut sua operatio commensuretur secundum æqualitatem perfectioni introducendæ... Aliud ex parte recipientis, ut dispositio sua proportionetur eodem modo perfectioni inducendæ... Ulterius in illis perfectionibus in quibus per actum animæ non tantum est dispositio, sed etiam ipsa perfectio (ad ipsum actum ordinatur virtus) exigitur quod actus ipsius animæ sit proportionatus et æqualis in virtute ipsi perfectioni introducendæ » (2).

Hoc principium summi est momenti. Uti suprà, n. 183 s., exposuimus, videtur actus contritionis perfectæ, quæ est ultima dispositio ad infusionem gratiæ et charitatis, elici ipso habitu infuso charitatis : ille habitus proinde necessario proportionatur ipsi actui, qui est ultima ad illum dispositio. Pariter dicendum de *augmento* gratiæ et charitatis : actus ferventior est ultima dispositio ad augmentum, et illud augmentum datur ipso instanti quo elicitur ille actus, non postea, et *per hoc connaturaliter* elicitur ille actus ferventior (3).

d) Homo variis actibus remissis præparari potest ad charitatis augmentum, quod tunc conceditur *quando homo prorumpit in actum ferventiorem :*

« Augmentum spirituale caritatis quodammodo simile est augmento corporali. Augmentum autem corporale in animalibus et plantis non est

---

(1) Id. in I, Dist. VII, Q. II, a. 3.

(2) *Ibid.,* ad 4.

(3) Eadem ratio valet si admittas actum charitatis perfectæ, qui est ultima dispositio ad justificationem, elici gratia actuali : illi actui erit proportionata virtus infundenda. — Idem principium statuit S. Thomas in sua responsione ad quæstionem : « *utrum post pœnitentiam resurgat homo in æquali virtute.* — Respondeo dicendum quod, sicut dictum est, motus liberi arbitrii, qui est in justificatione impii, est ultima dispositio ad gratiam, unde *in eodem instanti* est gratiæ infusio cum prædicto motu liberi arbitrii... in quo quidem motu comprehenditur actus pœnitentiæ... Manifestum est autem quod formæ quæ possunt recipere *magis* et *minus,* intenduntur et remittuntur *secundum diversam dispositionem subjecti,* ut in secunda parte habitum est. Et inde est quod secundum quod motus liberi arbitrii in pœnitentia est intensior vel remissior, secundum hoc pœnitens consequitur majorem vel minorem gratiam. Contingit autem intentionem motus pœnitentis quandoque proportionatam esse majori gratiæ quam fuerit illa a qua ceciderat per peccatum, quandoque æquali, quandoque vero minori. Et ideo pœnitens quandoque resurgit in majori gratia quam prius habuerat, quandoque autem in æquali, quandoque etiam in minori; et eadem est ratio de virtutibus quæ ex gratia consequuntur ». *Sum. Theol.,* 3, q. 89, a. 2. — Idem docet S. BONAVENTURA, in IV, Dist. XIV, P. II, a. 2, Q. I, (t. IV, p, 336). Cf. BILLOT, *De Ecclesiæ Sacramentis.* T. II, p. 98 ss.

motus continuus, ita scil. quod, si aliquid tantum augetur in tanto tempore, necesse sit quod proportionaliter in qualibet parte illius temporis aliquid augeatur, sicut contingit in motu locali : sed per aliquid tempus natura operatur disponens ad augmentum et nihil augens actu, et postmodum producit in effectum id ad quod disposuerat, augendo animal vel plantam in actu. Ita etiam non quolibet actu caritatis actu augetur : sed quilibet actus caritatis disponit ad caritatis augmentum, in quantum ex uno actu caritatis homo redditur promptior iterum ad agendum secundum caritatem ; et habilitate crescente, homo *prorumpit in actum ferventiorem* dilectionis, quo conetur ad caritatis profectum ; et *tunc caritas augetur in actu* » (1). « Quilibet actus caritatis meretur vitam æternam non quidem statim exhibendam, sed suo tempore. Similiter etiam quilibet actus caritatis meretur caritatis augmentum : non tamen statim augetur, sed quando *aliquis conatur ad* hujusmodi *augmentum* » (2).

3. Tandem de *gratiæ sanctificantis* augmento idem docet Angelicus :

Quolibet actu meritorio meretur homo augmentum gratiæ sicut et gratiæ consummationem, quæ est vita æterna. Sed sicut vita aeterna non statim redditur, sed suo tempore, ita nec gratia statim augetur, sed suo tempore, cum scilicet aliquis sufficienter fuerit dispositus ad gratiæ augmentum » (3).

213, Propositionis prima pars demonstratur.

Demonstratur 1ª Pars. Ut gratia sanctificans actu augeatur a Deo in aliquo subjecto, requiritur in illo dispositio ultima proportionata ad hoc augmentum ; atqui solus actus ferventior est illa dispositio ; ergo actu ferventiori tantum acquiritur gratiæ augmentum.

Major explicatur. Gratia sanctificans est habitus inhærens animæ et principium primum seu remotum vitæ supernaturalis. Porro de habitibus supernaturalibus, quantum ad ea quæ in Revelatione non explicantur, judicare debemus secundum proportionem ad naturalia : hoc enim postulant tum ipsæ rerum essentiæ, tum etiam divinæ Providentiæ ordo, quum Deus rerum supernaturalium ordinem suaviter instituat secundum analogiam ad ordinem naturalem (4).

Jamvero ubi forma prærequirit in subjecto dispositiones ad

---

(1) 2-2, q. 24, a. 6. — Quidam huic loco opponunt alium in quo S. Thomas dicit : « Quando actus caritatis procedit ex tota virtute habentis et quantum ad virtutem naturæ et quantum ad virtutem habitus infusi, tunc unus actus disponit, et meretur augmentum caritatis, ut statim fiat ». In I, dist. XVII, Q. II, a. 3. Inde concludunt : secundum S. Thomam, actus qui esset *æqualis* habitui jam possesso obtinet statim augmentum gratiæ. Ast imprimis si hoc dixisset S. Thomas in commentario in Librum Sententiarum, certe aliter et clare loquitur in Summa theologica. Præterea, ut videtur, dici potest quod S. Thomas describendo actum procedentem a tota virtute hominis, a toto ejus conatu, intendit illum *actum* revera esse perfectiorem habitui antea possesso. « Actus elicitus ab habitu inchoato et subjectum disponit præparans ipsum ad perfectius sortiendum habitum, et perfectior est cum ex tota virtute habitus procedit, ita ut ad perfectionem majorem deducere possit habitum » CAJETANUS in 1-2, q. 52, a. 3, cf. in q. 114, a. 8.

(2) 2-2, q. 24, a. 6 ad 1.

(3) 1-2, q. 114, a. 8 ad 3.

(4) Cf. SYLVIUS in 2-2, q. 24. a. 6, conclus. 2a.

ipsam,tunc forma infunditur secundum mensuram illarum dispositionum; præterea hæc forma non *connaturaliter* augetur, nisi quando datur in subjecto ultima dispositio proportionata ad hoc augmentum.

In adulto *gratia sanctificans* prærequirit dispositiones ad ipsam: absurdum foret adultum recipere principium primum vitæ supernaturalis et omnes habitus annexos, nisi actu sese convertat ad Deum, tamquam ad finem supernaturalem. Illi dispositioni proportionatur gratia in sua infusione, ut per se patet ex ratione tum dispositionis ultimæ, tum formæ infundendæ subjecto. — Hoc autem solidissime confirmatur ex doctrina *concilii Tridentini* quod docet : « Hujus justificationis.... unica formalis causa est justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit : qua videlicet ab eo donati renovamur spiritu mentis nostræ, et non modo reputamur, sed vere justi nominamur et sumus, justitiam in nobis recipientes, unusquisque suam secundum mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult, et *secundum propriam uniuscujusque dispositionem et cooperationem* » (1). Sed in casu quo augmentum gratiae dependet ab actu subjecti in quo gratia est augenda, cur mensura gratiæ dependeret a dispositione et cooperatione adulti, nisi quia hæc habetur ut *ultima dispositio ad formam,* cui dispositioni, ex natura rei, respondet necessario gradus perfectionis formæ infundendæ ?

Tandem si adulti cooperatio determinat gradum perfectionis infundendæ gratiæ, illa etiam determinat mensuram augendæ gratiæ, quum secus subjectum non esset dispositum ad intensionem illius formæ in seipso.

Minor declaratur. Virtutes infusæ sunt quidam operativi habitus (2), accidentia nempe in animæ potentiis infusa, quæ *intrinsece* potentias *inclinant* ad supernaturaliter agendum : si homo habitibus illis non utitur secundum gradum intensitatis quo illos jam habet, operatio ejus nequit esse ultima dispositio ad augmentum habitus ; imo tunc solum aderit ultima ad augmentum dispositio, quando elicitur actus qui, ut actus, est intensior gradu præcedenti illius habitus : ad hunc eliciendum actum *connaturaliter* augetur virtus (3).

Quod *confirmatur* sequenti consideratione. Supponamus ho-

---

(1) *Enchir.*, n. 799.

(2) Hoc infrà demonstrabimus.

(3) Cf. PIGNATARO, *o. c.*, p. 488 ss. — Argumento, quod exposuimus, demonstratur necessitas *dispositionis* in subjecto ut accipiat augmentum gratiae, adeoque necessitas actus *intensioris* ut augeatur habitus infusus a quo elicitur actus: haec conclusio remanet firma etiam abstractione facta a quaestione : *quanam* gratia eliciàtur actus intensior, nempe utrum eliciatur gratia quadam actuali et habitu nondum aucto, an ipso habitu aucto. V. supra, n. 186 s.

minem gratia sanctificante donatum, qui magis ac magis tepiditati indulgens, actus virtutum intensos non ponit sed peccata venialia multiplicat, licet quandoque aliquem actum bonum remissum faciat. Si singulis actibus bonis, quantumvis remissis, obtineretur augmentum gratiæ et virtutum, ille homo fieret magis ac magis *deiformis,* ejusque operativæ potentiæ, intellectus et voluntas, magis ac magis inclinarentur *intrinsece* ad actus supernaturales, et tamen illius hominis moralis perfectio continuo minueretur ac ipse realiter magis ac magis disponeretur ad mortale peccatum. Haberetur oppositio inter opera moralia hominis et ejus operativos habitus ; augmentum gratiæ et virtutum, in hoc casu, esset innaturale, imo violentum, quod a Dei operibus alienum est prorsus.

Nota. « Habitus charitatis non augetur secundum totam latitudinem actus, sed tantum secundum excessum ipsius supra habitum. Ut si quis habens habitum charitatis ut sex, operetur actum intensum ut octo, non recipiet octo gradus augmenti qui cum præcedentibus facerent 14 ; sed solos duos, ut ejus habitus jam sit intensus ad octo gradus. Causa enim naturalis non auget formam naturalem nisi secundum eos gradus quibus illam superat : ut si calido ut quinque approximetur calidum ut sex, istud non intenderet calorem prioris nisi ad unum gradum : ergo idem videtur dicendum de intensione formarum supernaturalium, naturalis *efficienter* intendat formam naturalem. non similiter autem actus meritorii intendant habitum charitatis ; tamen sicut in infusione habitus servatur proportio *dispositionum* ad formam, ita dicenda est servari in augmento » (1).

Adnotatio. In receptione sacramenti, gratia producitur *ex opere operato,* actus humani, qui requiruntur ad validitatem sacramenti, non habent rationem *meriti* quoad gratiam ab ipso sacramento producendam, sed habent rationem *dispositionis,* signanter quando agitur de ipsa infusione gratiae habitualis ; ideoque quando gratia sanctificans per sacramentum producitur in aliquo non habente illam, haec gratia, quantum ad gradum proportionatur dispositionibus subjecti (v. suprà, p. 178, nota 3a).

Quando autem sermo est de sacramento *Eucharistiae,* quod per se, non ad infundendam gratiam ordinatur, sed ad illam augendum, tunc *ex ipso opere operato* producitur semper aliquod augmentum gratiae, quum nulla alia dispositio per se requiratur praeter statum amicitiae cum Deo ; in subjecti autem in quo sunt dispositiones, v. gr. in adulto qui actibus deliberatis sese praeparat ad Eucharistiam recipiendam, augmentum gratiae proportionatur illis dispositionibus. L. BILLOT, *De Sacramentis,* t. I, p. 499 ss.

(1) SYLVIUS, *o. c.*, l. c., conclus. 3.

Idem videtur dicendum de omnibus sacramentis quae recipiuntur ab homine jam constituto in statu gratiae. Cf. *ibid,* p. 87 ss, et p. 492.

214. Propositionis secunda pars demonstratur.

Demonstratur 2ª Pars. Omnis actus liber, bonus, supernaturalis, est opus mercede dignum, nempe gloria æterna vel ejus augmento, et consequenter gratiæ augmento, quia gloria æterna semper proportionatur gradui gratiæ. Hoc tamen aliter verificatur pro actibus ferventioribus, aliter pro actibus remissis.

De ferventioribus, jam sufficienter dictum est cur statim obtineant augmentum gratiæ.

Per actus vero remissos, quatenus sunt actus, virtus potentiæ circa objectum aliqua determinata ratione exercetur ; ideoque actus licet remissus est ex sua natura quædam dispositio *remota* ad intensionem habitus in quantum subsequens actus invenit potentiam magis idoneam ad agendum et sic repetitio actuum remissorum melior est quam carentia omnis actus et remote disponit ad actum ferventiorem qui est ultima dispositio ad augmentum : inde dici potest, ut videtur, actum illum, quo obtinetur de facto augmentum, agere quodammodo virtute omnium actuum præcedentium, et augmentum concedi a Deo intuitu illorum actuum. « Augmentum charitatis quod datur homini in actum ferventiorem prorumpenti, sive cum fervore et conatu operanti, non solum respondet actui ferventiori sed etiam actibus remissis qui præcesserant, ferventiori quidem, ut dispositioni proximæ et adæquatæ; remissis vero ut dispositionibus remotis et inadæquatis ; omnibus autem ut habentibus vim et rationem meriti » (1).

Igitur quia et quatenus actus remissi influunt in augmentum gratiae, ideo et eatenus sunt meritorii augmenti, sed consecutio illius augmenti non est *absoluta,* nec statim habetur, verum est *conditionata,* scilicet est sub conditione existentiae dispositionis requisitae ad connaturale augmentum gratiae, quae dispositio est actus ferventior (2).

Inde etiam recte dicitur : actus remissus tribuit operanti *jus* ad augmentum sed ejusdem consecutio dependet a conditione verificanda : si verificatur conditio operans obtinebit jure augmentum. Tandem bene notemus « meritum in quantum hujusmodi non dicere necessario ordinem ad aliquid *novi* obtinendum, sed satis esse ut sit ad obtinendum *novo et nobiliori titulo*... id quod alia nihilominus ratione adhuc deberetur » (3).

215. Objectiones.

Objectiones. 1. Si actus remissus non obtinet augmentum gratiæ, sequitur quod Deus non retribuit mercedem secundum meri-

(1) SYLVIUS, *o. c.*, 1. c., conclus. 4.,
(2) Cf. card. BILLOT, *De gratia,* p. 272 ss.
(3) ID., *o. c.*, p. 273.

tum : si enim is qui actus remissos operatus est non prorumpat in actum ferventiorem, nunquam accipiet mercedem pro illis actibus remissis.

R. Nego nexum inter conditionem et conditionatum. Nam Deus retribuit mercedem secundum meritum etiam illi qui post actus remissos non exercuit actum ferventiorem : nam Deus gloriam, (correspondentem gradui gratiæ sanctificantis quæ in instanti mortis habetur) *ut mercedem,* tribuit intuitu omnium actuum bonorum. Licet homo non obtinuerit de facto *augmentum* gratiæ (et consequenter gloriæ), præcise propter actus remissos, tamen sua gloria est merces omnium bonorum operum. — Quidam censent Deum providentia sua, intuitu actuum remissorum efficere ut homo hac in vita prorumpat in actum ferventiorem ut sit obtineat augmentum gratiæ.

Deinde ad *consecutionem* præmii, ex natura rei, præsupponitur sufficiens *dispositio* in subjecto : sane, si homo justus per actus bonos vere meritus est gloriam æternam, et deinde committit mortale peccatum ac in hoc misero statu moritur, nunquam habebit præmium quod tamen meritus est ; non habebit præmium propter suam *indispositionem.* Inde licet actus remissus sit meritorius augmenti gratiæ, consecutio tamen non obtinetur nisi sufficienter ad hoc sit subjectum dispositum (1).

2. Concilium Tridentinum habet : « Si quis dixerit justitiam ac- *216.*
ceptam non conservari atque etiam augeri coram Deo *per bona opera :* sed opera ipsa fructus solummodo et signa esse justificationis, non autem ipsius augendæ causam; A. S. » (2). Ergo omnia opera bona, sive remissa, sive ferventiora, sunt æqualiter causa augendæ justificationis.

R. Nego consequentiam. « Cum satis certum sit concilium Tridentinum nihil definivisse de augmento charitatis quantum ad ea quæ inter scriptores catholicos dubie disputantur, cujusmodi sunt, an per singulos actus etiam remissos de facto augeatur charitas ; an augeatur secundum totam latitudinem operis meritorii ; an augeatur effective, an meritorie : sciendum est mentum Concilii fuisse, destruere errorem hæreticorum dicentium nec justos crescere in

(1) Concilium Tridentinum dicit : « ipsum justificatum bonis operibus... vere mereri augmentum gratiæ, vitam æternam et ipsius æternæ, si tamen in gratia decesserit, consecutionem atque etiam gloriæ augmentum » (Sess. VI, can. 32. *Enchir.,* n. 842). Concilium generaliter affirmat justificatum bonis operibus mereri augmentum gratiæ et vitam æternam ; sed aliquam specialem conditionem apponit quoad *consecutionem* vitæ æternæ : ad consecutionem enim requiritur *dispositio* in subjecto, nempe gratia sanctificans. Si homo *meritus sit* multis etiam bonis operibus vitam æternam, si tamen non moritur in statu gratiæ, non consequetur vitam æternam, propter suam *indispositionem.* A pari dicimus : licet actibus remissis meritus sit homo aliquod augmentum gratiæ, illud non consequetur nisi sit *dispositus* ad hoc augmentum.

(2) Sess., VI, can. 24, *Enchir.,* n. 834; cf. ibid., n. 842.

sanctitate, nec justorum opera vere mereri augmentum gratiæ : ideoque definivit et justos bonis operibus crescere in justitia seu sanctitate et justorum opera vere mereri augmentum gratiæ. Ad quam definitionem satis est ut per *aliqua bona opera* crescat gratia et charitas justorum, etiamsi non per singula ; quodque opera justorum mereantur augmentum gratiæ, sive tunc quando fiunt, dandum, sive quando fuerint bene ad illud recipiendum dispositi » (1).

Proinde non valet argumentum quo utitur cl. P. Pesch : « Porro ut opera vere mereantur augmentum justificationis, concilium Tridentinum nihil aliud postulat, nisi ut sint opera in se bona et ut fiant ab homine justificato. Ergo nemo habet jus apponendi alias conditiones et limitationes » (2).

Respondemus : concilium Tridentinum non loquitur *de conditionibus* requisitis ut opera sint meritoria nec dicit singula justi opera esse meritoria, sed solummodo definit, contra Protestantes, opera justi bona *vere mereri* augmentum gratiæ et vitam æternam : inde non dirimit quæstiones controversiæ subjectas de iis quæ requiruntur ut opera justi sint meritoria. Quapropter qui diceret opera bona *remissa* non mereri augmentum gratiæ et vitam æternam non contradiceret canoni citato; nec a fortiori contradicit qui tenet opera remissa non obtinere *statim* augmentum gratiæ.

3. Christus dixit : « Quicumque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquae frigidae tantum in nomine discipuli, amen dico vobis non perdet mercedem suam » *Matth.* X, 42.

Ergo omne opus bonum, etiam remissum, obtinet augmentum gratiae et gloriae.

R. Nego consequentiam et consequens.

Etenim hîc Christus docet opus bonum, etiam *exiguum* (non dicit *remissum* sensu quo agimus nunc de operibus remissis) esse dignum mercede et habiturum mercedem.

Sed non loquitur Christus de conditionibus requisitis ut opus etiam exiguum sit meritorium, nec de conditionibus requisitis ut actu obtineat homo mercedem et nominatim ut actu obtineat homo augmentum gratiae et gloriae.

Illa promissio Christi nequit haberi ut absoluta : et sane nemo admittit quod opus bonum, factum a fideli *qui est in statu peccati mortalis,* sit meritorium. Illa igitur promissio Christi sumenda est *conditionate,* dummodo scilicet verificentur conditiones quae ex natura rei exiguntur, quemadmodum conditionata est promissio Christi de exauditione precum (3).

---

(1) SYLVIUS, o. c., 1. c., ad 2.
(2) *O. c.*, n. 79.
(3) Cf. DIGNANT, *De virtute religionis,* n. 56 ss.

PROPOSITIO TERTIA. *Gratia sanctificans nunquam intrinsece minuitur.*

217. Explicatur et demonstratur gratiam sanctificantem nunquam intrinsece minui.

In præcedenti propositione docuimus gratiam posse *intrinsece augeri,* quatenus nempe fiat magis radicata in subjecto illudque magis actuat seu informat. Nunc quæritur utrum gratia possit etiam *intrinsece minui,* quatenus nempe fiat minus radicata in subjecto, illudque minus informet.

Respondemus *negative* et ad responsum demonstrandum utimur argumento quod S. Thomas adhibet loquendo de charitate infusa (1).

Demonstratur.

Gratia sanctificans tum in suo fieri, tum in suo esse, dependet a solo Deo, tamquam a causa efficiente principali : solus Deus producit in anima gratiam, eamque conservat. Unde eatenus posset intrinsece minui gratia, quatenus ipse Deus faceret ut gratia minus informaret animam.

Sed a Deo non causatur aliquis defectus in nobis nisi vel in modum pœnæ vel in modum necessarii effectus ex aliqua superveniente dispositione. Igitur eatenus diminueret Deus in nobis gratiam, quatenus hoc faceret vel in pœnam peccati commissi, vel quia peccatum connaturaliter exigeret diminutionem. Neutrum autem hîc verificatur. Ergo.

Peccatum enim duplex distinguitur, *mortale ac veniale* (2). Propter peccatum mortale *non diminuitur* gratia, sed penitus aufertur, ut infrà exponetur.

Sed nec propter peccatum veniale diminuitur gratia.

a) Nam peccatum veniale *non meretur* diminutionem gratiæ. Etenim peccatum veniale non est *aversio* a Deo (3) : proinde per hoc peccatum homo non destruit ordinem ad finem suum ultimum : imo potest homo peccare venialiter explicite volendo servare ordinem ad ultimum finem : quando v. gr. homo admittit peccatum veniale, quia non est nisi veniale, nec actum eumdem poneret, si esset mortale.

Quum autem peccato veniali homo non sese avertit a Deo, nec etiam Deus sese avertit ab homine, et proinde non minuit hunc habitum, sc. gratiam sanctificantem, quo homo radicaliter, in essentia animæ, ordinatur ad ultimum finem. Hæc diminutio esset pœna major quam culpa, nec huic proportionata. Nam positiva et directa ordinatio hominis ad Summum Bonum minueretur, quum homo non contra hanc ordinationem agat.

---

(1) 2-2, q. 24, a. 10.

(2) Nomen *peccatum* non univoce, sed solum analogice dicitur de mortali et de veniali : cf. *Collat. Brug.*, t. VIII, p. 45 ss., p. 331 ss.

(3) Cf. BILLOT, *De natura et ratione peccati personalis,* thes. IX, p. 105 ss.

b) Peccatum veniale non *effective* minuit gratiam, h. e. non inducit aliquam dispositionem ad quam connaturaliter sequi debet diminutio gratiæ. Etenim peccatum veniale non est *contrarium* gratiæ : hæc enim consistit formaliter in participatione naturæ divinæ, qua participatione fit homo radicaliter capax visionis beatificæ (1). Jamvero, quum peccatum veniale non sit aversio a Deo, non est dispositio contraria ordinationi hominis ad ultimum finem, et proinde illa ordinatio remanere potest intacta.

Nota. Evidens est ipsum actum peccati venialis, consideratum in sua *physica* entitate, non posse diminuere ipsam entitatem gratiæ sanctificantis. Hæc enim est habitus *infusus,* qui non producitur operationibus hominis, sed a Deo immediate infunditur. Præterea peccatum in sua entitate physica consideratum, non est malum.

218. Objectio. **Objectio**. Si Deus auget gratiam propter actus bonos (et supernaturales) ferventiores, debet diminuere illam propter actus remissos et a fortiori propter peccata venialia: nam sicut actus ferventiores sunt dispositio ad gratiæ augmentum, ita actus remissi vel peccata venialia sunt dispositio ad diminutionem.

R. Nego antecedens. Ad rationem additam : nego paritatem. Licet enim actus ferventior sit ultima dispositio ad augmentum gratiæ, non ideo actus remissus vel peccatum veniale est dispositio ad diminutionem gratiæ. Etenim actus ferventior ideo est ultima dispositio ad augmentum habitus infusi, quia debet connaturaliter elici ab illo habitu et proinde hic habitus debet esse in eodem gradu intensitatis cum actu eliciendo. Deinde ex augmento habitus operativi, a quo proxime elicitur actus ferventior, exigitur augmentum gratiæ sanctificantis.

Sed non datur dispositio ad diminutionem : nam ad *conservationem* habitus infusi in aliquo determinato gradu intensionis, nullus requiritur actus liberi arbitrii : ratio est quia habitus infusus non causatur efficienter ab actibus hominis, sed a solo Deo efficitur ; si igitur homo non producit actus bonos supernaturales, hæc carentia operationis non est dispositio ad diminutionem. Nec dispositio sunt actus *remissi :* illi enim non exigunt, ut connaturaliter eliciantur, habitum *intrinsece diminutum,* quia æque bene possunt elici ab habitu perfectiori. Nec *peccata venialia* exigunt diminutionem ; illa enim non inducunt dispositionem *contrariam* gratiæ et non eliciuntur habitu infuso (2).

Nota. Attamen peccata venialia nocent exercitio virtutum infusarum et impediunt augmentum gratiæ. Nam venialia deliberata frequenter commissa diminuunt vel impediunt habitus acquisitos

(1) V. Suprà. n. 121-122.
(2) Cf. BILLOT, *De virtutibus infusis,* p. 47 ss.

qui deserviunt exercitio supernaturalium virtutum eisque facilitatem conferunt ac promptitudinem. Deinde illa peccata generant habitus oppositos quibus disponitur homo ad mortale peccatum et sic fit præparatio ad amissionem gratiæ (1).

Articulus IIIus. **De amissibilitate justificationis.**

219. Errores Protestantium.

Prænotandum. 1. Justos gratiam amittere non posse docuerunt Iovinianus et Calvinus. *Iovinianus* enim teste S. Hieronymo asseruit : « eos, qui fuerunt baptizati, a diabolo non posse tentari, quique autem tentati fuerint, ostendi eos aqua et non Spiritu fuisse baptizatos » (2). *Calvinus* vero « solos, inquit, electos semine incorruptibili Deus in perpetuum regenerat, ut numquam dispereat semen vitæ in eorum cordibus insitum » (3). — *Lutherus* nulla peccata, fide manente, docuit officere sanctitati nostræ atque justitiæ, hancque non amitti nisi per solius infidelitatis peccatum. « Homo christianus, inquit, etiam volens non potest perdere salutem suam quantiscumque peccatis, nisi nolit credere. Nulla enim peccata eum possunt damnare nisi sola incredulitas. Cetera omnia, si redeat vel stet fides in promissionem divinam baptizato factam, in momento absorbentur per eandem fidem » (4). Non posse amitti affirmat justificationis gratiam, modo fides servetur, « etiamsi millies millies uno die fornicemur aut occidamus » (5). « Esto peccator, ita tandem Lutherus, et pecca fortiter, sed fortius fide et gaude in Christo » (6).

Contra duplicem hunc errorem hæc statuit *concilium Tridentinum :* « Si quis hominem semel justificatum dixerit amplius peccare non posse neque gratiam amittere, atque ideo eum, qui labitur et peccat, numquam vere fuisse justificatum...: A. S. » (7). « Si quis dixerit nullum esse mortale peccatum nisi infidelitatis, aut nullo alio, quantumvis gravi et enormi, præterquam infidelitatis peccato semel acceptam gratiam amitti: A. S. » (8).

220. et Michaëlis de Molinos.

2. « Opportune, ait *Jungmann* (9), hîc etiam commemoranda venit doctrina Quietistæ Michaëlis de Molinos, qui ex diversis quidem principiis errorem tamen commentis Protestantium similem deduxit. Contendit videlicet, hominem pervenire posse ad statum

---

(1) Cf. Billot, *De virtutibus infusis*, p. 49; Mahieu, *Probatio charitatis*, n. 135; Lambrecht, *Verklaring van den Mechelschen Catechismus*, B. III, bl. 1190.
(2) Hieronym. C. Jov. 2-1.
(3) Calvini inst., 3, 2, § 11.
(4) Lutherus, De capt. Babyl.
(5) Lutheri epist. apud de Wette, II, 37.
(6) Lutheri epist. ad Melanchthonem, data a. 1521. — Cf. Einig, *De Gratia*, p. 185.
(7) Sess., VI, can. 23. *Enchir.*, n. 833.
(8) *Ibid.*, can. 27. *Enchir.*, n. 837.
(9) O. c., n. 327.

perfectæ contemplationis et puri amoris, in quo non agens sit sed mere patiens, ita ut peccata quæcumque gravissima ipsi non imputentur, neque eum justitia et gratia sanctificante privent ».

Hæc doctrina a Protestantium differt : 1) in hoc quod isti docebant solam fidem sufficere ad justificationem, quod non asserebat de Molinos ; 2) in hoc quod isti docebant justificationem, quæ ex sola fide habetur, remanere etiam cum actibus qui formaliter sunt peccata ; e contrario de Molinos asserebat tantum fieri posse charitatis gradum ut homo jam non attendat ad suas operationes et ita non nisi materialia peccata committat ; 3) in hoc quod isti docebant *omnes* fideles, dummodo credant, remanere justificatos, quidquid agant ; e contrario, de Molinos asserebat statum illum, in quo jam non amitti potest justificatio, esse aliquem supremum perfectionis gradum ad quem pauci perveniunt.

Innocentius XI, a. 1687, ex scriptis Michaëlis de Molinos damnavit 68 propositiones, inter quas :

52am. « Cum hujusmodi violentiæ (ad actus externos peccaminosos), etiam impuræ, absque mentis offuscatione accidunt, tunc anima Deo potest uniri et de facto magis unitur »(1).

55am. « Per hanc viam internam pervenitur, etsi multi cum sufferentia, ad purgandas et extinguendas omnes passiones, ita quod nihil amplius sentitur, nihil, nihil : nec ulla sentitur inquietudo, sicut corpus mortuum, nec anima se amplius commoveri sinit » (2).

57am. « Per contemplationem acquisitam pervenitur ad statum non faciendi amplius peccata, nec mortalia, nec venialia » (3).

58am. Ad hujusmodi statum pervenitur non reflectendo amplius ad proprias operationes; quia defectus ex reflexione oriuntur » (4).

61am. « Anima cum ad mortem mysticam pervenit, non potest amplius aliud velle, quam quod Deus vult, quia non habet amplius voluntatem, et Deus illi eam abstulit » (5).

221. Justificationem amitti per omne peccatum mortale definitur :

PROPOSITIO. *Justificatio amitti potest et per omne peccatum mortale amittitur.*

Propositio quoad utramque partem est de fide divina, ut constat ex sequenti definitione concilii Tridentini :

« Asserendum est non modo infidelitate, per quam et ipsa fides amittitur, sed etiam quocumque alio mortali peccato, quamvis non amittatur fides, acceptam justificationis gratiam amitti, divinæ legis doctrinam defendendo, quæ a regno Dei non solum infideles excludit, sed et fideles quoque, *fornicarios, adulteros, molles, mas-*

(1) *Enchir.*, n. 1272.
(2) *Ibid.*, n. 1275.
(3) *Ibid.*, n. 1277.
(4) *Ibid.*, n. 1278.
(5) *Ibid.*, n. 1281.

culorum concubitores, fures, avaros, ebriosos, maledicos, rapaces [1 Cor. VI, 9 ss.], ceterosque omnes qui letalia committunt peccata, a quibus cum divinæ gratiæ adjumento abstinere possunt, et pro quibus a Christi gratia separantur » (1).

Demonstratur.

demonstratur 1) ex Scriptura,

A. EX S. SCRIPTURA.

« Justus non poterit vivere in justitia sua, in quacumque die peccaverit. Etiam si dixero justo, quod vita vivat, et confisus in justitia sua fecerit iniquitatem: omnes justitiæ ejus oblivioni tradentur, et in iniquitate sua, quam operatus est, in ipsa morietur » (2). « Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam » (3). « Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes et arescet, et colligent eum et in ignem mittent et ardet » (4). « Castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne forte cum aliis prædicaverim ipse reprobus efficiar » (5).

Confirmatur ex dictis Patrum : « Verumtamen ille qui cecidit in grave aliquod vitium non amplius in Deo est, eo quod Sanctus et Paraclitus Spiritus, qui in Deo est, ab ipso recesserit, sed hujusmodi peccator in illo erit, cui se ipse subjecit » (6).

« Si jam regeneratus et justificatus in malam vitam sua voluntate relabitur, certe iste non potest dicere : non accepi, qui acceptam gratiam Dei suo in malum libero amisit arbitrio » (7).

B. EX RATIONE THEOLOGICA.

222. 2) ex ratione theologica.

In eodem subjecto nequeunt esse simul duo contraria ; atqui peccatum mortale est contrarium charitati infusæ et consequenter gratiæ sanctificanti ; ergo superveniente peccato mortali aufertur charitas et gratia.

Minor probatur. « Unum contrarium per aliud contrarium superveniens tollitur. Quilibet autem actus peccati mortalis contrariatur caritati secundum propriam rationem, quæ consistit in hoc quod Deus diligatur super omnia, et quod homo totaliter se illi subjiciat, omnia sua referendo in ipsum. Est igitur de ratione caritatis ut sic diligat Deum quod in omnibus velit se ei subjicere, et præceptorum ejus regulam in omnibus sequi : quidquid enim contrariatur præceptis ejus, manifeste contrariatur caritati. Unde de se habet quod caritatem excludere possit.

« Et siquidem caritas esset habitus acquisitus ex virtute subjecti

(1) *Enchir.*, n. 808.
(2) *Ezech.*, XXXIII, 12 ss. ; cf. XXVIII, 24.
(3) *Apoc.*, III, 11.
(4) *Jo.*, XV, 6.
(5) 1 Cor. IX, 27.
(6) S. ATHANASIUS, *Orat, 3 contra Arianos.*
(7) S. AUGUSTINUS, *De Correptione et Gratia*, c. 6.

dependens, non oporteret quod statim per unum actum contrarium tolleretur. Actus enim non directe contrariatur habitui, sed actui : conservatio autem habitus in subjecto non requirit continuitatem actus : unde ex superveniente contrario actu non statim habitus acquisitus excluditur. Sed caritas, cum sit habitus infusus, dependet ex actione Dei infundentis, qui sic se habet in infusione et conservatione caritatis sicut sol in illuminatione aëris, ut dictum est. Et ideo, sicut lumen statim cessaret esse in aëre quod aliquod obstaculum poneretur illuminationi solis, ita etiam caritas statim deficit [desinit] esse in anima quod aliquod obstaculum ponitur influentiæ caritatis a Deo in animam. Manifestum est autem quod per quod libet mortale peccatum, quod divinis præceptis contrariatur, ponitur prædictæ infusioni obstaculum : quia ex hoc ipso quod homo eligendo præfert peccatum divinæ amicitiæ, quæ requirit ut Dei voluntatem sequamur, consequens est ut statim per unum actum peccati mortalis habitus caritatis perdatur » (1).

223. Objectiones.

Objectiones. Protestantes conati sunt errorem suum confirmare ex quibusdam S. Scripturæ verbis.

1. « Aquæ multæ non potuerunt exstinguere charitatem » (2). Inde concluditur : his verbis metaphorice affirmatur hominem, quidquid ille agat, amorem erga Deum conservare et ideo in justitia permanere.

R. Nihil aliud hîc asseritur quam charitatem esse revera invincibilem, quatenus ille qui ferventer amat Deum superare potest omnia quæ destruerent charitatem ; aliis verbis, hominem ex amore Dei, adjutum gratia cui fideliter cooperatur, vincere posse omnes tentationes et vitare peccata.

2. Charitas nunquam excidit » (3).

R. Apostolus excellentiam charitatis præ aliis donis explicans hanc etiam exhibet proprietatem, qua charitas natura sua est in æternum, tum in hac terra, tum in cœlo, duratura, quum e contrario alia dona ex essentiali eorum imperfectione cessabunt. Textus integer est : « Charitas nunquam excidit : sive prophetiæ evacuabuntur, sive linguæ cessabunt, sive scientia destruetur ».

3. « Certus sum quia neque mors, neque vita... neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei quæ est in Christo Jesu Domino nostro » (4).

R. Hîc docetur homini justificato nihil esse timendum, quoniam nullum ens potest impedire Dei erga justificatos amorem ac benevolentiam, quam nobis Christus promeruit. Apostolus agit de

---

(1) S. THOMAS, *Sum. Theol.*, 2-2, q. 24, a. 12.
(2) *Cantic.*, VIII, 7.
(3) *1 Cor.*, XIII, 8.
(4) *Rom.*, VIII, 38.

homine justificato, qua tali ; non loquitur de possibilitate peccati, sed hanc non excludit : si homo ipse peccando sese avertit a Deo, jam non erit objectum amoris Dei ; sed hoc inculcat Apostolus quod nullum ens homini extrinsecum poterit impedire amorem Dei : hoc importat quod homo justificatus habebit omnia media quibus possit, si velit, perseverare in statu justitiæ in quo est objectum divini amoris. Quod explicite dicit Apostolus : « Sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos » (1).

4. « Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit : quoniam semen ipsius in eo manet, et non potest peccare, quoniam ex Deo natus est. In hoc manifesti sunt filii Dei et filii diaboli » (2).

R. Hîc docet S. Joannes filium Dei, sc. qui natus est ex Deo, non peccare, nempe peccatum (mortale) non posse existere in filio Dei, et distingui filios Dei a filiis diaboli ex hoc quod hi peccant, illi non. Ergo *in sensu composito* filius Dei non peccat ; hoc autem verum non est *in sensu diviso*. Quamdui aliquis est filius Dei, tamdui non peccat ; sed fieri potest ut quis peccet, cessando esse filium Dei.

Scholion.

224. Justificatio conservatur per bona opera.

1. Recte dicitur *justificationem conservari per opera bona.* Opera bona non sunt *causa physica* conservans gratiam, nec etiam *dispositio* requisita, sicut requiruntur ad infusionem justitiæ in adulto, sed sunt *conditio* conservationis, tamquam removens prohibens.

Per se necessaria sunt illa opera bona quæ sub gravi præcipiuntur, quorum omissio esset peccatum mortale. Et sane Christus in sermone montano exigit a discipulis suis observationem præceptorum (3) ; ascensurus in cœlum apostolis præcepit ut docerent omnes gentes servare omnia quæcumque mandaverit (4). Inde *concilium Tridentinum statuit :* « Si quis hominem justificatum et quantumlibet perfectum dixerit non teneri ad observationem mandatorum Dei et Ecclesiæ, sed tantum ad credendum : A. S. » (5).

Per accidens et indirecte necessaria dici possunt alia opera bona ut ex. gr. orationes, opera misericordiæ, quæ sæpe sunt conditio sine qua non ad obtinendas gratias uberiores et efficaces, quibus tentationes superentur ac præcepta serventur (6).

225. Gratia per peccatum corrumpitur meritorie et effective.

2. Quæritur *qua formali ratione peccatum mortale sit causa amissionis gratiæ.*

S. Thomas dicit peccatum mortale corrumpere gratiam et *effective* et *meritorie* (7).

(1) *Ibid.*, 37.
(2) *1 Jo.*, III, 9-10.
(3) *Matth.*, v.
(4) *Ibid.*, XXVIII, 20.
(5) Sess. VI, can. 20 *Enchir.*, n. 830.
(6) Cf. HURTER, *Theologiæ dogmaticæ compendium*, T. III, n. 222.
(7) 2-2, q. 24, a. 8.

a) Facile intelligitur cur peccatum mortale *demeritorie* expellat gratiam : quum enim homo peccando sese avertit a Deo, dignus est cui Deus subtrahat principium quo erat radicaliter conversus ad Deus. Licet in privatione ipsa gratiæ, dependente a libero hominis actu, verificetur *peccatum* mortale, tamen illa gratiæ privatio, sub alia consideratione, est pœna peccati, tum concomitans, tum inflicta (1).

b) Quomodo autem dici potest peccatum *effective* corrumpere gratiam ? Non quatenus actio peccaminosa *physica* influeret ad expellendam gratiam : nam illa actio quatenus est physica operatio, non est contraria gratiæ ; præterea a solo Deo infunditur et conservatur entitas gratiæ.

Sed peccatum mortale, formaliter spectatum, sc. privatio rectitudinis circa ultimum finem, seu aversio a Deo, est *dispositio* ordinis intentionalis *contraria* ipsi præsentiæ gratiæ : inde statim ac inducitur hæc dispositio in homine cessat Deus a conservanda entitate gratiæ, quæ perit. Illa autem dispositio expellens (in ordine intentionali) formam, quæ est gratia, reducitur ad causam efficientem : homo efficiens peccatum sibi inducit hanc dispositionem expellentem gratiam (2).

Hæc est sententia Cajetani quam sic exponit : « Quemadmodum in naturalibus anima rationalis a solo Deo fit in corpore, et tamen, quia compositum ex anima rationali et corpore ex parte subjecti subjacet agenti naturali, puta igni, cum ignis, agendo in corpus humanum, efficit tantum caloris ut contrarietur mansioni animæ in corpore, ignis effective dicitur expellere animam a corpore ; et si in ipsa expulsione anima desineret esse, ignis non solum diceretur effective expellere animam a corpore, sed corrumpere ipsam : ita proportionaliter est in proposito. Quia licet a solo Deo sit caritas in anima effective, a voluntate tamen humana dependet effective peccatum mortale inducendum in animam propriam, contrarium inhæsioni caritatis in anima illa : ac per hoc peccans mortaliter effective expellit caritatem ab anima. Et quia caritas est forma quæ in suî expulsione ab anima desinit esse, ideo non solum effective expellit ab anima caritatem, sed corrumpit ipsam caritatem » (3).

---

(1) Cf. *Collat. Brug.*, T, VIII, p. 692.

(2) S. Bonaventura (in II, dist 26, q. 5) optime exponit cur gratia per peccatum corrumpatur et in nihil redigatur et inter alia hæc dicit : « Cum enim gratia non salvetur nisi ex continuatione influentiæ a bonitate divina super faciem mentis nostræ ; quando anima a Deo avertitur, influentia non continuatur et per consequens gratia corrumpitur ; anima autem avertitur per peccatum : et ideo quodam modo per peccatum dicitur *corrumpi,* non quod peccatum agat in gratiam, sed quia, anima per peccatum se avertente et Deo cessante influere, necesse est gratiam in se ipsa deficere » L. c., ad 5. (T. II, p. 641).

(3) In 2-2, q. 24, a, 10.

Etiam recte dicit Suarez : « Cum conversio ad Deum sit dispositio ad gratiæ infusionem, aversio a Deo erit dispositio ad exclusionem gratiæ. Et eadem ratio est de charitate : nam actualis dilectio Dei super omnia dispositio est optima ad infusionem charitatis ; ergo actus illi dilectioni contrarius, ut est peccatum mortale, est etiam proportionata dispositio ut ratione illius Deus suspendat influxum quo charitatem et gratiam conservabat » (1).

Attamen notemus : a) actum charitatis esse *perfectionem* connaturaliter exigentem infusionem gratiæ ; peccatum vero esse formaliter *privationem rectitudinis* contrariam inhæsioni gratiæ ; b) actum charitatis esse *dispositionem* quae ratione suae essentiae, supposito praesenti Providentiae ordine, exigit infusionem gratiae tamquam connaturale principium (v. suprà, n. 186) ; peccatum vero effective inducere dispositionem quae opponitur charitati ; ipse actus physicus peccati non est oppositus charitati sed est *causa efficiens dispositionis* quacum coexistere nequit gratia, et hoc modo dicitur peccatum *effective* corrumpere gratiam.

Quum mortale peccatum *habituale,* in præsenti Providentiæ ordine, verificetur in privatione gratiæ sanctificantis, dependente ab actu peccati imputabiliter permanente (2), ideo gratia sanctificans expellit culpam habitualem seu reatum culpæ *formaliter :* est enim hæc *forma* in cujus privatione consistit peccatum mortale habituale. V. suprà, n. 135.

---

(1) *De Gratia,* L. XI, c. 4, n. 11.
(2) Cf. *Collat. Brug.,* t. VIII, p. 375.

Sectio Secunda

DE VIRTUTIBUS INFUSIS ET DE DONIS SPIRITUS SANCTI.

226. Connexio rerum.

Connexio rerum. In præcedenti sectione demonstravimus hominem, in præsenti Providentia, formaliter *justificari* per aliquam *internam justitiam* quam in se recipit et quæ ipsi inhæret, hoc assertum est fide divina tenendum (1) ; ulterius demonstravimus illud donum esse accidens, nempe qualitatem, et, multo probabilius, esse entitatem, quæ realiter distinguitur a charitate infusa, et quæ animæ *essentiæ,* tamquam proprio subjecto, inest.

Sed status justitiæ, in homine qui usum rationis adeptus est, non conservatur absque *operibus* bonis (2) : justitia enim coram Deo est vera vita, quam Christus in mundum attulit (3), et quæ in actu secundo exercetur per multas et varias operationes vitales, quibus homo ambulat in bonitate et justitia et veritate (4), et operatur ad finem ultimum, felicitatem scilicet cœlestem (5). Inquiritur nunc *qua ratione* illi *actus salutares* dependeant in sua entitate a dono supernaturali vel qua ratione fiant supernaturales (6) : inde inquiritur speciatim in hac sectione utrum habitus operativi infundantur *potentiis* animæ in ordine ad eliciendos *actus* salutares et, si affirmative, quid sint ; utrum præter illos dentur et alia dona permanentia. (In sequenti sectione erit sermo de motione transeunte ad actus, seu de gratia actuali).

227. Doctrina catholica.

Doctrina catholica. Concilium Tridentinum definit homines adultos 1) præparari seu *disponi ad justificationem,* quatenus, excitati divina gratia et adjuti, fidem concipiunt variosque eliciunt actus (7) ; 2) *justificari* autem renovatione interioris hominis per voluntariam susceptionem *gratiæ et donorum ;* justificationis porro hujus unicam causam *formalem* esse justitiam Dei qua nos justos facit, qua videlicet renovamur spiritu mentis nostræ ; in ipsa justificatione hominem recipere fidem, spem et charitatem, quæ sunt dona homini infusa (8) ; præterea amitti posse charitatem quin amittatur fides (9).

Ex his constat fide si non divina saltem ecclesiastica esse tenen-

---

(1) V. suprà, n. 101 ss.
(2) V. suprà, n. 224.
(3) *Jo.,* X, 10.
(4) *Ephes.,* II, 8 ss., V, 8 ss.
(5) *Matth.,* XXV, 34 ; *Luc.,* XIX, 16 ss. ; *1 Cor.,* III, 8.
(6) Jam suprà n. 43 ss. demonstravimus actus salutares esse debere *supernaturales.*
(7) Sess, VI, c. 6. *Enchir.,* n. 798. V. suprà, n. 177.
(8) Ibid., c. 7. *Enchir.,* n. 799-800.
(9) *Ibid.,* can. 28. *Enchir.,* n. 838.

dum : a) homini, in ipsa justificatione, infundi *gratiam et dona ;* b) illa dona esse saltem fidem, spem et charitatem ; c) fidem esse realiter distinctam a charitate (1).

Censemus saltem *proximum fidei* esse assertum quod fides, spes et charitas sunt dona quædam *permanenter inhærentia* animæ, nempe entitates physicæ quæ, distinctæ ab actibus, animæ a Deo infunduntur et ibi remanent (2) : licet enim non explicite hoc dixerit concilium, tamen ipsius verba non possunt in alio sensu recte explicari. Etenim dicitur, homini in ipsa justificatione, infundi *gratiam* et *dona* (3) : his vocabulis non indicantur *actus :* nam concilium clare distinguit inter *actus,* quibus homo se præparat ad justificationem, et *justificationem ipsam :* in hac autem dicuntur recipi gratia et dona ; præterea docetur gratiam et charitatem in cordibus a Spiritu Sancto *diffundi* atque illis *inhærere* (4) : jamvero actus, præsertim deliberati, non recte dicuntur *diffundi* in homine : operationes enim vitales *eliciuntur* ab ipsis facultatibus hominis, et illos actus non recipit, sed *operatur* ipse homo, eosque *producit* seu *efficit,* licet *cooperetur* supernaturaliter ipse Deus ; tandem infantes etiam justificantur, justificantur porro per receptionem gratiæ et donorum ; infantes autem sunt incapaces eliciendi actus : remanet igitur ut nomine gratiæ et donorum intelligantur entitates physicæ permanenter inhærentes animæ.

Nec objici potest sensum verborum concilii Tridentini posse explicari hoc sensu : in justificatione infunduntur actus fidei, spei, charitatis, qui actus, quamdiu non retractantur, moraliter permanent et latiori sensu dicuntur animæ inhærere. Respondetur enim a) non posse recte dici illos actus *infundi,* b) in justificatione infantium non dari illos actus (5), c) actus, quatenus *moraliter* permanent, non posse dici *inhærere* animæ.

Præter illa doctrinæ puncta, alia a catholicis theologis docentur,

---

(1) « Si quis dixerit, amissa per peccatum gratia, simul et fidem semper amitti, aut fidem quæ remanet, non esse veram fidem, licet non sit viva ; aut eum qui fidem sine caritate habet, non esse Christianum : A. S. » *Conc. Trid.,* Sess. VI, can. 28. *Enchir.* n. 838.

(2) Cf. SCHIFFINI, *De Gratia,* n. 201 ; PESCH, *o. c.,* t. VIII, *De virtutibus,* n. 19 ss.

(3) Dicendo « per susceptionem *gratiæ et donorum* », noluit concilium favere opinioni quæ tenet gratiam sanctificantem esse realiter distinctam a charitate ; sed docuit in justificatione aliquid infundi quo homo fit proprie gratus Deo et quod per excellentiam vocatur *gratia* (sive hoc sit ipsa charitas, sive aliquid ab hac realiter distinctum) et etiam infundi alia dona. Cf. PALLAVICINI,, *o. c.,* L. VIII, c. 9, n. 7 ; HEFNER, *o. c.,* p. 252.

(4) « Si quis dixerit homines justificari vel sola imputatione justitiæ Christi vel sola remissione peccatorum exclusa gratia et charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur atque illis inhæreat : A. S. ». *Ibid.,* can. 11. *Enchir.,* n. 821.

(5) Licet concilium Tridentinum in capite citato explicite loquatur de adultis, tamen admittit infantes etiam justificari, proindeque in ipsis haberi debet id in quo consistit ipsa justificatio.

quæ mox exponemus simul indicando gradum certitudinis quæ singulis assertionibus competit. Hanc sectionem in duo dividimus capita, quorum unum de virtutibus infusis, alterum de donis Spiritus Sancti.

CAPUT I

DE VIRTUTIBUS INFUSIS.

ARTICULUS Ius. **De existentia virtutum infusarum.**

228. Fidei, spei, charitatis infusarum existentia demonstratur :

PROPOSITIO PRIMA. *Dantur virtutes infusæ : fides, spes et charitas.*

Si nomine *virtutis* nihil aliud intelligitur quam aliquid animæ a Deo infusum et permanenter inhærens, hæc propositio est saltem fidei (vel divinæ vel ecclesiasticæ) proxima, ut suprà ostendimus.

Demonstratur.

Io) ex S. Scriptura ;

A. IN S. SCRIPTURA hæc assertio nec explicite, nec forsitan formaliter implicite, tamen virtualiter implicite continetur, si doctrina integra S. Pauli de justificatione perpenditur.

Propositionis demonstratio ex doctrina sancti Pauli reducitur ad haec :

1°) Justus, qua talis, habet *spiritum vitae,* qui est principium vitae supernaturalis ;

2°) ad hunc spiritum vitae pertinet charitas, quae est donum infusum Spiritus Sancti ;

3°) illud donum est aliquod ens physicum quod est principium aliarum virtutum et quod, de se, *permanenter* inhaeret homini, imo etiam post hanc vitam. Ergo charitas, quatenus hîc describitur est id quod vocatur *habitus operativus supernaturalis,* seu *virtus infusa.*

4°) Praeterea Apostolus ita loquitur de fide et de spe in connexione cum charitate ut manifestum sit illas etiam esse dona supernaturalia, principia operationum seu actionum voluntariarum, permanenter inhaerentia homini, ergo etiam *virtutes infusae.*

EXPLICATIO.

1°. Apostolus docet justitiam veram non esse operibus hominum acquisitam, sed esse datam gratuito et infusam a Deo : hæc enim obtinetur in baptismo per novam nativitatem, in qua Spiritus Sanctus ipse infunditur ac remanet in justificato (1) ; homo factus justus est quasi nova creatura quæ, qua talis, ordinatur ad efficienda opera bona (2) ; in baptismo

(1) V. suprà, n. 101. Cf. TOBAC, *o. c.*, p. 239.
(1) *Ephes.*, II, 8-10 ; *Rom.*, VIII, 1 ss. ; *Tit.*, II, 14.

recipit homo *spiritum vitæ* secundum quem debet operari in propriam sanctificationem (1). In quo proprie consistat ille spiritus vitæ.

2°. Illud internum principium vitæ salutaris, hoc in loco, non dicit Apostolus. Sed in *1 Cor,* XII describit Apostolus varia dona Spiritus Sancti. Imprimis describit charismata quæ Spiritus Sanctus tradit christianis, quatenus illi constituunt unum corpus, h. e. unam *societatem,* cujus Christus est caput ; illa charismata non singulis dantur, sed quibusdam et ita quidem ut alii aliud habeant, prout vult Spiritus. Deinde pergit Apostolus : « Æmulamini autem charismata meliora. Et adhuc excellentiorem viam vobis demonstro. Si linguis hominum loquar et Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut aes sonans aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam... et omnem scientiam... et omnem fidem... charitatem autem non habuero, nihil sum » (2). Charitas igitur est donum internum Spiritus Sancti quod omnes habere debent et sine quo nihil sunt in ordine sanctificationis.

3°. Illius doni necessarii describit deinde Apostolus sequelas seu effectus, varias nempe virtutes : « Charitas patiens est, benigna est... » (3). Deinde excellentiam charitatis exponit indicando aliam ejusdem proprietatem : « Charitas nunquam excidit : sive prophetiæ evacuabuntur, sive linguæ cessabunt, sive scientia destruetur » (4). Hæc est igitur proprietas charitatis quod *perpetua* est, quod non solum in hac vita habetur, sed etiam manet in altera : ratio autem cur hæc proprietas competat huic dono est ipsius excellentia specialis : alia enim omnia non remanebunt in altera vita propter intrinsecam eorum imperfectionem. Quum autem Apostolus dicat *charitas nunquam excidit,* hoc debet intelligi de aliquo dono *permanenter inhærente* animæ ; nam de solo *actu* transeunte, non recte dicitur : actus nunquam excidit ; deinde charitas describitur ut principium diversarum virtutum : charitas patiens est, benigna est, non est ambitiosa, etc. Igitur charitas est aliquod donum Spiritus Sancti *permanenter* inhærens animæ, est donum præ omnibus excellens et omnino necessarium, estque quasi mater et radix aliarum virtutum.

4°. Orationi suæ de excellentia charitatis finem et conclusionem imponit Apostolus his verbis : « Nunc autem manent fides, spes charitas : tria hæc: major autem horum est charitas » (5). Secundum mentem Apostoli, fides, spes, charitas sunt dona *permanentia* h. e. quæ *semper* adsunt, quum alia charismata sint *occasionaliter* concessa ; nempe, *nunc* (in hac vita, quanquam non habemus omnes charismata) manent (in justificatis

---

(1) *Rom.,* VI-VIII. « Le coté moral du baptême est surtout mis en lumière dans l'épitre aux Romains ; mais là aussi l'élément religieux est partout sous-jacent, affirmé même. Si le baptême est pour le chrétien une source d'obligations morales, c'est bien parce qu'il a une efficacité religieuse et transcendante... un renouvellement religieux et l'infusion d'un élément nouveau d'ordre divin, d'un principe permanent de vie surnaturelle, du πνεῦμα ζωῆς (*Rom.,* VIII, 2) : on ne sera plus sous la domination du péché, parce qu'on n'est plus sous la Loi, mais sous la grâce, parce qu'on ne vit plus sous le régime ancien de la Lettre, mais sous le régime nouveau de l'Esprit (*Rom.,* VI, 14, VII, 6). S'il y a dans le baptême une mort avec le Christ, il y a donc aussi une résurrection avec le Christ, dans la participation de son Esprit ; cette résurrection, le chrétien doit la traduire dans sa vie morale par une mentalité nouvelle et une conversion totale à Dieu : c'est bien cet état intérieur du croyant baptisé, affranchi de l'esclavage de la chair que S. Paul décrit *Rom.,* VIII, 1-13 ». TOBAC, *o. c.,* p. 248-249.

(2) *1 Cor.,* XII, 31, XIII, 3.

(3) *Ibid.,* XIII, 4 ss.

(4) *Ibid.,* 8.

(5) *Ibid.,* v. 13.

seu præsto sunt omnibus) fides, spes, charitas : tria hæc (tres praecipuæ, quæ speciali titulo cohærent, virtutes christianae) : major autem horum (trium) est charitas (quæ *tunc*, h. e. in altera vita [v. 8] sola manebit). — Quum dicat Apostolus : « Nunc manent fides, spes, charitas, tria hæc », et quum charitas sit donum internum permanenter inhærens animæ, ut suprà ostendimus, recte concludimus fidem et spem etiam esse dona *permanenter animæ inhærentia* et a Spiritu Sancto infusa, quum omnia dona, de quibus hîc loquitur Apostolus, sint a Spiritu Sancto indita.

229. 2) ex Traditione et Ecclesiæ documentis.

B. EX TRADITIONE ET DOCUMENTIS ECCLESIÆ (1).

S. Gregorius M. dicit : « In sanctorum quippe cordibus juxta quasdam virtutes [Spiritus Sanctus] semper permanet, juxta quasdam vero recessurus venit et venturus recedit. In fide enim, spe atque charitate et in bonis aliis, sine quibus ad cœlestem patriam non potest perveniri, sicut est humilitas, castitas, justitia atque misericordia, perfectorum corda non deserit. In prophetiæ vero spiritu, doctrinæ facundia, miraculorum exhibitione, electis suis aliquando adest, aliquando se subtrahit » (2). Ut Spiritus Sancti dona animæ permanenter inhærentia exhibet hîc S. Gregorius M. fidem, spem, charitatem, et quasdam virtutes morales. Alio in loco docet, sicut Job habuit septem filios et tres filias, ita hominem justum habere septem dona Spiritus Sancti et tres alias virtutes, fidem, spem, charitatem (3).

Sæculo XIII exorta est controversia utrum infantibus infunderentur per baptismum fides aut charitas aliæque virtutes : ratio dubitandi erat quia infantes incapaces sunt eliciendi actus illarum virtutum (4). — Deinde in *concilio Viennensi* (a. 1311-1312) declaraverunt Patres : « Nos autem attendentes generalem efficaciam mortis Christi quæ per baptisma applicatur pariter omnibus baptizatis, opinionem... quæ dicit tam parvulis quam adultis conferri in baptismo informantem gratiam et virtutes, tamquam probabiliorem... sacro approbante concilio duximus eligendam » (5). In hac declaratione supponitur admissum in baptismo, saltem adultorum, infundi gratiam et virtutes : hæ porro virtutes sunt saltem fides et charitas, ut constat ex documento in quo exponitur controversia (6). — In *concilio Tridentino,* si non proprie definitur, existere fidem, spem, charitatem, tamquam dona a Spiritu Sancto infusa et permanenter animæ inhærentia, hoc saltem ita cum definitione cohæret ut dicendum sit fidei proximum,

---

(1) Cf. MAZZELLA. *De virtutibus infusis*, n. 37 ss. ; BOUQUILLON, *De virtutibus theologicis*, n, 2 ; BILLOT, *De virtutibus infusis*, Thes. I. p. 97 ss. ; VAN NOORT, *De gratia*, n. 175 ss. ; PESCH, *o. c.*, t. VIII, n. 19 ss.

(2) *In Ezechielem*, homil. V, n. 11.

(3) *Moralium* L. I, c. 27.

(4) Cf. *Enchir.*, n. 410.

(5) *Enchir.*, n. 483.

(6) *Ibid.*, n. 410.

quemadmodum suprà n. 227 exposuimus. Quod solide confirmatur ex testimonio Pallavicini asserentis : « Postulantibus quibusdam, ut expressius declararetur justitiam fieri per habitum infusum, delectos Patres respondisse id satis explicari per vocem *inhæret,* quæ stabilitatem significet et habitibus congruit, non actibus » (1). Hoc vocabulum *inhæret* dicitur de eo quod infunditur in justificatione et in justificatione « hæc omnia simul infusa accipit homo... fidem, spem et charitatem » (2). Tandem in synodo particulari, habito Moguntiæ, anno 1549, secundo nempe anno post sessionem IV concilii Tridentini, cujus doctrinam, in cap. 7, propositam exposuimus, tamquam paraphrasis illius declarationis dicitur : « Justificatio, cum peccatorum remissione, etiam sanctificationem et interiorem renovationem confert, quatenus per meritum passionis Christi, quod jam credenti communicatur, cum venia peccatorum homo etiam Dei gratiam, et per Spiritum Sanctum una cum fide simul spem et charitatem in corde diffusam accipit, hisque Dei donis in ipso permanentibus, non jam solum reputatur, aut nominatur sed vere existit justus » (3).

C. EX RATIONE THEOLOGICA *confirmatur.*

230. 3) confirmatur ex ratione theologica.

Confirmatio in hoc consistit quod ostenditur cur sint prædictæ virtutes et cur videatur Providentia Dei expostulare ut sint illæ.

In ordine naturali Deus non solum dat naturam ipsam, quæ est principium remotum propriæ operationis in unoquoque ente, non solum movet ens ad actus naturales, sed etiam largitur illi formas et virtutes quasdam, quæ sunt principia actuum, ut secundum illas inclinetur ens ad agendum. A pari, in ordine supernaturali, nempe supposita destinatione hominis ad finem ultimum supernaturalem, ad Providentiam Dei pertinet homini tribuere nova et supernaturalia operandi principia quibus *connaturaliter* possit agere in ordinem ad finem supernaturalem attingendum.

Porro Deo convenit ut tribuat homini *novam quasi naturam,* quæ est gratia sanctificans, (v. suprà, n. 117-119) ; deinde ut huic novæ quasi naturæ addantur *nova quasi principia operandi,* nempe habitus infusi qui naturales potentias intrinsece et habitualiter inclinent ad operationem supernaturalem.

Jamvero imprimis oportet ut circa *ipsum Deum* operetur homo, nempe cognoscendo ipsum et amando : inde ut homo connatura-

---

(1) *Historia concilii Tridentini,* L. VIII, c. 14, n. 3. — Hoc Pallavicini testimonium non infirmatur per hoc quod dicit SOTO, *De natura et gratia,* L. II, c. 18 (fol. 169 verso) : « Tametsi consulto de *habituum* nomine nihil meminerit (synodus Tridentina) ». Abstinuit enim concilium a nomine *habitus,* ne philosophicas quasdam quæstiones attingeret, sed non ut remaneret dubium fidem, spem, charitatem esse *dona permanenter inhærentia* animæ, diversa ab *actibus.*

(2) *Enchir.,* n. 800.

(3) HARTZHELM, *Concil. Germ.* VI, 567. Cf. PESCH, *o. c.,* n. 21.

liter cognoscat Deum semetipsum revelantem, infunditur illi *fides ;* ut connaturaliter appetat Deum tamquam supremum bonum suum, quod potest consequi, infunditur *spes ;* tandem ut connaturaliter amet Deum prout hic est in semetipso infinitum bonum, infunditur *charitas* (1).

231. Moralium virtutum existentia probabilis ostenditur : 1) Ex Scriptura ;

PROPOSITIO SECUNDA. *Probabilius dantur etiam virtutes morales infusæ* (2).

Probatio (3).

A. EX S. SCRIPTURA *suaderi videtur existentia virtutum moralium infusarum.*

« Quomodo (ὡς sc. quemadmodum), inquit S. Petrus, Deus Pater per Christum omnia nobis divinæ virtutis suæ, quæ ad vitam et pietatem (*ἐυσεβειαν* sc. cultum Dei)... maxima et pretiosa nobis prommissa donavit : ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ,... sic vos vicissim, ex vestra parte curam omnem subinferentes, ministrate (*ἐπιχορηγησατε* sc. reciproce praestate) in (cum) fide vestra virtutem (*τὴν ἀρετὴν* : fortitudinem, vel morum honestatem), in virtute autem scientiam (*τὴν γνῶσιν*, prudentiam), in scientia autem abstinentiam (*τὴν ἐγκράτειαν*, temperantiam), in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis charitatem,..» (4).

Testante igitur S. Petro, christianis maxima ac pretiosa dona conferuntur quibus efficiuntur divinæ naturæ consortes, quæque sane in quadam intrinseca ac permanenti habitudine consistere dicenda sunt. Atqui præter habitum entitativum per quem formalissime habetur divinæ naturæ participatio (v. suprà n. 117, 121, 129), esse quoque habitus operativos ei proportionatos, atque ex divina pariter infusione causatos ex ipso textu suadetur. Etenim maxima et pretiosa promissa nobis donata non in uno tantum consistunt, sed comprehendunt omnia quæ ad vitam et pietatem faciunt, secundum quod congruit infuso consortio divinæ naturæ ; adeoque complectuntur morales virtutes prout congruunt superiori naturæ nobis infusæ. Nam si virtutes morales illæ sunt quæ versantur circa media, negari non potest quin ad vitam (christianam)

---

(1) Cf. S. THOMAS, 1-2, q. 62, a. 1 ; q. 63, a. 3 ; q. 110, a. 2 ; *De virtutibus in communi,* q. 1, a. 10. V. suprà, n. 119.

(2) Existentia virtutum moralium per se infusarum non est certa, et sententiam contrariam non posse temeritatis nota vel alia censura notari dicebat SUAREZ, *De gratia,* L. VI, c. 9, n. 15. « Quum tamen sententia negans existentiam virtutum infusarum a tempore Suarezii fere nullos patronos invenerit, videtur sententia affirmans absque temeritatis nota jam negari non posse » *Collat. Brug.,* t. XII, p. 714.

(3) Hæc probatio desumitur præcipue ex *Collat. Brug.,* t. VI, p. 300 et t. XII, p. 714 ss. Cf. Illmus ac Revmus Waffelaert, *De virtutibus cardinalibus, Tractatus I,* c. 2, et auctores citati suprà, n. 229.

(4) *2 Petr.,* I, 3 ss.

et pietatem faciant quam maxime, tum quia usus mediorum requiritur ad consecutionem finis, tum quia si a fine aberrari contingat, hoc plerumque est quia circa media non recte afficimur. Et confirmatur, nam in operibus virtutum quas consequenter enumerat Petrus, simul cum fide et charitate commemorantur etiam prudentia, abstinentia, patientia, pietas aliaque hujusmodi (1).

Confirmatur ex his verbis S. Pauli : « Non dedit nobis Deus Spiritum timoris, sed virtutis (fortitudinis), et dilectionis et sobrietatis » (2). Atqui Deus dedit nobis *habitum infusum* dilectionis seu charitatis ; ergo, ut videtur, etiam habitum infusum fortitudinis et sobrietatis.

B. EX TRADITIONE ET ECCLESIÆ DOCUMENTIS.

232. 2) ex Traditione et Ecclesiæ documentis.

S. Augustinus in verba Psalmistæ : « Ibunt de virtute in virtutem », enumeratis quatuor virtutibus cardinalibus dicit : « Istæ virtutes nunc in convalle plorationis per gratiam Dei donantur nobis » (3). Alibi enumeratis pluribus virtutibus, etiam moralibus, dicit : « Intus sunt omnes istæ virtutes quas nominavi. Quis autem sufficit omnes nominare ? Quasi exercitus est imperatoris, qui sedet intus in mente tua. Quomodo enim imperator per exercitum suum agit quod placet, sic Dominus Jesus Christus incipiens habitare in interiore homine nostro, id est in mente per fidem, utitur istis virtutibus quasi ministris suis » (4). — *S. Gregorius,* in textu suprà, n. 229, citato, non solum fidem, spem et charitatem ut dona infusa a Spiritu Sancto exhibet, sed etiam humilitatem, castitatem, justitiam atque misericordiam.

Non raro citatur textus S. Prosperi, *Contra Collatorem,* c. 9, in quo de donis amissis ab Adamo et ab ejusdem posteris dicit : « Perdidit primitus fidem, perdidit continentiam, perdidit charitatem, spoliatus est sapientia et intellectu, caruit consilio et fortitudine, et impie altiora sectando a veritatis scientia, et obedientia pietatis dejectus est ». Valeret argumentum si constaret in textu citato hæc vocabula: *continentia, fortitudo, obedientia pietatis,* designare in mente Auctoris virtutes morales ; sed res non videtur omnino certa.

Colligitur etiam assertio nostra ex verbis *Innocentii III* (c. Majores de Baptismo) : « Illud vero, quod opponentes inducunt, fidem aut charitatem aliasque virtutes parvulis, utpote non consentientibus, non infundi... ». Etenim ex hoc textu, quemadmodum ex statu controversiæ, eruitur jam a sæculo XII doctrinam fuisse in Ecclesia communem, adultis infundi fidem, charitatem *aliasque virtutes* scil. morales, solumque de parvulis dubitari. Innocentius autem ut probabiliorem amplectitur sententiam, nunc communi

(1) Cf. BILLOT, *De virtutibus infusis,* thes. II.
(2) *2 Tim.*, 1, 7.
(3) *In Psalmus* 83, n. 11.
(4) *In 1 Joannis.* tract. 8, n. 1.

consensu receptam, de infusione earumdem virtutum in parvulis. — Quo sensu intelligenda pariter sunt verba *Clementis V* in concilio Viennensi, eamdem prorsus quæstionem tractantis, thesimque nostram eligentis : « Opinionem... quæ dicit tam parvulis quam adultis conferri in baptismo informantem gratiam ac virtutes, tanquam probabiliorem, et dictis Sanctorum et doctorum modernorum theologiæ magis consonam et concordem, sacro approbante concilio approbandam duximus eligendam » (1).

Accedit auctoritas *Catechismi Romani.* (De Bapt. n. 51) : « Huic (gratiæ habituali) additur nobilissimus omnium virtutum comitatus, quæ in anima cum gratia divinitus infunduntur » (2). Jamvero, cum tres virtutes theologicæ « nobilissimus omnium virtutum comitatus » esse non videantur, adsignificatur præter illas etiam morales virtutes infundi.

Accedit auctoritas theologorum præcipuorum et numero valde plurium. Hoc enim docuit S. Thomas (3), S. Bonaventura (4), Capreolus (5), Cajetanus (6), Dionysius Cartusianus (7), fere omnes post concilium Tridentinum. — Scotus (8) tamen, Henricus Gandavensis (9), Durandus (10) aliique (11) negaverunt infusas dari morales virtutes.

233. 3) Confirmatur ex ratione theologica.

C. EX RATIONE THEOLOGICA *confirmatur.*

Suprà, n. 230, exposuimus quomodo divinæ Providentiæ omnino congruat, imo quomodo ab ipsa exigi videatur ut dentur infusæ virtutes fidei, spei et charitatis. Idem porro argumentum, proportione servata, valet etiam pro moralibus virtutibus. Homo enim non solum ponere debet actus supernaturales qui ipsum Deum immediate ut objectum habent, sed etiam actus, qui immediate circa *media* ad finem versantur ; ut autem homo supernaturaliter et habitualiter disponatur ad eliciendos actus circa media ad finem, requiruntur virtutes morales infusæ ; hæ enim sunt principia quibus *connaturaliter* elicit homo actus bonos circa media ad finem. « Virtutes theologicæ sufficienter nos ordinant in finem supernaturalem secundum quamdam inchoationem, quantum scilicet ad ipsum Deum immediate, sed oportet quod per alias virtutes infusas perficiatur anima circa alias res, in ordine tamen ad Deum » (12).

---

(1) V. suprà, n. 229.
(2) P. II, *De Sacramento baptismi,* n. 42.
(3) 1-2, q. 51, a. 4 ; q. 63, a. 3 et 4 ; *De virtutibus in communi,* a. 10.
(4) In III, dist. 33, a. 5 ; dist. 34, p. 1, a. 1, q. 2. V. notam quam de sententia S. Bonaventuræ scripserunt editores operum ejusdem, t. III, p. 725.
(5) In III, dist. 33, q. 1, concl. 3a, et ad argumenta contra 3am conclus. (t. v, p. 391, 405 ss.).
(6) 1-2, q. 63, a. 3 et 4.
(7) In III, dist. 33, q. 3 (t. 23, p. 503).
(8) In III, dist. 36.
(9) *Quodlibet,* 6, q. 12.
(10) In III, dist. 33, q. 6.
(11) Plerique citantur a RIPALDA, *De ente supernaturali,* disp. 120, sect. 6, n. 32.
(12) S. THOMAS, 1-2, q. 63, a. 3 ad 2.

ARTICULUS II^us. **De essentia virtutum infusarum.**

234. Connexio rerum.

Demonstravimus dari infusa a Deo dona supernaturalia *permanenter animæ inhærentia,* quibus homo ordinatur ad elicienda, *sicut oportet* ad salutem, omnia opera bona quæ ipsi imponuntur. Nunc ulterius est inquirendum de intima essentia illorum donorum et imprimis investigandum est ad *quodnam genus* entis pertineant.

Sed duo sunt *prænotanda.*

235. Definitur quid sit donum per se *infusum;*

1. Loquimur de donis quæ non aliam originem habere possunt quam immediatam infusionem a Deo factam, de donis scilicet quæ nec ab ipsa natura dimanant, nec ab actibus generari possunt (1) ; ideoque vocantur *per se* infusa, h. e. infusa ratione sui, ratione propriæ essentiæ. Inde distinguuntur a donis vel habitibus qui essent *per accidens* infusi : hi essent quoad essentiam naturales sed tamen a Deo infusi : v. gr. homo potest sibi acquirere scientiam mathematicam ; hanc eamdem posset Deus alicui infundere ; hic esset habitus *per accidens* infusus ; esset etiam entitative naturalis, supernaturalis tantum *quoad modum* quo producitur.

236. illud non nisi reductive potest pertinere ad prædicamentum qualitatis vel habitus.

2. Quum autem agatur nunc de donis entitative supernaturalibus seu *per se* infusis, quando inquiritur ad quodnam genus entis pertineant, oportet præobservare illa non nisi *reductive* pertinere ad unum ex prædicamentis, quæ naturali rationis lumine cognoscuntur. Pertinent nempe ad prædicamentum, puta qualitatis, quia ejus definitio vere verificatur de illis donis supernaturalibus, sed non pertinent nisi *reductive,* quia aliter verificatur definitio in qualitate naturali, aliter in qualitate supernaturali ; inde etiam vocabula *qualitas, habitus,* non univoce, sed tantum analogice dicuntur de naturalibus ac de supernaturalibus (2).

237. Entitates per se infusæ, de quibus agimus, sunt habitus operativi,

PROPOSITIO PRIMA. *Entitates per se infusæ, de quibus hîc agimus, sunt habitus operativi boni, et virtutes stricte dictæ.*

Declaratur 1^a Pars. Duabus præcedentibus propositionibus, ostendimus dari quædam dona a Deo infusa, quibus homo ordinatur intrinsece ad bene operandum in ordine ad beatitudinem æternam consequendam quibus nominatim ordinatur ad creden-

---

(1) Notio habitus *per se* infusi bene elucet his verbis S. Bonaventuræ exponentis in infanti *habitus perfectos* virtutum infundi : « (Habitus) quidam est *innatus,* quidam *acquisitus,* quidam *infusus. Primus* incipit cum natura et ab ejus principiis ortum habet ; et ideo in natura imperfecta est imperfectus, et cum natura crescente crescit, et cum natura perfecta perficitur, ut patet in naturali judicatorio. *Secundus* vero, scilicet acquisitus, ortum habet a libero arbitrio, qui non habet usum, donec natura aliquo modo perficiatur ; et ideo sequitur naturam perfectam. *Tertius* vero ortum habet a Deo, non a natura nec a libero arbitrio ; et quia non habet ortum a libero arbitrio, potest esse in parvulo ante usum liberi arbitrii ; quia vero non habet ortum a natura potest esse perfectus, natura existente imperfecta ». In IV, dist. 4, p. 2, a. 2, q. 2 (T. IV, p. 114).

(2) Cf. BILLOT, *De virtutibus infusis,* p. 30., cf. S. BONAVENTURA, in II, dist. 27, dub. 1 (t. II, p. 690).

dum, ad sperandum, ad diligendum, ad temperantiam observandam... etc.

Jamvero donum quo homo intrinsece afficitur et in seipso modificatur est certo *qualitas* (1).

In genere qualitatis ponendus est habitus, qui est « qualitas de se difficile mobilis secundum quam substantia bene aut male se habet, sive quoad esse, sive quoad operari » (2). Inde habituum distinguuntur species duæ : alii sunt *substantivi* seu *entitativi,* qui nempe immediate *substantiam* afficiunt ; alii vero sunt *operativi,* qui nempe immediate facultates operativas afficiunt (3).

Jam ostendimus inter dona supernaturalia existere habitum *entitativum* qui nempe ipsam animæ essentiam immediate afficit et in ea subjectatur : hæc est gratia sanctificans. V. suprà, n. 113-129. Etiam demonstravimus existentiam donorum supernaturalium, quæ dicuntur fides, spes, etc. ; horum vero essentia innotescit tum ex ipso nomine ipsorum, tum ex ipso munere quod illis tribuitur in documentis quibus eorum existentia demonstratur ; inde patet illa dona esse entitates permanenter inhærentes quibus homo positive ordinatur ad bene operandum supernaturaliter : sunt proinde *habitus operativi boni.*

238. ac virtutes stricte dictæ.

Declaratur 2ª Pars. Inter habitus operativos bonos dantur qui conferunt quidem habilitatem bene operandi, sed non inclinant ad *usum rectum* prædictæ habilitatis (4). Et hoc luculenter apparet in habitibus pure intellectualibus, puta in arte vel scientia : rectus enim usus est actus voluntatis quam nullo modo perficiunt habitus isti. Et ideo si artifex quispiam agat contra regulas artis *volens,* i. e. quia vult hîc et nunc a recto usu suæ artis abstinere, non ideo est in ipso deficiens ars ipsa, nec ideo reputabitur artifex imperfectior : nam defectus operationis non ipsi habitui artis est tribuendus. At certe aliter est judicandum de viro qui, quum sit habitualiter temperans, tamen semel indulget gulæ : ille defectus moralis signum esset imperfectionis ipsius habitus temperantiæ.

Ex quo apparet quosdam esse habitus, qui non solum conferunt habilitatem bene agendi, sed etiam faciunt ut subjectum in quo sunt, *recte utatur* illa habilitate. Tales vero habitus non sunt nisi in voluntate, vel in potentia quæ et quatenus est a voluntate mota : etenim sola voluntas respicit ultimum finem, ut sic, et voluntatis est movere seipsam et imperare actus deliberatos in ordine

---

(1) « Qualitas, stricte sumpta, describi potest : forma intrinsece modificans substantiam differentia aliqua accidentali absoluta ». DE JAEGHER, *o. c.,* n. 251.

(2) DE JAEGHER, *o. c.,* n. 253.

(3) Cf. DE JAEGHER, *o. c.,* n. 254.

(4) Cf. Illmus ac Revmus Waffelaert, *De virtutibus cardinalibus,* Tract. I, Proleg., p. XVIII ; BILLOT, *o. c.,* p. 20 ss. ; *Collat. Brug.,* t. XII, p. 646 ss.

ad ultimum finem (1) proinde in voluntate ipsa, et in facultate quæ et quatenus movetur a voluntate, debent esse illi habitus qui inclinant *ad rectum usum* habilitatis in agendo.

Illi porro habitus sunt *virtutes stricte dictæ* vel *virtutes simpliciter,* quia hi tribuunt speciali ratione bonitatem et perfectionem, ut ex dictis patet.

Jamvero illi habitus operativi per se infusi, de quibus nunc loquimur, tribuunt revera de *se rectum usum* habilitatis agendi : inclinant enim positive hominem ad actus quibus homo recte agit in ordine ad ultimum finem supernaturalem : inclinant nempe ad credendum propter auctoritatem Dei revelantis (2), ad diligendum Deum supernaturaliter cognitum, ad recte præcipiendum id quod hîc et nunc est agendum, imo ad omnes actus qui secundum ordinem rationis sunt ponendi circa media ad ultimum finem (3).

239. *Virtutes per se infusæ I) conferunt subjecto cui insunt ipsum posse agere supernaturaliter ;*

PROPOSITIO SECUNDA. *Virtus per se infusa confert proprie posse agere supernaturaliter, non vero proclivitatem in exercitium actus illius ;sed ex repetitione actuum virtutis infusæ generatur habitus naturalis qui in proclivitate seu facilitate ad exercitium illorum actuum consistit* (4).

Declaratur 1ª Pars. Uti ex supra dictis patet, virtus per se infusa est accidens supernaturale quod subjectatur in potentia operativa et quod hanc inclinat intrinsece ad aliquam speciem operum moraliter bonorum ; aliis verbis, virtus per se infusa dat proprie *posse* agere supernaturaliter, dat nempe id quo facultas operativa sit habitualiter disposita ad hoc ut connaturaliter eliciat actus entitative supernaturales bonos. Et hoc elucet ex ratione theologica qua existentiam illarum virtutum confirmavimus, suprà, n. 233. Etenim in justificatione recipit homo novam quasi *naturam,* quæ est principium remotum novarum operationum huic naturæ correspondentium ; consequenter ad illam novam naturam obtinet homo virtutes per se infusas, *ad instar novarum potentiarum* operativarum, nempe nova principia *proxima* supernaturalium. « Et hoc est quod consueverunt significare theologi cum dicunt virtutes infusas dare simpliciter posse, pro quanto scilicet, non secus ac potentiæ, ipsum posse non præsupponunt, sed afferunt, suamque vim ab antecedenti operum exercitio minime accipiunt, sed eam congenitam habent, et actibus præviam » (5).

---

(1) Quomodo voluntas *imperet* etiam *proprios* actus deliberatis exponit Card. BILLOT, *De gratia,* p. 267.

(2) Licet fides et prudentia sint in ipso intellectu, sunt tamen virtutes stricte dictæ, quia dependent illarum actus ab imperio voluntatis.

(3) De distinctione virtutum moralium et de connexione earum ad invicem, cf. Illmus ac Revmus Waffelaert, *o. c.*, p. 12 ss, et 18 ss. ; *Collat Brug.*, t, VI, p. 407 ss.

(4) Cf. BILLOT, *o. c.*, p. 34 ss.; 50 ss.; *Collat. Brug.*, t. XII, p. 753 ss.

(5) BILLOT, *o. c.*, p. 33.

240. 2) non dant ipsam proclivitatem seu facilitatem ad exercitium actus.

Inde apparet virtutes per se infusas non tribuere hanc *facilitatem* seu *proclivitatem ad ipsum exercitium actuum,* quemadmodum tribuunt virtutes acquisitæ. Virtutes enim infusæ sunt quidem *essentialiter* aliqua *inclinatio intrinseca potentiæ* ad actus supernaturales et hæc intrinseca inclinatio est *posse agere connaturaliter opera supernaturalia,* ut suprà diximus ; virtutes vero acquisitæ præsupponunt potentiam agendi, ac præcise *ex repetitione actuum* producuntur et essentialiter consistunt in illa facilitate seu proclivitate ad exercitium actuum *eorumdem.* «Connaturale posse inclinationem dici quæ tota se tenet ex parte potentiæ prout *activa* et *motrix* est, dum scilicet propensa existens in objectum suum, eo ipso apta nata est movere et agere se in illud. At proclivitas in excercitium actus importat potissimum pronitatem potentiæ prout *passiva* et *mobilis* est, ponitque bonam ejus dispositionem non tam ad movere quam ad moveri, id est ad recipiendum operationem qua in objectum tenditur » (1).

Nota. Diximus suprà virtutes per se infusas esse ad instar novarum potentiarum operativarum, quatenus ponuntur a Deo, auctore ordinis supernaturalis, in eadem ad gratiam sanctificantem proportione in qua potentiæ naturales ponuntur ad naturam substantialem : ut, sicut per naturales potentias habemus posse agere secundum ordinem naturæ, qua homines sumus, ita per infusas virtutes habeamus posse agere secundum ordinem naturæ participatæ, qua deiformes efficimur. Attamen cavendum ne putemus virtutes per se infusas esse proprie potentias operativas : sunt enim *habitus,* qui ipsi potentiæ inhærent et superveniunt eamque tantummodo elevant ad aliquam modalitatem operationis transcendentem naturæ vires. Quare proximum supernaturalis actus principium non tam virtus infusa est quam potentia naturalis prout informata est virtute infusa (2). Proinde conclusio quædam deducitur, de qua postea erit sermo : si requiritur præmotio physica ad hoc ut *facultas operativa* transeat ad actum, non ideo requiritur supernaturalis virtus fluens ut *habitus infusus* eliciat actum supernaturalem : habitus enim infusus non, proprie loquendo, elicit actum, sed tantum elevat potentiam quæ elicit actum : consequenter mera applicatio facultatis ad actum sufficit, ut videtur, ut eliciatur actus intrinsece supernaturalis a facultate jam intrinsece elevata per habitum infusum (3).

---

(1) BILLOT, *o. c.*, p. 36 ; cf. ibid., p. 35 ; cf. *Collat. Brug.*, t. XII, p. 753 ss.

(2) Cf. BILLOT, *o. c.*, p. 33 s. ; *Collat. Brug.*, t. XII, p. 712 ss. ; BLONDIAU, *Collat. Samurc.*, t. IV, p. 215. Notemus tamen virtutes per se infusas intrinsece augeri, ut suprà (n. 208) diximus, et consequenter augeri inclinationem potentiæ operativæ ad objectum virtutis : hæc tamen inclinatio per se ipsa non dat facilitatem ad exercitium actus, nec removet impedimenta quæ exercitio actuum opponi possunt.

(3) Cf. BILLUART, *De Gratia,* diss. III, a. I, n. VI ; BILLOT, *De virtutibus infusis* p. 174, in nota ; *De Gratia,* p. 89.

241. 3) Ex actibus repetitis virtutum per se infusarum generatur habitus naturalis

Declaratur 2ª Pars. Actus supernaturales, eliciti a facultate intrinsece elevata per habitum infusum, sunt vere actus vitales illius potentiæ, suntque singuli actuatio potentiæ operativæ, non minus ac actus naturales, ideoque nulla est ratio dubitandi quominus per repetitionem illorum actuum generetur habitus seu facilitas ac proclivitas ad exercitium illorum. Quod et experientia confirmatur : etsi enim secundum communem theologorum sententiam omnes virtutes per se infusæ simul et eodem gradu augeantur ; nihilominus homo qui se constanter exercet in alicujus virtutis actibus, acquirit sibi majorem facilitatem ad exercendos actus illius virtutis quam ad actus aliarum.

242 Theologorum quorumdam opiniones.

Hoc assertum admittit S. Thomas, qui dicit : « Facilitas operandi opera virtutum potest esse ex duobus : scilicet ex consuetudine præcedente, et hanc facilitatem non tribuit virtus statim in sui principio ; et iterum ex forti inhæsione ad objectum virtutis, et hanc est invenire in virtute infusa statim in sui principio » (1). Igitur, secundum S. Thomam, *facilitatem* operandi quæ provenit *ex consuetudine,* non tribuit virtus infusa *statim in sui principio ;* quod importat : hoc tribuit postea, ex repetitione actuum. — Alio in loco (2) docet S. Thomas ex actibus infusæ charitatis generari habitum naturalem dilectionis vel hunc augeri si jam existit. Idem docet Cajetanus in *Sum. Theol.,* I-II, A. LXII, a. 3, ad 2.

Molina eamdem sententiam exponit : « Supernaturales habitus fidei, spei et charitatis a solo Deo infunduntur, neque attinguntur efficienter ab actibus fidei, spei et charitatis supernaturalibus, etiam quoad eorum augmentum. Quia tamen actus illi eminenter continent naturales actus fidei, spei et charitatis, eo quod ad ipsorum productionem concurrant causæ omnes quæ producerent actus illos naturales, nisi a Deo per suum supernaturalem influxum eveherentur ut producerent eos supernaturales..., inde evenit quod producant naturales habitus fidei, spei et charitatis, qui remanent in eo qui per lethale peccatum amittit charitatem supernaturalem, atque etiam in eo qui per infidelitatis peccatum amittit firem » (3).

S. Franciscus Salesius (1567- 1622) optime ad rem nostram dicit : « Or, la charité étant separée de l'âme par le péché, il y reste maintefois une certaine ressemblance de charité qui nous peut decevoir et amuser vainement ; je vous dirai [ce] que c'est. La charité, tandis qu'elle est en nous, produit force actions d'amour envers Dieu ; par le fréquent exercice desquelles nostre ame prend une certaine habitude et coustume d'aymer Dieu, qui n'est pas la charité,ains seulement un pli et inclination que la multitude des actions à donné à nostre cœur » (4).

Idem docent de Ripalda (5) et nostra ætate, Illmus ac Revmus Waffe-

---

(1) In IV, dist. 14, q. 2, a. 2 ad 5. Cf. *De virtutibus in communi,* a. 10 ad 15.
(2) *De Veritate,* q. 17, a. 2, ad 4 (in secunda serie difficultatum). Cf. BILLOT, *o. c.,* p. 57, 61.
(3) *Concordia,* in q. 14, a. 13, disp. 38 (p. 214).
(4) *Traité de l'amour de Dieu,* L. IV, ch. 9, (Œuvres, t. IV, p. 245). Videsis etiam *o. c.,* L. XII, c. 1, ubi S. Franciscus docet quod amor *supernaturalis* Dei differt *essentialiter,* estque *in se* independens, a naturali complexione hominis.
(5) *De ente supernaturali,* disp. 53.

laert (1) (qui tamen non admittit habitum acquisitum charitatis), Billot (2), Pesch (3).

Contradicunt Suarez (4) aliique quos sequitur Mazella (5). Inter hos theologos quidam admittunt ex repetitione actuum virtutum per se infusarum effici ut *removeantur impedimenta* ad exercitium prædictorum actuum, v. gr. ut minuantur vitia opposita virtuti, et per hoc explicant facilitatem quam in exercendis actibus virtutis paulatim sibi acquirit majorem homo justificatus. Sed contra hanc sententiam recte arguit cl. P. Billot : « Considera quod vis efficiens actuum virtutis nusquam se extendit ad destructionem inclinationis vitiosæ contrariæ, nisi per hoc ipsum inducit positivam proclivitatem ad id quod est consentaneum virtuti, pro quanto scilicet, per actus humanos fit quædam inclinatio ad actus similes, et inclinatio ad unum genus minuit vel destruit inclinationem in oppositum, ut sensus communis dictat et sæpe etiam docet S. Thomas. Unde materialiter loquendo, idem est si dicas quod repetitio actuum virtutis infusæ destruit impedimenta ad virtutis exercitium, aut quod generat habitum conferentem positivam inclinationem propensivam in illud. Primum enim facere nequit nisi mediante secundo et valde inconsequenter loqui videntur adversarii, dum primum adstruunt et alterum negant » (6).

243. PROPOSITIO TERTIA. *Actus virtutum per se infusarum non sunt supernaturales quoad substantiam actus, sed tantum quoad modum ejus ; proinde supernaturalitas intrinseca his actibus provenit tota a principio subjectivo a quo eliciuntur et ideo illi actus sunt entitative supernaturales* (7).

Hæc propositio liberis theologorum disputationibus subjicitur.

Quid hic intelligitur per substantiam actus.

Prænotandum.

Quid sit *substantia* actus et quid *modus* ejus declaremus oportet. Actio seu operatio seu actus (qui hîc ut synonima adhibentur) est ipsa actualitas virtutis operativæ (8). Actio *vitalis* seu *immanens* est actio quæ tota quanta est remanet in ipso agente et est ejusdem perfectio. Omnis actio vitalis habet aliquod objectum ad quod terminatur, aliquem terminum quem attingit (9), et sic est quasi media inter potentiam operativam et terminum ; v. gr. actio videndi est ipsa perfectio qua *facultas visiva* (h. e. principium

---

(1) *De virtutibus cardinalibus,* tract. I, p. XXII s.
(2) *O. c.,* 50 ss.
(3) *O. c.,* t. VIII, n. 19.
(4) *De Gratia,* L. VI, c. 14, n. 10.
(5) *De Virtutibus infusis,* n. 83.
(6) *O. c.,* 51.
(7) Hæc propositio ponitur ad definiendum ulterius ipsam essentiam virtutum per se infusarum ; non tamen attingit directe sententiam qua asseritur dona, de quibus hîc loquimur, esse essentialiter habitus operativos ac virtutes stricte dictas. Hoc remanet verum, sive admittatur propositio quæ hîc statuitur, sive hæc rejiciatur.
(8) Cf. S. THOMAS, 1, q. 54, a. 1.
(9) Terminus potest esse aliqua res in esse physico producta, v. gr. *species expressa* in intellectu ; vel potest esse tantum res in esse intentionali, v. gr. res amata in esse amato. Cf. FERRARIENSIS, *In Summam contra Gentiles,* L. IV, c. 11 ; Cf. *Collat. Brug.,* t. VIII, p. 259, nota 3.

operandi) hîc et nunc *apprehendit* (h. e. ipsa operatio) *rem coloratam* (h. e. terminum in esse intentionali seu sensato).

Substantia igitur actus est ipsa essentia illius perfectionis quæ est proprie *operari ;* modus actus est aliquid accedens ipsi operationi, eamque modificans, quin operationem essentialiter mutetur. V. gr. apprehendere rem coloratam, ut sic, est substantia actus ; major vel minor perspicacitas (physica) in videndo est modus actus ; amare Deum super omnia, quia est in semetipso infinite bonus, est substantia actus ; intensitas major vel minor in amando est modus actus.

Si ad invicem conferuntur actus *quoad substantiam* ipsorum, diversitas, quæ proinde est essentialis seu specifica, inter illos desumitur ex formali ratione qua attingunt terminum (1): secundum rationem formaliter diversam attingendi terminum, erit realiter diversa ipsa actualitas facultatis operativæ seu diversa erit ipsa realitas activitatis, qua talis. Si v. gr. comparantur actus *videndi* et actus *tangendi,* omnino evidens est diversitas actuum *quoad substantiam* ipsorum : *videndo* apprehendo rem præcise quatenus est *colorata, tangendo* apprehendo rem præcise quatenus est *dura* vel *mollis :* in duobus actibus realitas activitatis est diversa. Sed in eadem etiam operativa facultate, possunt esse actus *quoad substantiam* diversi : v. gr. in intellectu actus *credendi* est quoad substantiam diversus ab actus *sciendi* (2): *fides* enim est firma mentis assensio in aliquod propositum enuntiabile præcise propter attestationem alterius (3); *scientia* vero est firma mentis assensio in aliquod propositum enuntiabile præcise propter perspectam (*mediata* sed intrinseca evidentia) connexionem quæ viget inter subjectum et prædicatum (4).

Facile perspicitur actum credendi esse *quoad substantiam* actus diversum ab actu sciendi : aliter enim attingitur terminus in utroque actu : v. gr. hæc propositio : « anima humana est spiritualis » admitti potest quia hoc testantur docti, tunc est *credere ;* vel quia perspicitur (evidentiâ *mediatâ*) intrinseca connexio et necessaria convenientia inter subjectum et prædicatum, tunc est *scire.*

---

(1) Eamdem sententiam exprimunt philosophi et theologi dicendo *actus specificari ab objecto formali :* sed diversitas magna necnon et obscuritas viget in ulteriori explicatione quam tradunt Auctores de hoc termino : objectum *formale.* cf. *Collat. Brug.,* t. XII, p. 758 ; t. XIII, p. 247, nota 1.

(2) Cf. DE JAEGHER, o. c., n. 162, 182.

(3) Tunc habetur de re cui assentimur evidentia *extrinseca,* quæ duplex deinde distinguitur, nempe evidentia in *attestante* et evidentia *credibilitatis.* Cf. BILLOT, *De Ecclesia,* t. I, p. 34 ; *De virtutibus infusis,* p. 199 ; PESCH, *Theologische Zeitfragen,* t. V, p. 116 ss ; 210 ss. ; *Collat. Brug.,* t. XI, p. 628 s., t. XIV, p. 203.

(4) Evidentia *intrinseca* distinguitur duplex : *immediata* et *mediata.* Quando habetur evidentia *immediata,* actus ab ipsa determinatus dicitur, stricte loquendo, *intellectus;* quando habetur evidentia intrinseca *mediata,* actus ab ipsa determinatus, dicitur, stricte loquendo, *scientia.*

Alia autem est realitas activitatis intellectus in hoc credendo ac in hoc sciendo. Quod confirmatur ex hac consideratione : credere non fit nisi imperio voluntatis, scire vero determinatur in intellectu ab ipsa evidentia intrinseca (1). Etiam in voluntate et nominatim in actibus virtutum dantur actus, quoad substantiam diversi : v. gr. velle dare alicui id quod ipsi debitum, actus justitiæ est, et est, quoad substantiam actus, diversus ab actu volendi pati mortem, qui est actus fortitudinis.

244. Actus virtutum per se infusarum non esse supernaturales quoad substantiam actus demonstratur.

Demonstratur 1ª Pars. Hoc posito ostendere intendimus actus virtutum per se infusarum non *quoad substantiam actus* differre ab actibus naturalibus correspondentibus, scilicet supernaturaliter credere, sperare, diligere, obedire, etc., non esse aliud credere, sperare, diligere, obedire, etc., ac si fierent illi actus mere naturaliter.

A. Hoc constat, ut videtur, sequenti consideratione : 1) Nulla potest esse ratio vere probabilis denegandi *naturali* hominis *intellectui* physicam potentiam *credendi* propter auctoritatem Dei revelantis (2) : etenim supposita revelatione a Deo facta, suppositis cognitis illis veritatibus quæ prærequiruntur ad judicium credibilitatis et credenditatis, potest homo naturaliter judicare esse credendum et voluntas potest imperare assensum intellectus. Et non est sub hoc respectu distinguendum inter veritates quæ sunt naturaliter cognoscibiles et veritates quæ sunt simpliciter suprà captum intellectus humani, seu mysteria proprie dicta : nam quando agitur de fide divina, motivum formale actus est auctoritas Dei testantis, proinde idem est *modus tendendi in objectum,* seu eadem est *substantia assensus,* sive objectum materiale sit veritas naturaliter cognoscibilis, sive sit mysterium. Quod autem diximus de actu fidei, hoc debet propter paritatem rationis dici de actibus spei, charitatis ac virtutum moralium qui omnes possunt naturaliter effici. Ita v. gr. « cogita hominem qui ex quacumque ratione sibi persuaserit dari aliquam vitam superiorem [in ordine morali], eique annexam altiorem quamdam temperantiæ regulam secundum quam oportet affligere corpus et in servitutem redigere. Non posset homo per sua naturalia assumere uno die jejunium et quidem ex tali motivo ? Non posset ex motivo eodem induere per horam cilicium aut modicam sibi imponere flagellationem » (3) ?

2. Homines, qui de sua justificatione habent certitudinem imperfectam, sed veram (de qua suprà, n. 199), si actus virtutum quos ponunt analysi subjiciuntur, non inveniunt in substantia illorum actuum aliquid quo innotescant *ut supernaturales ;* conscientia

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. XIV, p. 258 s.
(2) Cf. BILLOT, *De virtutibus infusis*, p. 76.
(3) BILLOT, *o. c.*, p. 87. cf. *Collat. Brug.*, t. XII, p. 757.

psychologica cognoscunt se credere propter auctoritatem Dei revelantis : si vero hoc *credere* analysi subjiciunt, inveniunt se *credere* Deo eadem ratione ac credunt homini. Et iterum quoad aliarum virtutum actus, sperare, diligere, obedire, etc ; experiuntur se ponere actus quoad substantiam eosdem ac sunt actus virtutum naturalium correspondentium, actus quorum essentiam cognoscunt etiam naturali rationis lumine. Si tamen actus virtutum per se infusarum esset, quoad substantiam actus, diversæ speciei ab actibus naturalibus correspondentibus, hæc diversitas deberet innotescere conscientiæ psychologicæ : quia actus totus, prout elicitus a facultate operativa, est objectum conscientiæ. — Hoc assertum confirmatur doctrina communi theologorum docentium hominem non posse habere certitudinem perfectam de sua justificatione, præcise quia supernaturalitas actuum virtutum per se infusarum, et signanter charitatis, non innotescit conscientiæ psychologicæ. Si enim supernaturalitas illorum actuum immutaret ipsam substantiam actus, hæc supernaturalitas innotesceret conscientiæ, et tunc cognosceret homo certitudine perfecta se hîc et nunc elicere actum charitatis supernaturalis et proinde justificari vel justificatum esse.

244bis. Difficultas solvitur.

Obj. Si objectum quod attingitur actu virtutis infusae est supernaturale quoad substantiam ille actus etiam debet esse supernaturale quoad substantiam ; atqui objectum quod attingitur fide infusa est supernaturale quoad substantiam, quatenus continet mysteria stricte dicta ; ergo.

R. Nego antecedens. Nam veritas, de qua hîc agitur, nempe, mysterium stricte dictum, licet superet omnino intellectum omne creatum, tamen nobis proponitur sermone humano et apprehenditur a nobis per species acquisitas et a sensibilibus abstractas eodem modo quo res omnes naturales. Unde actus fidei infusae *quoad substantiam actus*, h. e. formaliter quia *cognoscitivus* est, seu quia est adhaesio ad veritatem a Deo nobis revelatam, non est essentialiter diversus ab actu credendi qui fieret absque virtute infusa. E contrario, visio intuitiva Dei, v. gr., formaliter quia cognoscitivus, qua attingit suum objectum, est essentialiter diversus a quolibet naturali intellectus actu, illumque omnino superat : ideo intuitiva Dei visio est supernaturalis *quoad substantiam actus*.

245. Sententia confirmatur auctoritate theologorum præsertim S. Thomæ,

B. Accedit auctoritas gravium theologorum, quorum dicta exponemus.

Imprimis ipse S. Thomas hanc sententiam docet : tenet enim actum charitatis *supernaturalis* non posse distingui a charitate naturali, quia primus actus est similis alteri, ergo quoad substantiam actus. « Actus ille dilectionis quum in nobis percipimus, secundum illud quod de illo est perceptibile, non est sufficiens signum charitatis, propter similitudinem naturalis dilectionis ad gratuitam » (1).

« In actibus ipsius charitatis non possumus sufficienter percipere quod sint a charitate eliciti, propter similitudinem dilectionis naturalis cum dilectione gratuita » (2).

---

(1) *De veritate*, q. 10, a. 10 ad 1.
(2) *Quodlibet*, 8, q. 2, a. 2.

Explicite dicit S. Thomas actum charitatis salutaris, qui procedit a virtute infusa, esse supernaturalem *quoad modum, non quoad substantiam actus :* « Omne donum gratiæ hominem elevat ad aliquid quod est supra naturam humanam. Quod quidem potest esse dupliciter : uno modo quantum ad substantiam actus, sicut miracula facere et cognoscere incerta et occulta divinæ sapientiæ, et ad hos actus non datur homini donum gratiæ habituale ; alio modo est aliquid supra naturam humanam quantum ad modum actus, non autem quantum ad substantiam ipsius ; sicut diligere Deum et cognoscere eum in speculo creaturarum : et ad hoc datur donum gratiæ habituale » (1).

Circa hanc S. Thomae responsionem scribit cl. P. Pègues (2) : « Nous venons d'entendre saint Thomas distinguer un double terme de l'activité humaine sous l'action de la grâce : l'un qui dépasse la nature humaine, quant à la substance de l'acte ; l'autre, qui la dépasse quant à son mode seulement. Et, à cette seconde, catégorie, saint Thomas rattache tout ce qui a trait à la vie morale surnaturelle de l'homme, sans en excepter les actes des vertus théologales ». In hoc sensu tenemus actus virtutum infusarum esse supernaturales *quoad modum,* nec rationem videmus recedendi a terminologia quam adhibuit S. Thomas in hac sententia.

Capreoli, Capreolus sententiam S. Thomæ sic exponit :

« Ex quibus patet quod non intendit sanctus Doctor dicere quod habitus charitatis exigatur ad actum dilectionis Dei *propter substantiam actus,* sicut arguens [Aureolus] credit, nec propter aliquam circumstantiam nobis notam, vel a nobis experibilem, quam habeat actus elicitus a voluntate informata habitu charitatis, et non habeat sine charitate elicitus ab eadem voluntate ; sed intendit quod, ad hoc quod voluntas eliciat actum dilectionis Dei perfectum, quantum ad omnia requisita ad bonitatem actus meritorii, necessario exigitur quod sit informata habitu charitatis » (3).

Cajetani, Cajetanus etiam dicit : « Credere, sperare, diligere Deum, confiteri ipsum Jesum Christum, potest homo per sua naturalia *quantum ad substantiam operum* adimplere, et non inquantum implentur ex spe et fide et caritate [infusis]. Et quod hoc sit verum, ex eo convincere possumus quod gentilis edoctus fidem, nolens esse Christianus, cum hoc posset credere totam fidem esse veram, ut Ecclesia tenet : constat enim quod talis nulla supernaturali gratia adjutus crederet. Posset quoque idem sperare se fore beatum in cœlo : quamvis inanis esset spes ejus, sicut et fides [utpote naturales] » (4). Docet etiam *ideo* non posse certitudine perfecta nos experiri habere gratiam *quia similes* sunt actus nostri, qui procedunt ex gratia, et actus qui fiunt extra gratiam ex naturalibus viribus (5).

D. Soto, D. Soto tres ponit conclusiones de re nostra connexas ad invicem :

---

(1) 2-2, q. 171, a. 2 ad 3. Actus quo fit *miraculum,* abstractione facta a sententia qua explicatur hæc actio (cf. *Collat. Brug.,* t. VI p. 443 ss.), est *quoad substantiam* supernaturalis quia nequit pertinere ad aliquam speciem actionum quæ est debita alicui creaturæ: nulla enim potest virtute propria attingere effectum qui est miraculum. — Visio Dei intuitiva est actio quæ est *quoad substantiam* supernaturalis : quia nulla creatura naturalibus suis viribus potest efficere hanc cognitionem : intellectu sc. apprehendere ipsum Deum immediate in sua essentia : hæc realitas operationis est omnino diversa a qualibet alia operatione.

(2) *Comment. franc. litt. de la Somme théologique,* t. XIV, p. 13 s.

(3) In I, dist. 17, q. 1, a. 2 (t. II, p. 81). Cf. in II, dist. 28, q. 1. a. 3, 1 (t. IV, p. 296).

(4) In 1-2, q. 109, a. 4, n. VI.

(5) In 1-2, q. 112, a. 5. Cf. in 2-2, q. 171, a. 2.

« Ex his tria eliciuntur minime silenda. Primum quod singula præcepta impleri semper possunt extra gratiam, etiam ubi nulla subsequatur gratia: non quidem ut obsequium sit Deo acceptum, sed ut se homo a nova culpa eripiat : quoniam modus, scilicet ex toto corde, non est de essentia aliorum præceptorum... Secundum quod ex supradictis elicitur, est, quod nullus prorsus est actus unus singularis in viro justo, cujus similis *quantum ad substantiam* esse non possit in eo qui est extra gratiam Dei. Imo vero cum per se notum sit celebratissimum illud axioma, quod bonum est ex integra causa, malum autem ex defectu cujuscumque necessariæ circumstantiæ, nullus est actus adeo heroicus, quin mutata circumstantia fiat malus.... Postremo denique ex illis colligimus, neminem, citra privilegium speciale revelationis, certum esse posse sui status : puta an sit in gratia, nec ne. Cum enim misericordia Dei nostra exigat opera : quæ, ut modo dicebamus, similia esse possunt in justificato, et in eo qui ob inscitiam aliquam extra gratiam Dei est, non restat unde talem certitudinem habeat, qualis est scientiæ aut catholicæ fidei. Talem enim omnino amorem Dei in se experitur infidelis et hæreticus, *quantum ad substantiam*, qualem catholicus, eodemque fervore et conatu mortem appeteret pro sua fide, sed de hoc justum tractatum fecimus lib. 3 » (1).

Eamdem sententiam tuentur Molina (2), De Lugo (3), etiam, ut videtur, de Ripalda (4), copioseque exponit Billot (5). *Molina, Lugo, Ripalda, Billot.*

Contradictoriam sententiam propugnant Suarez (6), Mazzella (7), aliique ab his auctoribus citati.

246. Nota de alia distinctione inter substantiam actus et modum ejus.

Nota. Exposuimus quo sensu dicendum sit actus virtutum per se infusarum non esse supernaturales quoad substantiam actus, sed quoad modum. Cavendum autem ne hunc loquendi modum confundas cum distinctione quæ alium omnino sensum habet et qui adhibetur a theologis « qui adstruentes duplex auxilium gratiæ, unum elevans, alterum mere sanans (v. suprà n. 86 ss), consequenter dividunt actus supernaturales in supernaturales quoad substantiam et supernaturales quoad modum tantum. Nam in hoc modo dicendi, actus supernaturalis quoad substantiam idem est ac actus *intrinsece* supernaturalis. Supernaturalis vero quoad

---

(1) *De natura et gratia*, L. I, c. 22 (f. 22) ; cf. L. II, c. 14 in fine (f. 117 verso), c. 16 ad 1 (f. 161 verso).

Ex testimoniis quæ ex S. Thoma, Capreolo, Cajetano, et D. Soto attulimus, videtur hanc opinionem, quam exposuimus, esse eamdem quam cl. P. Gardeil (*Revue pratique d'apologétique*, t. VIII, p. 274 s.), censet tribuendam Jesuitis qui scripserunt post exortam hæresim Baii et Jansenii. Cæteroquin multi Jesuitæ, inter quos Suarez, eamdem tenent sententiam quam acerbius æquo propugnat P. Gardeil et ex qua aliquam trahit conclusionem quæ minime admittenda videtur. Cf. *Collat. Brug.*, t. XIV, p. 108 s.

(2) *Concordia*, Disp. 7, (p. 30 ss.), disp. 13, (p. 59 s.), disp. 29 (p. 191), disp. 38 (p. 211 ss.).

(3) *De Fide*, disp. 1, sect. 4, n. 38.

(4) *De ente supernaturali*, disp. 45. Sed valde mirum est assertum quod ibi (sect. 2) exprimit : « in mea sententia... potentiæ vitales non distinguuntur realiter ab anima ». De reali distinctione potentiarum inter se et ab anima, cf. DE JAEGHER, *o. c.*, n. 380 ss., 444; REMER, *Summa prælectionum philosophiæ scholasticæ*, t. II, p. 129, n. 193.

(5) *De virtutibus infusis*, p. 72-83.

(6) *De Gratia*, L. II, c. 11 ss.

(7) *De Gratia*, n. 64 ss.

modum est actus intrinsece naturalis cui accedit *extrinseca* denominatio supernaturalitatis, quatenus fit ex medicinali adjutorio a Deo dato in hunc finem, ut homo faciendo quod in se est per vires naturæ, negative se disponat ad receptionem auxilii entitative supernaturalis » (1). Tenemus autem, ut statim declarabimus, actus virtutum per se infusarum, licet sint, quoad substantiam actus, naturales, esse tamen *entitative* supernaturales, et quidem quoad totam entitatem actus.

247. **Declaratur 2ª pars.** Admisso quod actus virtutis per se infusæ, quoad substantiam ejus, h. e. præcise quatenus est operatio et formaliter quoad rationem quo ipsum terminum attingit, non est diversus ab actu naturali correspondente, sequitur quod ipsa supernaturalitas non consistit in aliqua speciali ratione attingendi terminum ; sed supernaturalitas tota provenit ex principio a quo elicitur actus : hoc enim principium est *facultas operativa naturalis,* puta voluntas, quatenus est *elevata* per habitum infusum, puta charitatem : hic habitus intrinsece omnino elevat voluntatem eamque, ut sic loquar, intime penetrat ; porro actus elicitus a facultate sic elevata est etiam intrinsece seu entitative elevatus : tota nempe entitas hujus actus est producta a facultate perfecta per qualitatem infusam, et proinde *tota entitas* actus est vere supernaturalis. In hoc igitur differunt actus virtutum per se infusarum ab actibus naturalibus correspondentibus quod *hi* actus procedunt a facultatibus connaturaliter nexis cum humana natura ab eaque dimanantibus, cum *illi* actus e contrario procedunt a quasi-facultatibus connaturaliter nexis cum, nova quasi-natura quæ est gratia sanctificans.

Gratia sanctificans et virtutes infusae sunt habitus *per se* infusi, adeoque sunt essentialiter supernaturales et specifice diversi a quolibet habitu acquisito. Si quis dicat virtutem infusam esse aliquid *quoad substantiam* supernaturale non contradicimus; sed inde non sequitur quod operatio, quae elicitur a facultate naturali elevata per virtutem infusam, sit supernaturalis *quoad substantiam* IPSIUS ACTUS.

248. *De fide quatenus est virtus.* **Adnotatio.** Diximus n. 238 fidem esse *virtutem* stricte dictam : hæc enim est habitus operativus bonus in ordine morali, nempe inclinans positive animam ad actum liberum (libertate indifferentiæ) et conformem regulæ supremæ secundum quam agere debemus, scilicet ipsius Dei voluntatem.

---

(1) BILLOT *O. c.*, 78 s. — Suprà p. 3, n. 5, nota 3, distinximus entitatem quæ est *secundum* se, quoad substantiam suam, *supernaturalis,* ab entitate quæ est, secundum se, naturalis, sed quæ producitur modo supernaturali : hæc entitas dicitur supernaturalis *quoad modum* tantum. Talis est effectus qui *miraculose* producitur. Hæc distinctio non est confundenda cum distinctione quam hîc tradimus.

Actus autem fidei excellentia præsertim in hoc est quod per hunc reddimur participes ipsius divinæ cognitionis ; quod præsertim habetur in fide de mysteriis proprie dictis, quippe quæ sunt veritates quas homo non potest per sua naturalia detegere. Homo *credendo* subjicit intellectum suum auctoritati divinæ, et sic *obsequium* præstat Deo ; sed simul elevatur ad perfectionem altissimam ipsi prorsus indebitam (1).

Fidem divinam, præsertim in quantum *virtus* est, rejicit Kant : quippe qui a priori negat fieri posse a Deo revelationem veritatis, quia censet non posse a Deo imponi obligationem credendi (2).

Modernistæ etiam fidem, quæ et quatenus actus virtutis est, penitus destruunt : nam a) cognoscibilitatem revelationis a Deo factæ negant, b) proinde *intellectus* assensum firmum in rem a Deo revelatam rejicientes, nomine fidei decorant aliquem affectum spontaneo modo (non per electionem) surgentem ex indigentia τοῦ divini (3).

Caput II

DE DONIS SPIRITUS SANCTI.

Articulus Ius. **De existentia donorum Spiritus Sancti.**

249. Donorum Spiritus Sancti existentia suadetur ex S. Scriptura.

Propositio. *Probabile est existere dona Spiritus Sancti realiter distincta a virtutibus per se infusis.*

Ostendimus propositionem asserentem dari virtutes morales per se infusas, non quidem omnino certam, sed esse valde probabilem et multo probabiliorem contradictoria sententia. Non eadem sed minori probabilitate asseritur præsens propositio.

Ex. S. Scriptura suadetur illorum donorum existentia, nempe ex verbis Isaïæ : « Et egredietur virga de radice Jesse et flos de radice ejus ascendet. Et requiescet super eum spiritus Domini: spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis et replebit eum spiritus timoris Domini » (4).

Hac in pericopa agitur directe de *Messia* quatenus est sub in-

---

(1) Cf. Pesch, *Theologische Zeitfragen*, t. V, p. 36. : Die Würde des Glaubens.

(2) Cf. Sentroul, *La philosophie religieuse de Kant* (*Extrait de la Revue des Sciences philosophiques et théologiques*, t. IV, 1910) p. 58 ss.

(3) V. suprà n. 28-29. Quoad Modernistarum placita de fide et de notione dogmatis cf. Pesch, *o. c.*, IV, p. 39 ss. ; Rosa, *L'enciclica Pascendi*, Roma, 1909, p. 121 ss. ; Ballerini, *La crisi del pensiero moderno e le basi della fede*, Roma, 1910, p. 210 ss.; Donat, *Die Freiheit der Wissenschaft*, Innsbruck, 1910, p. 65 ss.

(4) *Is.* XI, 1-2. In textu hebraïco *pietas* non nominatur ; numerum tamen septenarium donorum indicari in textu hebraïco omnes protestantes concedunt dicit Knabenbauer, *Commentarius in Isaïam*, t. I, p. 271 ss. Suarez, *De gratia*, L. VI, c. 10, n. 10 dicit de numero donorum nihil esse certum. Cf. Claeys Bouuaert. *Collat. Gandav.* t. I, p. 192 ss.

fluxu ipsius Dei. « Spiritus Domini ipsum dicit Deum quatenus vi ac virtute sua et luce hominis mentem animumque pervadit et penetrat, hominis actiones sibi reddit subservientes et hominem ipsum ad majora et intelligenda et perpetranda evehit. Primum igitur de *Messia* enuntiatur eum permanenter influxui divino Deoque in se inhabitanti substare ac vi ac virtute divina perpetuo regi, luce divina perenniter collustrari » (1).

Porro influxus ille Dei super Messiam non absque probabilitate dicitur etiam inesse justificatis hominibus ; etenim dona Spiritus Sancti collata sunt Christo ut est caput Ecclesiæ et consequenter per Christum descendunt ad ejus membra, nempe ad singulos justos (2).

Quæstio autem occurrit hæc : *utrum influxus a spiritu Dei descriptus in loco citato verificetur in donis permanenter animæ inhærentibus, et realiter distinctis a virtutibus infusis :* nam non quæritur utrum sit influxus supernaturalis Dei permanens in homine justificato : hoc jam demonstravimus ; etiam non dubium est quominus Deus gratiis actualibus influat transeunter in intellectum et voluntatem justificati et sic producat effectus quales hîc describuntur : sapientiam, scientiam, fortitudinem, etc.

Propositæ autem quæstioni respondetur cum probabilitate affirmative : ratio autem est illorum donorum descriptio quæ videtur indicare dona diversa a virtutibus et permanenter inhærentia.

Quoad hoc secundum, nempe *permanentiam,* hæc suadetur ex verbis « et *requiescet* super illum spiritus Domini : spiritus sapientiæ... » sic enim videtur indicari influxus permanens in anima. Quoad *naturam* donorum : « *Sapientia* quidem latissime dicitur ; complectitur enim rerum cognitionem omnium rectumque de illis judicium et præprimis investigationem ac notionem rerum absconditarum ; ita tamen ut in sacris litteris is solum sapiens dicatur sensu vero, qui res non solum ut in se sunt cognoscat, verum qui præprimis res ad Deum auctorem ac judicem rerum referens quasi notione divinitus hausta eas æstimet... *Intellectus*... denotat acrem discernendi ac dijucandi vim... ex qua vera in agendo prudentia enascitur... Hæc duo jam præbent basim ac fundamentum pro *consilio,* quo scilicet dono instructus in rebus difficilibus quid factu opus sit non solum videat, verum etiam cum aliis ita et velit et possit communicare, ut eis sit auxilio et saluti... Huic tamquam operum effectrix accedit *fortitudo,* animi robur invictum ac constans, quo quæ bene cognita et optimis consiliis decreta sunt, pari alacritate et vigore ac perseverantia operi mandantur. Cunctis

---

(1) KNABENBAUER, *o. c.*, p. 270.
(2) Ita PESCH, *Prælectiones dogmaticæ,* t. VIII, *De virtutibus,* n. 98.

autem subest tamquam fons et radix *scientia,* Dei cognitio in intellectu, et *pietas* et *timor,* amor Dei et maxima ejus reverentia in voluntate » (1). Hæc est donorum notio quæ ex obvio sensu vocabulorum eruitur ; jamvero illorum essentia non coïncidit cum essentia virtutum, sed videtur indicare aliquem ulteriorem influxum Dei in anima justi : inde concluditur probabiliter ad realem illorum distinctionem a virtutibus per se infusis.

250. Confirmatur ex auctoritate multorum theologorum.

Confirmatur conclusio auctoritate multorum theologorum, nominatim S. Thomæ (2), S. Bonaventuræ (3), Suarez (4), Mazzella (5), Pesch (6), Billot (7), Terrien (8), Froget (9), Gardeil (10). Schiffini (11) censet tria priora dona, sapientiæ, intellectus et scientiæ esse realiter distincta a virtutibus : quia certe nequeunt confundi cum virtutibus quæ resident in parte appetitiva, siquidem afficiunt immediate intellectum ; neque confundi possunt cum prudentia, quippe quæ est habitus practicus, dum contra illa dona sunt principaliter speculativa ; neque confundi possunt cum fide, quippe quæ potest remanere in peccatore ; quum e contrario dona sint propria justis. Censet prælaudatus auctor non distingui a virtutibus alia dona, sed *consilium* confundi cum prudentia, *fortitudinem* cum virtute ejusdem nominis, *pietatem* ac *timorem* cum religione ac charitate. Sed, ut statim exponemus in articulo II, ratio distinctionis inter dona et virtutes præcipue desumenda est ex diversa ratione operandi quæ convenit tum virtutibus tum donis.

Nota. Nullus theologus negat *effectus supernaturales* qui designantur per nomina *sapientiam, intellectum, consilium* etc., revera dari a Spiritu Sancto homini justo et hos postulari ab Ecclesia, v. gr. his verbis : « Veni Sancte Spiritus... da tuis fidelibus sacrum septenarium », sed quæstio theologica est de essentia entitatum quibus obtinentur illi effectus, utrum scilicet obtineantur gratiis actualibus an vero habitualibus, et, si habitualibus, utrum hi habitus sint realiter distincti a virtutibus per se infusis, qua de re sermo erit in articulo sequenti.

---

(1) KNABENBAUER, *o. c.*, p. 270 s.
(2) 1-2 q. a. 1.
(3) In III, dist. 34, p. 1, a. 1, q. 1. (p. 736) Cf. scholion hoc loco insertum ab editoribus (t. III, p. 739).
(4) *De gratia,* L. II, c. 17, n. 9.
(5) *De virtutibus infusis,* n. 261.
(6) *O. c.*, n. 111.
(7) *De virtutibus infusis,* thes. VII, p. 171 ss.
(8) *La grâce et la gloire,* t. I, p. 188 ss.
(9) *De l'habitation du Saint-Esprit,* p. 378 ss.
(10) Ap. VACANT-MANGENOT, *Dict. de théol. cath.*, art. *Dons,* col. 1738 s.
(11) *De gratia,* n. 216.

ARTICULUS IIus. **De essentia donorum Spiritus Sancti.**

251. Exponitur dona Spiritus Sancti esse dispositiones habituales quibus justus redditur prompte mobilis ab instinctu Spiritus S.

De hac re genuinam S. Thomæ mentem exponere conabimur.

PROPOSITIO. *Dona Spiritus Sancti sunt dispositiones habituales quibus homo justus redditur bene seu prompte mobilis ab instinctibus Spiritus Sancti* (1).

Declaratur.

S. Thomas utitur sequenti ratiocinio : Omne quod movetur debet esse proportionatum suo motori ; atqui homo justus movetur speciali quadam ratione a Spiritu Sancto ; ergo debet disponi ad recipiendas illas motiones. Sed ad illas motiones non disponitur per virtutes infusas; ergo requiruntur aliæ perfectiones, quæ sunt dona Spiritus Sancti.

1. *Major* est principium quoddam generale *convenientiæ :* potest quidem homo moveri per instinctus Spiritus Sancti absque prævia dispositione positiva ad illos, et sic revera movetur peccator ; sed quum justus ut in via justitiæ perseveret et progrediatur indiget instinctu supernaturali convenit ut habitualiter disponatur ad illos bene recipiendos.

3. *Minor prima* supponit doctrinam quam fusius exponemus in sectione sequenti, ubi sermo erit de gratia actuali. Supponimus nunc, dari gratias actuales, quæ sunt instinctus Spiritus Sancti et his instinctibus indigere hominem justificatum. Illi porro instinctus, secundum sententiam quam propugnabimus, important motionem in intellectu vel voluntate receptam, per quam facultas prædeterminatur ad actum indeliberatum spiritualis illuminationis vel spiritualis affectus. Inde instinctus Spiritus Sancti *secundum se* consideratus est ipsa præmotio supernaturalis, consideratus vero *secundum effectum,* sic nihil aliud est quam ipse actus indeliberatus qui dicitur esse in nobis sine nobis : *sine nobis* quidem, quatenus minime procedit ex determinatione liberi nostri arbitrii ; *in nobis* tamen et a nobis tamquam a vitali principio sub prædeterminatione motionis divinæ ipsum eliciente (2).

3. *Minor secunda* declaratur. Ad illos recipiendos instinctus non proprie disponunt virtutes per se infusæ : quippe quæ perficiunt hominem ad agendum *deliberate.*

Virtutes enim per se infusæ, uti suprà, n. 237 ss., declaravimus, sunt habitus operativi, qui intrinsece inclinant intellectum vel voluntatem ad eliciendos actus *virtuosos* deliberatos supernaturales. Porro ad illos actus eliciendos sequitur homo judicium rationis elevatæ per fidem. Ita v. gr. in ordinario cursu vitæ hominis justi-

(1) Cf. S. THOMAS, 1-2, q. 68, a. 1.
(2) Ita BILLOT, *De virtutibus infusis,* p. 178.

ficati, prudentiæ infusæ est dirigere hominem in electione actuum quibus tendit ad finem ultimum. Munus autem prudentiæ est consiliari de hoc quod est agendum, providere, etc., tandem præcipere : qui est præcipuus prudentiæ actus (1).

Sed fieri potest et fit ut ipse Deus immediate intellectum hominis determinet ad cognoscendum practice id quod est ipsi agendum, absque prævia deliberatione (2). Jamvero ad tales instinctus convenienter recipiendos dantur dona Spiritus Sancti; quorum proprium munus seu « formalis effectus est veluti adaptare facultates ad Spiritum Sanctum ut ad proprium motorem, in quacumque differentia seu genere spiritualium motionum. Ex quo fit ut homini instructo hujusmodi habitibus, debitæ jam sint spirituales inspirationes et quidem de lege constanti et ordinaria » (3).

Inde intelligitur quod habet S. Thomas : « Manifestum est autem quod virtutes humanæ hominem perficiunt secundum quod natum est moveri per rationem in his quæ interius vel exterius agit. Oportet igitur inesse homini altiores perfectiones, secundum quas sit dispositus ad hoc quod divinitus moveatur. Et istæ perfectiones vocantur dona : non solum quia infunduntur a Deo ; sed quia secundum ea homo disponitur ut efficiatur prompte mobilis ab inspiratione divina... Et Philosophus etiam dicit... quod his qui moventur per instinctum divinum non expedit consiliari secundum rationem humanam, sed quod sequantur interiorem instinctum : quia moventur a meliori principio quam sit ratio humana » (4).

« Ad quorum pleniorem intellectum, scito quod imaginamur quod

---

(1) Cf. S. THOMAS, 2-2, q. 47, a. 8.

(2) Instinctus Spiritus Sancti sæpe miscentur ordinariis cogitationibus quæ connaturaliter exsurgunt in mente hominis qui prædicationem veritatis christianæ audit, vel piam facit lectionem vel meditatione rerum spiritualium occupatur. (Cf. *De imitatione Christi ;* L. III. c. 2). Quandoque speciali modo afficiunt mentem ita ut speciali titulo vocentur *visitationes* Domini (Cf. BILLOT, *o. c.*, n. 178). Tandem ad actus extraordinarios dantur instinctus Spiritus Sancti : illis tribuendum est v. gr. quod quidam sancti ultro sese suppliciis ac morti tradiderunt ad fidem christianam profitendam. Talis etiam instinctus videtur haberi in facto quod narratur in vita S. Vincenti a Paulo.

« Pendant qu'il était aumônier de la reine Marguerite de Valois, Vincent de Paul rencontra chez la princesse un docteur de Sorbonne, alors connu, dont le nom a été tu par discrétion sans doute. Le savant personnage, un peu grisé peut-être par son savoir fut subitement assailli par des doutes contre la foi, qui de jour en jour plus violents, finirent par ébranler si bien ses convictions qu'il se sentait au moment de perdre toute croyance ; son angoisse était si vive que sa raison elle-même était en péril. Il confia à Vincent de Paul ses troubles et son désespoir. Profondément ému, Vincent essaya mais vainement de ramener la paix dans cette âme troublée. Voyant l'impuissance des raisonnements, il eut soudain une de ces inspirations héroïques comme les saints sont seuls à les avoir, parce qu'ils sont seuls capables de les mettre à exécution. Il pria, et dans sa prière s'offrit lui-même à Dieu pour supporter l'épreuve dont il voulait délivrer celui pour qui il priait. Sa demande fut exaucée : l'objet de sa sollicitude fut instantanément délivré de ses angoisses, mais à mesure que la lumière renaissait pour toujours dans son âme, les horreurs du doute envahissaient celle de Vincent ». EMM. DE BROGLIE, *St Vincent de Paul,* Paris, 1900, p. 27 s.

(3) BILLOT, *o. c.*, p. 179.

(4) 1-2, q. 68, a. 1.

in homine est triplex subordinatum movens ad actus bonos : scilicet mens humana prædita *lumine naturali* et prudentia ; mens humana prædita *lumine gratiæ et fidei ;* et mens humana pulsata *instinctu Spiritus Sancti.* Et ad hoc ut vires animæ obediant primo motori, ponuntur virtutes morales *acquisitæ,* tendentes ad media et fines ab ipso motore præstitutos. Ad hoc autem ut eædem vires obediant secundo motori superiori, ponuntur virtutes morales *infusæ,* tendentes ad media et fines ab illo motore præstitutos. Ad hoc autem quod non solum eædem, sed omnes vires animæ obediant supremo motori, ponuntur *dona* tendentia in fines proprios a tali motore ostensos » (1).

Leo XIII in encyclica « Divinum illud » agens de *donis* Spiritus Sancti horum notionem describit secundum doctrinam S. Thomae : « Hoc amplius, homini justo, vitam scilicet viventi divinae gratiae et per congruas virtutes tamquam facultates agenti, opus plane est septenis illis quae proprie dicuntur Spiritus Sancti donis. Horum enim beneficio instruitur animus et munitur ut ejus vocibus atque impulsioni facilius promptiusque obsequatur » (2).

252. Differentia donorum a virtutibus.

Corollarium 1um. *Non igitur a virtutibus differunt dona in hoc quod hæc dantur ad actus heroïcos, virtutes vero ad actus ordinarios ;* sed differentia propria est in hoc quod dona disponunt ad instinctus Spiritus Sancti et proinde eliciunt actus *indeliberatos;* virtutes vero inclinant ad eliciendos actus *deliberatos.* Ad rem S. *Thomas*[e]*:* « dona excedunt communem perfectionem virtutum, non quantum ad *genus operum,* eo modo quo consilia excedunt præcepta; sed quantum ad *modum operandi,* secundum quod movetur homo ab altiori principio » (3).

Attamen recte notat Card. Billot : « Illi actus qui in sublimiori eminent perfectionis gradu, peculiari quadam ratione ad dona referuntur. Hoc enim ideo est, quia si virtutes non excitarentur seu adjuvarentur per specialem et familiarem instinctum Spiritus Sancti, nusquam in tantam sublimitatem erumperent, propter tot ac tanta obstacula quæ perfecto earum exercitio afferunt et infirmitas carnis et obscuritatis intellectus. Et in hoc sensu S. Thomas (1-2, q. 63, a. 1)... subdit : « Et hoc est quod quidam dicunt, quod dona perficiunt hominem ad altiores actus quam sint actus virtutum », pro quanto scilicet virtutes separatim accipiuntur ab adjutorio donorum » (4).

253. Dona dantur in adjutorium virtutum.

Corollarium 2um. *Dona dantur in adjutorium virtutum.* Etenim « actus donorum faciunt quam maxime ad firmandum liberum ar-

(1) CAJETANUS in 1-2, q. 68, a. 1.
(2) *Collat. Brug.,* t. II, p. 371.
(3) 1-2, q. 68, a. 2 ad 1.
(4) *O. c.,* p. 181.

bitrium ne deficiat ab operando secundum virtutes, quia sunt quædam illuminationes pellentes tenebras animæ et quidam impulsus ad superanda omnis generis impedimenta » (1).

254. Non requiritur exercitium donorum ad singulos actus salutares.

Corollarium 3um. *Non requiritur ut operentur dona quotiescumque homo justus facit opus salutare.* Nam, ut postea demonstrabimus, non requiritur ad singulos actus salutares in justo instinctus Spiritus Sancti, scilicet immediate illustratio vel inspiratio : quæ non est confundenda cum motione requisita ad hoc ut facultas non agens transeat ad actum (2). Et hæc distincto explicite ponitur a S. Thoma ubi loquitur de necessitate donorum Spiritus Sancti : distinguit nempe instinctum Spiritus Sancti *ab operatione Dei qui in omni natura et voluntate interius operatur* (3), quæ proinde Dei operatio est necessaria ad omnem voluntatis operationem.

254bis Duplex exercitium donorum.

Scholion. Donis Spiritus Sancti competit exercitii modus duplex, *ordinarius* scilicet et *extraordinarius*. Instinctus Spiritus Sancti ordinati sunt ad illuminandum intellectum et ad movendum affectum : sed in illa illuminatione et in illa affectione dantur duo modi : unus quo Spiritus Sanctus sese accommodat ordini naturae, occasionem illuminandi sumens ex circumstantiis exterioribus, v. gr. ex discursibus quos in meditatione formamus, ex auditu praedicationis, ex contemplatione *acquisita :* hic est modus *ordinarius*. Alter modus, *extraordinarius* potissimum consideratur in diversis speciebus orationis mentalis quae designantur sub generico nomine contemplationis *infusae* et principium elicitivum habent in donis intellectus, scientiae et sapientiae (4). In illo modo agendi Spiritus Sanctus elevat nostram animam ad operationes quae etiam *quoad substantiam actuum* transcendunt facultatem humanam (v. suprà, n. 243 et 245) (5).

Fructus Spiritus S.

Ea quae vocantur *fructus* Spiritus Sancti non sunt qualitates supernaturales, realiter distinctæ a virtutibus et a donis, sed sunt *actus* seu virtutum opera, in quibus homo *delectatur* (6).

Beatitudines.

Quae vocantur *beatitudines* sunt *opera* quaedam *eximia* virtutum ac praecipue donorum, quatenus peculiari quadam ratione conducunt ad cœlestem beatitudinem adipiscendam (7).

---

(1) BILLOT, *o. c.*, p. 181. — De donis singillatim spectatis, cf. BILLOT, *o. c.*, thes. VIII, p. 181 ; TERRIEN, *o. c.*, p. 194; Illmus ac Revmus WAFFELAERT, in *Collat. Brug.*, 1913, t. XVIII, p. 187 ss., 265 ss., 417 ss., 473 ss., 533 ss., 601 ss., 649 ss.

(2) Cf. FROGET, *o. c.*, p. 406 ss.

(3) S. THOMAS, 1-2, q. 68, a. 2.

(4) Cf. Card. BILLOT, *De Virtutibus infusis*, p. 185 ; Illmus ac Revmus WAFFELAERT, in *Collat. Brug.*, 1922, t. XXII, p. 178.

(5) Non omnes auctores conveniunt in hoc modo loquendi : de hoc legatur Illmus ac Revmus WAFFELAERT, l. c.

(6) S. THOMAS, *Sum. theol.*, 1-2, Q. 70 a. 2.

(7) S. THOMAS, *Sum. theol.*, Q. 69. a. 1.

Sectio Tertia.

DE GRATIA ACTUALI.

255. Connexio rerum.

Connexio rerum. Hucusque edocti fuimus hominem justificari dono interno et supernaturali, quocum connectuntur et alia supernaturalia dona quæ, ut habitus, permanenter inhærent animæ. Illa gratuita dona omnia ordinantur vel remote, vel proxime ad ipsam operationem salutarem quæ, proprie loquendo, est ipsa *electio* bona ac supernaturalis. Sed præter suprà descripta dona, datur aliud auxilium supernaturale quod est vel actus ipse vel motio ad actum, auxilium nempe transiens quod ad ipsum operari excitat vel ad illud adjuvat : de hoc transitorio auxilio inquirendum jam est : *primo* quidem de ejus *existentia, secundo* de ejusdem *essentia, tertio* de ejusdem *efficacia.* Ad hanc disquisitionem multæ ac difficiles pertinent quæstiones, quæ diuturnas excitant theologorum controversias.

Caput I.

DE EXISTENTIA GRATIÆ ACTUALIS.

256. Auxilii supernaturalis transeuntis existentia demonstratur :

PROPOSITIO. *Datur auxilium aliquod supernaturale actuale, quod est intellectus illuminatio et voluntatis inspiratio.*

Hæc propositio, abstractione facta ab omni ulteriori explicatione, est de fide divina.

Demonstratio primæ partis.

1) ex S. Scriptura

A. EX S. SCRIPTURA.

1. De primo ingressu hominis in viam salutis dicebat Jesus : Nemo potest venire ad me. nisi Pater, qui misit me traxerit eum (1). — Venire ad Christum, hoc loco est credere ut patet ex iis quæ paulo post subjungit Salvator : « Sunt quidam ex vobis qui *non credunt*... propterea dixi : nemo potest *venire ad me* nisi datum fuerit a Patre meo » (2). Igitur ut homo adultus (de adultis enim loquebatur hîc Jesus) veniat ad Christum seu in eum credat, non sufficit externa Evangelii prædicatio, nec naturalis cognitio quæ, secundum physiologicas leges, necessario consequitur auditionem prædicationis, *sed requiritur interna tractio* a Deo in mente hominis. Hæc porro interna tractio quid sit explicat ipse Jesus : « Omnis qui audivit a Patre et didicit venit ad me » (3). Ergo hæc tractio

(1) *Jo.* VI, 44.
(2) *Jo.* VI, 65-66.
(3) *Ibid.*, 45.

est aliqua interna auditio et perceptio veritatis, vi cujus homo credit. Quum autem fides sit actus elicitus ab intellectu, hæc tractio importat immediatum a Deo effectum, saltem in intellectu humano, quo effectu homo *sicut oportet* percipit veritates credendas. — Quæ explicatio solide confirmatur ex ulteriori consideratione de sermone Christi ex quo textus suprà expositi desumuntur. Etenim Christus explicans *tractionem* a Patre, dicit : « Est scriptum in prophetis : et erunt omnes docibiles Dei. Omnis qui audivit a Patre et didicit, venit ad me » (1). Verba ex prophetis desumpta inveniuntur apud Isaiam (2), ac locus parallelus legitur apud Jeremiam: « Et non docebit vir ultrà proximum suum et vir fratrem suum dicens : cognosce Dominum : omnes enim cognoscent me a minimo eorum usque ad maximum, ait Dominus... » (3). Quæ loca, si simul conferuntur, nos docent novum fœdus tamquam propria ipsi prærogativa insigniri quodam interno magisterio, immediate ab Ipso Deo, et non mediantibus hominibus, proveniente in mentem hominum, vi cujus magisterii salutarem obtineant homines cognitionem.

Illa interna a Deo tractio est *supernaturalis;* quia omni creaturæ indebitum est ut ipse Deus immediate quasi loquatur ad cor ejus : hoc enim est omnino extra ordinem concursus generalis quo Deus, ut auctor naturæ, necessario cooperatur operationi *proportionatæ* viribus creaturæ. Præterea illa tractio est positive ordinata ad ipsam fidem supernaturalem et est proinde in eodem ordine.

Tandem notemus illam tractionem non esse aliquid permanenter inhærens animæ, vel aliquem habitum infusum: nam describitur ut aliquid transiens, prævium ac disponens ad fidem, et homini inditum ante justificationem.

2. « Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus » (4).

His verbis Apostolus externam prædicationem distinguit ab interiori divina operatione in hominum mente, et divinæ illi operationi *soli* attribuit actus salutares quibus homines credunt et suam agendi rationem reddunt conformem prædicationi.

Prædictum locum interpretatur Cornely his verbis : « Plantatoris munere Corinthi Paulus functus est, qui primum Corinthiis Evangelium annuntians in eorum cordibus semina fidei spargit : post ejus discessum advenit Apollo, qui... plantas a Paulo positas sua prædicatione irrigavit. Attamen sicut in segete naturali, illi

(1) *l. c.*
(2) LIV, 13.
(3) XXXI, 34.
(4) *I Cor.*, III, 7.

qui plantant vel rigant, externas tantum conditiones ponunt, quæ, licet necessariæ sint, per se non efficiunt ut plantæ crescant, ita etiam in segete spirituali prædicatores externam tantum ponunt conditionem, quæ utique juxta ordinariam providentiam requiritur, at ipsam fidem non producit sed velut aliquid mere externi ad eam se habet... Causa vera et genuina incrementi plantarum in segete naturali est virtus quædam semini vel plantæ divinitus indita, qua alimenta sibi adaptata eligit, attrahit, in suam substantiam transmutat; atque simili ratione fides tota, quum ejus initium tum ejus incrementum, producitur ab interna gratia divina » (1).

3. « Quædam mulier nomine Lydia... colens Deum audivit (verba Pauli) : cujus Dominus aperuit cor intendere his quæ dicebantur a Paulo » (2) Iterum affirmatur interna a Deo operatio in mente humana et asseritur dependenter ab illa operatione haberi quod mulier illa intendat *sicut oportet* ad fidem salutarem et baptismum suscipiendum.

B. EX ECCLESIÆ DECLARATIONIBUS.

257. 2) *ex Ecclesiæ declarationibus.*

Docetur in concilio Arausicano II, per naturæ vigorem non posse ab homine *bonum aliquid,* quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, *cogitari ut expedit* vel *eligi,* sed ad hoc requiri illuminationem ac inspirationem Spiritus Sancti ; in specie hanc requiri docet ut possit homo consentire, ut expedit, evangelicæ prædicationi (3). Docetur etiam ad omnes omnino actus, quibus homo positive operatur ad suam salutem, ut fiant sicut oportet, prærequiri gratiam, adjutorium nempe quo homo, sicut oportet, credat, desideret, petat, etc. (4) Hoc autem esse aliquod adjutorium quod omnino ad *actus* pertinet, et distinctum est ab illis habitibus, qui in baptismo infunduntur, patet ex dictis et etiam ex hoc loco in quo dicitur in omni opere bono nos non incipere sed Deum, ipsumque nobis amorem sui prius inspirare ut baptismum *requiramus* (5).

Etiam in concilio Tridentino definitur exordium justificationis in adultis sumendum esse a prævenienti gratia, qua excitantur et adjuvantur ad conversionem (6); ab hac gratia etiam haberi dispositiones varias, quæ in *actibus* consistunt, prærequisitas ad justificationem (7); etiam in illis, qui ab accepta justificatione per peccatum exciderunt convertionem incipere ab excitante Deo (8).

In illis igitur textibus clare docetur dari aliquod auxilium super-

---

(1) *Commentarius in priorem epistolam ad Corinthios,* Parisiis, 1890, p. 78.
(2) *Act.* XVI, 14.
(3) *Enchir.,* n. 180.
(4) *Ibid.,* n. 179.
(5) *Ibid.,* n. 200.
(6) *Enchir.,* n. 791.
(7) *Ibid.,* n. 798.
(8) *Ibid.,* n. 807.

naturale et actuale: actuale, quia tota ejus auxilii ratio est in excitando et juvando homine ad salutariter agendum, et conceditur etiam antequam homo ullum acceperit habitum infusum.

258. Notula de scholasticis antiquis: S. Bonaventura,

Opportune hîc notabimus antiquos scholasticos, licet non multum dixerint de eo quod nunc vocatur gratia actualis, tamen auxilii supernaturalis actualis existentiam explicite docuisse.

S. Bonaventura dicit: «liberum arbitrium nunquam assurgit nec ad cognoscendam gratiam nec ad petendam, nisi aliquo modo *a sursum excitetur* et per *aliquod donum* gratiæ gratis datæ (1) quod tenet *quasi medium* inter donum gratiæ gratum facientis et naturalem libertatem voluntatis» (2). Tale autem donum omnino requiri *ut homo se disponat* ad gratiam gratum facientem docet S. Bonaventura, et tandem adjungit: «Patet etiam qualiter erraverit Pelagius, qui liberum arbitrium non solum dixit habere potentiam disponendi se ad gratiam gratum facientem, sed etiam merendi eam propria virtute. Dupliciter enim mendax fuit: et in hoc quod dixit, primam gratiam sub merito cadere, et in hoc quod dixit etiam liberum arbitrium propriis viribus ad gratiam posse se disponere» (3).

S. Thoma

S. Thomas quærendo utrum homo possit seipsum ad gratiam (sanctificantem) præparare per seipsum, respondet quod ut homo se præparet ad consequendum ipsum *gratiæ habitualis* donum, non oportet præsupponere aliquod aliud donum *habituale* in anima, sed aliquod auxilium *gratuitum* Dei *interius* animam *moventis,* sive inspirantis bonum propositum (4). Hoc auxilium gratuitum interius animam movens explicite distinguit S. Thomas ab hoc quod vocatur gratia externa: «[Ut homo] se ad gratiam [sanctificantem] præparet... indiget auxilio divino non solum quantum ad exteriora moventia, prout scilicet *ex divina providentia* procurantur homini *occasiones* salutis, puta prædicationes, exempla, et interdum ægritudines et flagella, sed etiam quantum ad *interiorem motum,* prout Deus cor hominis movet ad bonum...» (5). De hac motione dicit etiam: «Si Deus movet mentem humanam ad bonum, quod tamen potest huic motioni resistere» (6). Etiam explicite duplicem gratiam distinguit: «Gratia dupliciter potest intelligi: uno modo divinum auxilium quod nos movet ad bene volendum et agendum; alio modo habituale donum nobis divinitus inditum» (7).

Notemus bene his in locis citatis auxilium interius animam movens non confundi a S. Thoma cum præmotione physica quæ et quatenus requiritur in ordine mere naturali ad omnem operationem creaturæ: nam S. Thomas loquitur in locis citatis de auxilio *gratuito:* quod non potest dici de præmotione physica in ordine naturali; præterea *gratiam* distinguit duplicem: a) divinum *auxilium* quod nos *movet* ad bene volendum et agendum; b) *habituale* donum divinitus inditum.

Quod S. Thomas in operibus hîc citatis admiserit *gratiæ actualis* existentiam ac necessitatem confirmatur ex differentia manifesta inter mentem S. Thomæ hîc expositam et mentem S. Thomæ expressam in II, dist.

(1) Suprà, n. 10, diximus gratiam actualem vocari a S. Bonaventura *gratis datam.*
(2) In II, dist. 28, a. 2, q. 1 (t. II, p. 682).
(3) *L. c.* in fine.
(4) 1-2, q. 109, a. 6.
(5) *Quodlibetum* I, a. 7.
(6) *Ibid.,* ad 2.
(7) 1-2. q. 111, a. 2; v. *o. c.,* q. 112, a. 2.

28, q. 1, a. 4 : quo in loco non solum non loquitur de auxilio gratuito movente interius animam, sed ad præparationem hominis ad gratiam sanctificantem nihil aliud requirit, ut videtur saltem, quam excitationem voluntatis quæ connaturaliter exsurgit ex *occasionibus* externis, v. gr. admonitione hominis, ægritudine corporis. Et concludit : « unde quidquid fuerit illud quod hominem excitaverit ad convertendum se, ut gratiam gratum facientem accipiat, gratia gratis data dici potest : et *sic* sine gratia gratis data homo se ad gratiam non præparat ». Hanc vero sententiam explicite mutavit S. Thomas in loco suprà citato ubi dicit : « Ut homo se ad gratiam [sanctificantem] præparet... indiget auxilio divino *non solum quantum ad exteriora moventia,* prout scilicet ex divina providentia procurantur homini *occasiones* salutis, puta prædicationes, exempla, et interdum ægritudines et flagella, *sed etiam quantum ad interiorem motum* » (1).

Dionys. Cartus.

Dionysius Cartusianus hæc dicit : « Gratia si accipiatur pro habituali dono est qualitas animæ. Si vero sumatur pro auxilio Dei, quo movemur a Deo atque dirigimur ; sic non est qualitas animæ, sed motus ejus, id est effectus vel impressio divinæ inspirationis seu influxionis in animam » (2).

Demonstratio secundæ partis.

259. Illud auxilium transiens est intellectus illuminatio et voluntatis inspiratio.

Explicandum potius quam demonstrandum est auxilium, de quo egimus, esse illuminationem in intellectu et inspirationem in voluntate.

Textibus S. Scripturæ et conciliorum, statim citatis, edocemur Deum, in præsenti Providentiæ ordine, specialiter agere in hominum mente ut salutariter credant et porro justificentur : hic effectus a Deo receptus in homine est præcise ad hoc ut homo *cogitet,* sicut oportet, ut bene afficiatur erga illa quæ debet facere, ut tandem, *consentiendo* vocationi et motioni divinæ, eligat seu libere velit credere et operari quæ necessaria sunt ad salutem.

Hæc clare proponuntur in decreto concilii Tridentini, cujus verba bene sunt perpendenda : « Declarat præterea (sancta Synodus) ipsius justificationis exordium *in adultis* a Dei per Christum Jesum *præveniente gratia* sumendum esse, hoc est ab ejus *vocatione,* qua nullis eorum existentibus meritis vocantur ; ut, qui per peccata a Deo aversi erant, per ejus *excitantem* atque *adjuvantem gratiam* ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem eidem gratiæ *libere assentiendo* et *cooperando* disponantur, ita ut *tangente Deo cor hominis* per Spiritus Sancti *illuminationem* neque homo ipse nihil omnino agat *inspirationem* illam *recipiens,* quippe qui illam et abjicere potest, neque tamen sine gratia Dei movere se ad justitiam coram illo libera sua voluntate possit. Unde in sacris litteris

(1) *Quodlibet.* I, a. 7.

(2) *Summa fidei orthodoxæ,* L. II, a. 118 (t. 17, p. 326), v. o. c., a. 117 — Cf. CAPREOLUS, in II, dist. 28, a. 1, concl. 6 (t. IV, p. 286) et dist. 29, a. 1, (t. IV, p. 318).

cum dicitur : *Convertimini ad me et ego convertar ad vos* (1), libertatis nostræ admonemur ; cum respondemus : *Converte nos, Domine, ad te, et convertemur* (2), Dei nos gratia præveniri confitemur » (3). — « Si quis dixerit sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur : A. S. » (4).

Quum omnis effectus Dei in intellectu productus ut homo rite intelligat sit illuminatio quædam, quum omnis effectus Dei in voluntate productus ut homo rite velit sit inspiratio quædam, sequitur illud auxilium, de quo agimus, esse intellectus *illuminationem* et voluntatis *inspirationem*. Attamen non raro auctores adhibent vocabulum inspirationem et pro intellectus et pro voluntatis auxilio.

260. Immediatas inspirationes voluntatis dari demonstratur.

Nota. Aliquem *immediatum* a Deo effectum, saltem in *intellectu,* produci, quo juvetur homo ad cogitandum, sicut oportet, ad salutem, patet ex dictis. Quum autem ex intellectus apprehensione connaturaliter sequatur voluntatis motus seu affectio, inquirunt theologi utrum, etiam in voluntate sit *immediata* a Deo impulsio producta, an tantum *mediata,* nempe mediante intellectus cognitione, seu mediante objecto proposito in intellectu.

Communiter censent theologi *de fide non esse* dari etiam *immediatas* voluntatis inspirationes, attamen plerique tenent *certo* talem immediatum Dei influxum esse admittendum, nec sufficere eam voluntatis motionem, quæ sponte sua vi legis psychologicœ ex supernaturali et immediata intellectus illustratione oboritur (5).

Dari immediatas voluntatis inspirationes demonstratur :

1. *Ex modo quo loquuntur documenta Ecclèsiæ.*

In canone 4 Concilii Carthaginiensis dicitur : « Cum sit utrumque donum Dei et scire quid facere debeamus et diligere ut faciamus » (6). Ut videtur, consideratur hîc gratia generice et ipsi attribuuntur duo effectus, unus in intellectu, alter in voluntate, illique æque immediate a Deo in animam provenientes, Cœlestinus I hæc habet : « Quod ita Deus in cordibus hominum atque in ipso libero operetur arbitrio, ut sancta cogitatio, pium consilium omnisque motus bonæ voluntatis ex Deo sit, quia per illum aliquid boni possumus sine quo nihil possumus » (7). Iterum hîc ut æque imme-

(1) *Zachar.*, I, 3.
(2) *Thren.*, V, 21.
(3) Sess. VI, c. 6. *Enchir.*, n. 798.
(4) Sess. VI, can. 3. *Enchir.*, n. 813.
(5) Cf. JUNGMANN, *De gratia,* n. 34 ; PALMIERI, *o. c.*, thes. VIII ; HURTER, *o. c.*, n. 19 ; EINIG, *De gratia,* thes 1, p. 16 ss. ; PESCH, *o. c.*, n. 13.
(6) *Enchir.*, n. 104.
(7) *Ibid.*, n. 135.

diate a Deo proponitur bona cogitatio et omnis motus bonæ voluntatis.

2. *Ex ratione theologica.*

Agentes suprà n. 43, 52, de omnimoda necessitate gratiæ ad quemlibet actum salutarem vel positive disponentem ad illum, diximus ideo præcipue requiri gratiam ut per hanc facultates nostræ *eleventur* ad ordinem supernaturalem. Jamvero per immediatam intellectus illuminationem elevatur quidem intellectus, sed non elevatur voluntas : quum autem sit, maxime in voluntate, actus salutaris, et sint in illa actus positive disponentes ad actum salutarem, sequitur requiri etiam elevationem ipsius voluntatis, ante habitus infusos, et proinde immediatas inspirationes. — Hoc autem argumentum melius intelligetur quum de essentia actualis gratiæ disputaverimus. — Nunc loquimur extra omnem controversiam circa essentiam gratiæ et proinde abstrahimus a determinando hoc quod importat terminus *immediata inspiratio.*

Caput II.

DE ESSENTIA ACTUALIS GRATIÆ.

261. Status quæstionis

Prænotandum. Prædictæ quæstionis solutio dependet a sententia, quæ proprie ad metaphysicam pertinet, circa cooperationem Dei, universim spectatam, in creaturarum operationibus, et maxime in operationibus voluntatis.

Inde in hoc capite duas habebimus disputationes, quarum prima, mere philosophica, de naturali cooperatione Dei generice spectata, altera, theologica, de supernaturali Dei cooperatione, ubi ipsam actualis gratiæ essentiam detegere conabimur.

S. Thomæ sinceram doctrinam, ni fallimur, referimus (1) ; huic etiam omnino adhæremus.

Disputatio Prima.

Articulus Iᵘˢ. De cooperatione Dei naturali in creaturarum operationibus, generatim sumptis.

262. Quatuor modi, secundum quos Deus cooperatur operationi creaturæ, explicantur.

Propositio prima. *Quatuor distingui possunt modi secundum quos Deus dicendus est cooperari omni operationi creaturæ.*

Explicatur.

Nulla creatura est suum agere, sed agere est *accidens* ipsius ; præterea creatura, qua talis, est in potentia ad agendum ; deinde, saltem multæ creaturæ, et nominatim viventes, quandoque sunt

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. XV, p. 36-51, ubi præcipuos citavimus textus S. Thomæ.

in actu quarumdam operationum, quandoque sunt in potentia ad illas (1). Actio ipsa est id quo agens constituitur actualiter causans, et definitur: *actualitas virtutis operativæ* (2).

Demonstratur.

1. Hæc actualitas virtutis operativæ dependet a Deo secundum *quatuor* modos.

Etenim, omnis creatura totaliter a Deo dependet, ab ipso ultimatim habet quidquid est, sive secundum essentiam, sive secundum proprietates.

Inde Deus 1) *dat* omnem formam seu virtutem secundum quam agit creatura ;

2) *conservat* in esse omnem virtutem operativam ;

3) *applicat ad agendum* omnem creaturam quando *incipit* agere ; hoc statim demonstrabimus ;

4) *influit esse* actionis creaturæ ; hoc etiam infra explicabitur.

Hæc dicit S. Thomas : « Sic ergo Deus est causa *actionis* cujuslibet inquantum *dat* virtutem agendi, et inquantum *conservat* eam et inquantum *applicat actioni,* et inquantum ejus *virtute* omnis alia virtus agit (3) ».

Notemus quod in corpore articuli S. Thomas explicite docet id quod dicitur *applicari actioni,* esse *aliud* ac dare et conservare virtutem agendi : « Sed quia nulla res *per seipsam movet* vel *agit,* nisi sit movens non motum, *tertio* modo (duo priores sunt a/ *dare,* b/ *conservare* virtutem operativam) dicitur una res esse *causa actionis* alterius inquantum *movet ad agendum : in quo non intelligitur collatio aut conservatio virtutis activæ,* sed *applicatio virtutis ad actionem* » (4).

263. In specie agitur de tertio modo seu de applicatione operantis ad operationem ejus.

2. Quum de primo et secundo modo, quo Deus in operante creato cooperatur, nulla sit difficultas (5), nec occurrat controversia, sufficiet nobis specialiter tertium et quartum elucidare.

A) De tertio modo, qui consistit in *applicatione ad agendum,* sic conficitur demonstratio.

---

(1) Cf. SCHIFFINI, *Instructiones philosophicæ in compendium,* t. I. n. 468 ss. ; DE JAEGHER, *o. c.,* 256.

(2) Cf. S. THOMAS, I, q. 54, a. 1 ; *De spiritualibus creaturis,* a. 11. Abstrahimus a quæstione utrum actio *transiens* dicenda sit esse in *agente,* vel in *patiente,* sed tenemus *actionem* semper importare aliquid reale, *aliquam physicam entitatem,* qua subjectum constituitur *formaliter agens.* Si quis hoc negaret, deberet negare ipsum *agere.* MATTIUSSI, *Fisica razionale,* (manoscritto), t. I, p. 232, n. 192; BILLOT, *De Gratia,* p. 128.

(3) *De Potentia,* q. 3, a. 7. Nuper P. KONINGS, *De gratia actuali,* p. 83 ss. propugnavit Durandi sententiam qua rejicitur omnis *immediatus* influxus Dei in creaturarum operationibus, et admittitur tantum *mediatus,* quatenus nempe operationes exeunt a facultate a Deo accepta et in esse conservata. Hanc opinionem rejiciebat etiam Molina, *Concordia,* q. 14, a. 13, disp. 25 et rejiciunt hodie plerique philosophi ac theologi catholici.

(4) *De Potentia,* q. 3, a. 7. Cf. I, q. 105, a. 5 ; *Collat. Brug.,* t. XV, p. 35 ss.

(5) Cf. JUNGMANN, *De Deo creatore,* n. 44 ; VAN NOORT, *De Deo creatore,* n. 46 ; *Collat, Brug.,* t. VI, p. 561 ; t. VII, p. 217.

Nihil potest a semetipso solo transire de potentia ad actum, sed ad hoc indiget ut moveatur ab alio (1); atqui quando creatura *incipit* agere, transit de potentia ad actum ; ergo creatura quando incipit agere debet moveri ab alio. — Sed ille alius est Deus. Ergo creatura incipiens agere debet moveri a Deo, seu quod idem est, a Deo *applicari ad agendum.*

a/ *Major declaratur.* Quod est in potentia ad actum est capax recipiendi perfectionem, sed hanc non habet in se, et proinde omnino nequit hanc sibimetipsi dare : quia nemo dat quod non habet. Ut ergo ens acquirat sibi perfectionem, qua hîc et nunc caret, debet adjuvari ab alio, seu, in casu, moveri ab alio.

b/ *Minor prima* declaratur. Res creatæ quando incipiunt agere, *ipso exercitio activitatis* transeunt de potentia agendi ad ipsum agere et sic physice perficiuntur, physice in perfectione et in realitate augescunt : plus enim est actu agere quam posse agere, seu sola agendi potestate gaudere. — Hæc est præcise perfectio qua, in hypothesi, carent creaturæ, nempe ipsum *exercitium* agendi : ad hanc debent moveri seu applicari ab alio. — Stat igitur prima conclusio (2).

c/ *Minor secunda* declaratur. Perfectio quæ creaturæ est tribuenda est ipsum *agere :* hæc est perfectio transcendentalis, sicut ipsum esse ; proinde ab illo ente produci debet quod est per essentiam *agere.* Utique ens corporeum potest ad operandum applicari *proxime* ab alio corpore, sed hoc corpus non applicat seu movet, nisi et ipsum applicetur et moveatur a tertio : quia autem in moventibus motis non est procedere in infinitum, oportet pervenire ad primum movens quod est Deus. Entia vero immaterialia non possunt applicari ad agendum nisi proxime ab ipso Deo. — Ergo omne ens creatum *incipiens* agere, ad agendum *applicatur* ab aliquo movente extrinseco, et consequenter a Deo et quidem *immediate,* sive immediatione *virtutis* tantum, sive immediatione et *virtutis* et *suppositi* (3).

Duo S. Thomæ textus hîc præcipue notandi sunt :

« Quantumcumque natura aliqua corporalis vel spiritualis ponatur perfecta, *non potest in suum actum procedere, nisi moveatur à Deo...* Non solum autem a Deo est omnis motio sicut a primo

---

(1) Cf CARDINAL MERCIER, *Ontologie,* n. 186 ss.

(2) Cf. CAPREOLUS, in II, D. I, q. II, concl. 6a ; GOUDIN, *Philosophia,* t. IV, p. 498 ss. ; LIBERATORE, *Institutiones philosophicæ,* t. II, p. 529 ; ZIGLIARA, *Summa philosophica,* 1900, p. 490, 514 ; REMER, *o. c.,* t. II, p. 459, n. 204 ; DE MUNNYNCK, *La prémotion physique,* in *Revue néo-scolastique,* 1901, p. 370 ; ILLmus ac REVmus WAFFELAERT, *Meditationes theologicæ* in *Collat. Brug.,* t. VI, p. 562 ; *Elementa philosophica in usum alumnorum minoris Seminarii in S. Nicolai,* Gandavi, p. 509.

(3) Cf. CAJETANUS, in I, q. 8, a. 1 ; FERRARIENSIS,, *In Summam contra Gentiles,* L. III, c. 70 ; PIGNATARO, *De Deo Creatore.,* p. 510 ; BILLOT, *De gratia,* p. 18 ; ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, *o. c.,* in *Collat. Brug.,* t. VII. p. 219 ss.

movente, sed etiam ab ipso est formalis perfectio sicut a primo actu. Sic igitur actus intellectus et cujuscumque entis creati dependet a Deo quantum ad duo : uno modo inquantum ab ipso habet perfectionem, sive formam, per quam agit ; alio modo inquantum ab ipso *movetur ad agendum* » (1).

« Necesse est quod omnia agentia per quæ Deus ordinem suæ gubernationis adimplet, virtute ipsius Dei agant. *Agere* igitur cujuslibet ipsorum a Deo *causatur*, sicut et motus mobilis a motione moventis » (2).

264. De occasionalismo.

Adnotatio. 1a. Refutatam supposuimus doctrinam *Occasionalistarum*, (3) qui tenebant creaturas non realiter agere, non efficere ut aliquid sit, sed tantum esse occasiones, quibus positis, ipse Deus solus efficit quidquid de novo fiat. Tenemus proinde creaturas vere agere, propria actione aliquid efficere, effectumque qua talem physice dependere a causa secunda influente.

De sensu quo Deus dicitur operari in quolibet operante **secundum rationem finis.**

2e In 1, q. 105, a. S. Thomas dicit quod Deus in quolibet operante operatur primo secundum rationem finis. Hoc importat quod Deus est finis omnium operantium. Quod sic intelligitur : omne agens agit propter finem, seu propter aliquod bonum : si est agens, intellectu præditum agit propter bonum, quod ut finem intendit ; si est agens irrationale agit propter bonum ad quod natura sua impellitur : hoc autem fit dupliciter : vel appetitu elicito, si est cognitione præditum, vel appetitu tantum innato, si cognitione caret (4). In omni hypothesi, agens agit propter bonum, sive verum sive apparens : atqui omne bonum, sive verum, sive apparens, est aliqua similitudo Summi Boni, quod est Deus ; ergo omne agens ultimo appetit, sive directe, sive indirecte, sive implicite, sive explicite, ipsum Deum ut finem. Ergo Deus in omni operante operatur *secundum rationem finis* (5). Hæc causalitas finalis pertinet ad motionem quæ venit ob objecto (6).

265. In specie agitur de quarto modo secundum quem Deus operatur in omni operante, quatenus Deus influit esse operationis.

B) De quarto modo, qui consistit in hoc quod Deus influit *esse* actionis, hæc considera : actio creaturæ est a) aliquod *esse*, aliqua entitas ; b) esse *tale*, scilicet esse *determinatum* seu *specificatum*.

Jamvero actio quatenus est aliquod *esse*, ut propriam causam habet ipsum *Deum ;* quatenus est esse *tale*, a *creatura* proprie causatur. Quæ duo sunt explicanda :

---

(1) 1-2, q. 109, a. 1. Cf. *ibid.*, a. 9 — Ut perspiciamus qualis sit significatio vocabuli *movere* apud S. Thomam, attendamus ad hæc ipsius dicta. « Movere nihil aliud est quam educere aliquid de potentia in actum » I, q. 2, a. 3. — « Oportet ut id quod est in potentia reducatur in actum per aliquid quod est in actu : et hoc est movere ». 1-2, q. 9, a. 1. — « Movere potentias animæ ad suos actus est applicare eas ad operationem ». *Ibid.*, q. 16, a. 1. Cf. DUMMERMUTH, *o. c.*, p. 13.

(2) *Compendium Theologiæ*, c. 130. Hoc opusculum est inter ultima scripta S. Thomæ. Cf. DE GROOT, *Het leven van den H. Thomas*, Utrecht, 1907, p. 352.

(3) Cf. DE JAEGHER, *o. c.*, n. 276 ; CARDINAL MERCIER, *Ontologie*, n. 230 ss.

(4) Cf. *Collat Brug.*, t. XIV, p. 651 ; S. THOMAS, I, q. 59, a. 1.

(5) Cf. S. THOMAS, 1, q. 54, a. 4 ; PIGNATARO, *o. c.*, p. 508 ; DE JAEGHER, *o. c.*, n. 291 ss.

(6) « Sicut influere causæ *efficientis* est agere ; ita influere causæ *finalis* est *appeti* et *desiderari* ». S. THOMAS, *De veritate*, q. 22, a. 2. In entibus cognitione præditis, bonum influit in quantum *apprehenditur*. Bonum apprehensum, ceu finis, nihil *imprimit* in appetitum quasi aliquid antecedens ipsum actum appetendi, non *physice* appetitum movet ad actum. Cf. REMER, *o. c.*, t. I, p. 365.

a. Omne agens secundum, dum agit, attingit effectum qui soli Deo competit secundum *propriam Dei virtutem,* nempe rationem *entis.* Ergo agens secundum nequit *propria virtute* attingere effectum illum, nempe *esse,* sed tantum virtute Dei influentis in ipsa actione. Quæ veritas optime a S. Thoma exprimitur his verbis : « Quod nihil dat esse nisi in quantum agit in virtute divina » (1).

Etenim : actio ipsissima creaturæ est aliqua entitas, aliquod esse : si igitur creatura incipit agere, producitur aliquod novum *esse* accidentale, quod prius non erat. Jamvero omne esse est *effectus* PROPRIUS Dei quia Deus est esse per essentiam: a quo omne *esse* finitum, limitatum, contingens oportet ut fiat tamquam effectus illius proprius, sicut ignire est proprius effectus ignis (2). Ergo in creatura non solum esse substantiale, sed etiam omnis operatio attingitur tamquam effectus proprius a Deo. Deus porro hunc effectum attingit *virtute physica,* influente *esse,* quod creatura applicata ad actum, ut vidimus, facit esse *tale,* ut statim explicabitur.

b. Creatura in se habet facultates operativas, quæ in ipsa habent esse ratum et firmum : ab illis facultatibus habet *actio* creaturæ præcise ut sit *tale* esse : v. gr., actio, quæ ex intellectu egreditur, est *intelligere ;* actio, quæ ex voluntate egreditur, est *velle ;* præterea ipsæ actiones determinantur conditionibus in quibus, in concreto, versantur facultates operativæ dum actu agunt : inde ut loquitur S. Thomas, actio secundi agentis est *particulans* et *determinans* actionem primi agentis (3).

Jamvero actio præcise quatenus est *talis,* seu *tale esse,* procedit a virtute *propria* ipsius creaturæ, et hæc est causa *principalis* quantum ad *hanc formalitatem* effectus. Quatenus vero actio creaturæ est *esse,* non procedit a virtute propria creaturæ, sed a virtute *propria Dei* et quantum ad hanc formalitatem creatura est causa

---

(1) *Summa contra Gentiles,* L. III, c. 166. Cf. DUMMERMUTH, *S. Thomas in doctrina præmotionis physicæ,* Parisiis, 1886, p. 36.

(2) Cf. S. THOMAS, I, Q. 8, a. 1 ; PÈGUES, *Commentaire français littéral de la Somme théologique de S. Thomas d'Aquin,* t. I, p. 236.

(3) « Secundum ordinem causarum est ordo effectuum. Primum autem in omnibus effectibus est esse. Nam omnia alia sunt determinationes ipsius. Igitur esse est *proprius* effectus *primi agentis.* et omnia alia agunt ipsum in quantum agunt in virtute primi agentis. *Secunda* autem *agentia* quæ sunt (causæ) *quasi particulantes et determinantes* actionem primi agentis, agunt sicut *proprios* effectus alias perfectiones quæ *determinant esse* ». S. THOMAS, *Summa contra Gentiles,* L. III, c. 66. Et hunc locum interpretatur FERRARIENSIS sic : « Hoc non est sic intelligendum, quasi secundaria agentia aliquid erga divinam actionem *ut in se est* operarentur, cum sua actio sit sua substantia, sed intelligitur, ut ex superioribus constat, secundum quod ipsa mediantibus causis secundis ad effectum aliquem determinatur. Sic enim virtus divina et actio, *secundum quod in secunda causa recipitur,* accipit limitationem et determinationem ex conditione causæ secundæ tamquam ex *susceptivi* conditione : quia unumquodque recipitur in alio per modum recipientis ». Cf. *o. c.,* I, c., 70 ; DE RÉGNON, *La métaphysique des causes,* p. 558 ; PÈGUES, *o. c.,* t. III, p. 54 ss.

instrumentalis Dei : quatenus nempe Deus in ipsa actione influit *esse* ipsius actionis (1).

266. Qua ratione creatura in agendo sit instrumentum Dei.

Adnotatio. 1. Dei actio qua influit *esse* actionis creaturæ non est *creatio*, sed *eductio* actionis ex *potentia* operativa (2), seu modificatio subjecti existentis in propria sua et naturali virtute, ad quam modificationem *cooperatur* ipsa creatura, ut *instrumentum*, quatenus mota a Deo influit id quod est particulativum et determinativum entis (3).

2. Qua ratione creatura, in agendo, sit *instrumentum* Dei vel causa instrumentalis sic explicatur :

1. In alicujus effectus productione non raro inveniuntur duæ causæ, quarum una dependet ab altera in causando et quarum una dicitur *principalis*, altera *instrumentalis*.

Porro *principale* agens dicitur id quod et quatenus *virtute* sibi *propria* (h. e. habente in ipso esse ratum et firmum) attingit effectum. *Instrumentale* agens dicitur id quod et quatenus (agendo quidem actionem sibi competentem) *movetur* a principali agente et *virtute* ab hoc *accepta* effectum attingit (4).

Instrumenta nobis prius et melius nota sunt ea quibus homines in operibus artificialibus utuntur, ut v. gr. serra, securis, calamus. Consideremus calamum quo homo efficit scripturam : calamus habet aliquam determinatam *formam*, qua fit aptus ad extendendum debito modo atramentum, et secundum formam est plus vel minus aptus ad effectum producendum. Est porro actualiter et formaliter instrumentum quando ab homine (qui est causa principalis) *applicatur* ad extendendum atramentum et *movetur* in ipsa extentione atramenti, et sic efficit applicatus et motus scripturam.

» Unde instrumenti *operatio* est *duplex :* una quæ est ei *connaturalis*, sicut extendere atramentum est connaturalis operatio calami, et scindere connaturalis operatio serræ : alia est operatio ejus *instrumentalis* sicut facere scripturam extendendo atramentum, et inducere formam scamni secando lignum. Et sicut operatio instrumenti est duplex, ita est *duplex quo* operatur : unum sibi *proprium* quod est qualitas habens esse fixum et completum in eo, puta acuitas dentaturæ in serra ; alterum a principali agente participatum, scilicet motus quo movetur ab arte, quique *virtus instrumentalis* dicitur, utpote constituens instrumentum, qua tale, in esse virtuoso seu effectivo principalis effectus...

---

(1) Cf. S. THOMAS, *De Potentia*, q. 3, a. 7, c. et ad 7 ; *Collat. Brug.*, t. XV, p. 137.

(2) Cf. ILLmus ac REVmus WAFFELAERT, *o. c.*, in *Collat. Brug.*, t. VI, p. 575.

(3) Cf. BILLOT, *De gratia*, p. 19. — « La production directe de l'être en tant qu'être ou d'une façon absolue, qui constitue la création et l'action propre de Dieu, à l'exclusion de toute coopération de la créature, c'est l'action qui a lieu au commencement, quand rien n'était, ou à chaque fois pour l'âme humaine. Mais en dehors de ce double cas, dans les autres productions d'être, qui ont lieu à chaque fois qu'un être ou un mode d'être nouveau paraît dans le monde, il y a bien, de ce chef, action du premier Être, mais ce n'est pas une action *totalement nouvelle* de sa part ; c'est plutôt la continuation d'une première action, dans l'engrenage de laquelle entrent les causes secondes, et où elles trouvent la vertu instrumentale de produire *de l'être* en produisant *tel être* par leur vertu propre ». PÈGUES, *o. c.*, p. 61-62.

(4) Cf. S. THOMAS, 1 q. 45, a. 5 ; 1-2, q. 16 ; a. 1 ; 3, 62. a. 1 ; *Summa contra Gentiles*, L. II, c. 21 ; *De veritate*, Q. XIV, a. I, ad 5 ; BILLOT, *De Sacramentis*, Romæ, 1893, t. I, p. 52 ss. ; DE JAEGHER, *Institutiones philosophicæ*, n. 275 ; CARDINAL MERCIER, *Ontologie*, n. 221 ; HUGON, *La causalité instrumentale*, p. 6 ss. ; RICHARD, *La causalité instrumentale*, in *Revue néo-scolastique*, 1909, t. XVI, p. 5 ss.

» Porro tria ibi notatu potissimum digna inveniuntur. *Primum* est quod instrumentum debet aliquid *operari de suo ;* aliàs, otiosa esset instrumenti assumptio... *Alterum* est quod oportet virtutem instrumentalem *subjectari in ipsissima actione qua instrumentum exsequitur proprium effectum... Tertio* quod virtus instrumentalis inveniri debet in ipsa linea naturalis operationis instrumenti, tamquam certa ejus modificatio vel elevatio » (1).

2. Hæc quæ inferuntur ex analysi instrumenti communiter noti, inveniuntur, proportione servata, in causalitate valde diversa a causalitate a qua procedunt opera facta arte humana (2) ; inveniuntur nominatim in causalitate qua omnis creatura agit sub influxu Dei.

Quod sic explicatur : Deus, causa principalis, *applicat* creaturam ad ipsum *agere*, h. e. ad ipsum *exercitium* operationis, et creatura, applicata, effundit, secundum propriam (quæ ipsi inest) formam, *talem* operationem. Inde habetur in creatura, ut Dei instrumento, *operatio duplex* (h. e. operatio cum duplici formalitate, non duæ operationes) : *una connaturalis*, sc. effundere *hanc determinatam* actionem, omnino proportionatam ipsi formæ quæ inest creaturæ ; altera *instrumentalis*, sc. efficere *ut sit* operatio, *esse* operationis (hoc superat capacitatem creaturæ, qua talis). Habetur etiam duplex *quo operatur :* sc. unum creaturæ *proprium*, quod est ejus facultas operativa ; alterum quod est virtus instrumentalis, nempe ipsa *applicatio* seu *motio* ad agendum et *influxus* Dei influentis *esse*.

Tandem habentur etiam illa tria, suprà indicata : a/ creatura *operatur aliquid de suo :* nam vere *effundit* ipsa operationem et *efficit* ut sit *talis* operatio ; b/ virtus instrumentalis *subjectatur in ipsissima actione* qua instrumentum exsequitur proprium effectum : nam *applicatio* ad agendum in ipsa facultate operativa creaturæ recipitur simulque ad ejus operationem terminatur, et in hac operatione producitur *esse* operationis per virtutem Dei ; c/ virtus instrumentalis invenitur in ipsa linea naturalis operationis instrumenti, tamquam ejus *elevatio :* sane creatura ex ejus propria natura est in potentia ad suam operationem et operari exigitur a natura creata, sed creatura, quum ejus agere non sit ejus esse, est *in potentia* ad agendum : inde ut actu agat oportet ut *applicetur* a Deo et ut recipiat ab Ipso influxum *του* esse operationis.

Ex dictis intelligitur creaturam, in agendo, instrumentum Dei constitui ex *tertio* et *quarto* modo secundum quos Deus operatur in omni operante: quatenus nempe Deus creaturam ad ipsum agere *applicat* et applicando *influit* esse operationis (3).

Corollarium. Actio creaturæ *tota* procedit et a creatura et a Deo : etenim quoad ipsum *exercitium* actio est *tota* a creatura ut a causa *instrumentali* et a Deo ut a causa *principali ;* quoad *specificationem* actio est tota a creatura ut a causa principali *proxima* (sc. agente virtute propria) et a Deo ut a causa principali *remota*, quatenus applicat virtutem ad actum sibi proportionatum (4). Inde S. Thomas : » Non sic *idem effectus* causæ naturali et divinæ virtuti attribuitur, quasi partim a Deo, partim a naturali agente fiat, sed *totus* ab utroque secundum

---

(1) BILLOT, *o. c.*, p. 52-54.

(2) In theologia, instrumentalis causalitas asseritur præcipue in *scriptore sacro* a Deo inspirato ; in *sacramento* efficiente gratiam, (cf. *Collat. Brug.*, t. III, p. 518 ss.) ; in *humanitate* Christi ; in homine vel Christo efficiente miracula : de hoc ultimo cf. *Collat. Brug.*, t. VI, p. 444.

(3) Cf. *Collat. Brug.*, t. XV, p. 13, 79, 135, ubi referuntur textus S. Thomæ.

(4) PIGNATARO, *De Deo Creatore*, Romæ, 1905, p. 510.

alium modum, sicut idem effectus totus attribuitur instrumento et principali agenti etiam totus » (1). Non igitur actio creaturæ procedit partim a creatura et partim a Deo sicut *motio* passiva navis procedit partim a duobus trahentibus illam, quemadmodum dicebat Molina (2) : sed causa secunda est in agendo dependens tamquam *instrumentum* a causa prima.

PROPOSITIO SECUNDA. *Dei cooperatio in operante creato importat præmotionem physicam.*

267. Admittenda est præmotio physica.

1. Etenim si omne ens creatum, quando incipit agere, realiter ac physice transit de potentia ad actum et agendo crescit in realitate, si ille physicus transitus de potentia ad actum fit per hoc quod creatura *movetur* seu *applicatur* ad agendum a Deo, vel, quod idem est, quod a Deo *educitur* ipsum agere *e potentia* creaturæ, oportet omnino ut aliqua physica entitas recipiatur in ente creato, qua hoc constituatur physice *effundens* seu *exercens* ipsum *agere*. In hoc autem physico influxu consistit essentialiter *præmotio physica* (3).

Hanc a S. Thoma admitti indubium videtur. Nam in Q. III *De Potentia,* a. 7, ad 3, dicit : «*Id* quod *a Deo* FIT in re naturali, *quo* actualiter agat, est ut *intentio sola* habens *esse quoddam incompletum* ». Ergo in ente creato quod jam habet suam naturalem operandi facultatem, quæ in ipso habet esse ratum et firmum, seu permanens, *fit aliquid* a Deo : en physicus influxus ; id quod fit a Deo est id *quo* creatura actualiter *agit ;* hæc entitas est ut *intentio sola,* h. e. nihil facit nisi *intendere* facultatem operativam, facit facultatem actu *tendere in objectum,* actu operari (4); hic autem influxus est *esse quoddam incompletum :* quia nec est facultas operativa, nec est ipsa operatio : secundum propriam rationem non pertinet ad aliquod genus accidentium ; sed nihil aliud est quam *motio transiens* et *fluens,* qua educitur de potentia ipsum *agere,* et quæ est intermedia inter facultatem operativam et ipsam actionem, seu actum secundum.

2/ Hæc motio optime describitur et ejus nominis ratio bene traditur a Goudin : « Præmotio physica est influxus causæ primæ receptus, non quidem immediate in effectibus, sed in causis secundis, quo Deus ipsis *actualem efficacitatem inspirat,* quo eas movet et applicat... physice et active, interius inclinando, applicando, determinando (5), ac

---

(1) *Summa contra Gentiles,* L. III, c. 70. Cf. 1, q. 105, a. 5 ad 2.

(2) *Concordia,* q. 14, a. 13, disp. 26. Cf. *Collat. Brug.,* T. XV, p. 47.

(3) Cf. GOUDIN, *Philosophia,* t. IV. p. 448, 504 ; ZIGLIARA, *Summa philosophica,* t. II, p. 514 ; DE MUNNYNCK, in *Revue thomiste,* t. 12, 1904, p. 116.

(4) Videtur sic posse explicari mentem S. Thomæ, quia 1-2, q. 12, a. 1. dicit : « *intentio,* sicut ipsum nomen sonat, significat *in aliud tendere.* In aliquid autem tendit et actio moventis et motus mobilis ; sed hoc quod motus mobilis in aliquid tendit, ab actione moventis procedit ». Alia tamen probabilis interpretatio traditur : cf. DUMMERMUTH, *S. Thomas et doctrina præmotionis physicæ,* p. 50.

(5) Non inconveniens est dicere hanc motionem *determinare :* tota quæstio est ad *quid* determinet. Postea agemus de præmotione in voluntate.

ultimam illam activitatem, ad quam statim sequitur actio, influendo : et ideo dicitur *motio physica*. Sed quia motio et applicatio virtutis activæ ad agendum est *prior natura ipsa actione*, sicut omnis via est prior suo termino et omnis causa suo effectu, ideo motio illa dicitur *prævia motio*, seu *præmotio* » (1).

268. Qua ratione Deus **immediate** *influat in actione creaturæ.*

Corollarium. Deus præmotionem physicam immediate, tum immediatione suppositi, tum immediatione virtutis, influit creaturæ. Actio porro creaturæ, considerata ut egrediens a causa sua proxima, attingitur immediate a) a *Deo* immediatione *virtutis*, b) a *creatura*, immediatione *suppositi*, quatenus creatura est *coagens* Deo, particulans propria virtute actionem (2), et etiam immediatione *virtutis*, quatenus propria creaturæ virtute determinatur seu specificatur actio.

Articulus IIus. De cooperatione naturali Dei specialiter considerata in voluntatis humanæ operatione.

Prænotanda.

269. De voluntate **ut natura** *et de voluntate* **ut ratio.**

I. DE DUPLICI GENERE ACTUUM VOLUNTATIS.

Licet una sit facultas quæ est appetitus rationalis seu voluntas, tamen in ea recte distinguuntur duo genera motuum.

a) Si intellectus considerat aliquod objectum absolute h. e. in se solo, et apprehendit illud ut bonum, voluntas sponte appetit illud ; si vero ut malum, voluntas sponte repudiat illud. Ita si homo considerat vitæ conservationem secundum se prout absolute conveniens est, appetit illam ; si vero mortem, refugit ab ipsa. Hic voluntatis motus est voluntatis quæ movetur in modum naturæ ; tunc enim movetur voluntas ut quodlibet ens quod natura sua appetit id quod est sibi conveniens, refugit vero ab eo quod est sibi inconveniens. Hic motus vocatur etiam brevius : voluntas *ut natura*.

b) Si vero intellectus objectum non solum absolute ut bonum aut malum apprehendit, sed considerat illud in ordine ad aliquem finem, tunc fieri potest ut objectum quod absolute spectatum apprehenditur ut malum, apprehendatur ut aptum medium ad finem, et consequenter apprehendatur ut bonum, scilicet ex ordine ad aliud : tunc voluntas potest libere velle illud idem objectum, quod absolute spectatum repudiat. Ita martyr tormenta absolute spectata repudiat, sed illa tamen vult propter finem, scilicet vitam æternam ; vicissim fieri potest ut objectum quod absolute spectatum apprehenditur ut bonum, apprehendatur ut novicum relate ad aliquem finem, consequenter ut voluntas nolit hoc objectum quod

---

(1) *O. c.*, p. 449.

(2) Cf. Illmus ac Revmus Waffelaert, *o. c.*, in *Collat. Brug.*, t. VII, p. 222, 426 ; Dummermuth, *o. c.*, p. 38 ; Buonpensiere, *Commentaria in 1 P. Summæ theologicæ*, n. 407. — Est igitur aliqua differentia, quoad immediationem, inter influxum quo Deus formaliter *applicat* ad agendum et influxum quo influit *esse*.

tamen absolute spectatum appetit. Jamvero hic actus voluntatis qui consequitur comparationem objecti cum fine, vocatur voluntas *ut ratio* : quia tunc movetur voluntus ex illa comparatione quæ est propria rationis, et non voluntatis (1).

Ex distinctione statim exposita, concludes sequentia.

270. Consectaria.

1. Voluntas *ut natura* tendit in *finem,* nempe in bonum quatenus in se, absolute, amatum ; voluntas *ut ratio* tendit in *medium* ad finem.

2. Voluntas *ut natura* est motus physice necessarius ; voluntas *ut ratio* est *electio.* Electio est idem quod voluntas *ut ratio* (2).

Quod clare exponit S. Bonaventura : « Velle in nobis dupliciter accipitur : uno modo, ut nominat actum potentiæ affectivæ, ut est quædam potentia *naturalis* ; alio modo, ut nominat actum *liberi arbitrii.* Primo modo velle aliquid idem est quod *affici* circa illud ; alio modo velle idem est quod *eligere.* Unde secundum hos duos actus distinguitur in nobis voluntas *appetitus* et voluntas *eligentiæ* ; non quia sint in nobis istæ duæ voluntates essentialiter differentes, sed quia modus volendi est aliter et aliter » (3).

3. Voluntas ut ratio seu electio præsupponit *consilium* seu *deliberationem,* vel saltem *judicium practicum,* nempe judicium de aliquo hîc et nunc agendo.

Etenim humanus intellectus quum sit discursivus, *inquirit* de agendis : hæc inquisitio ante judicium de eligendis est consilium seu deliberatio (4). Attamen fieri potest ut absque deliberatione, proprie dicta, manifestum sit homini quid sit agendum, et tunc non requiritur inquisitio ante electionem, sed hoc judicium sufficit (5).

Electio dicitur a S. Thoma appetitus *præconsiliati* (6), et quia procedit ex deliberatione vel ex judicio rationis, ideo est actus proprie *humanus,* ac homini *imputabilis.* Voluntas vero *ut* natura non est *moraliter* mala aut bona, nec proinde *imputabilis* : inde voluntatis appetitus naturalis ad id quod est moraliter malum, v. gr. ad fornicationem, non est peccatum. E contrario, peccatum

---

(1) A Joanne Damasceno, (*De fide orthodoxa* L. II, c. 22 et L. III, c. 14) voluntas *ut natura* vocatur *θελησις* ; voluntas *ut ratio, βουλησις.* — Cf. BONAVENTURA, in II, dist. 24, P. I, a. 2, q. 3 (t. II, p. 566), dist. 28, dub. 4 (*ibid.*, p. 692), dist. 29 a. 2, q. 1 et dub. 2 (*ibid.*, p. 909, 916) ; S. THOMAS, in II, dist. 29, q. 2. a 2 ad 2, in III, dist. 17, q. 1, a. 1, sol. 3, ad 5; *De veritate,* q. 26, a. 9; *Sum. Theol.,* 3, q. 18, a 3; CAPREOLUS in III, dist. 16 et 17, a. 1 (t. V, p. 243 ss); BILLOT, *De Verbo incarnato,* Thes. 27; *Collat. Brug.,* t. V, p. 371 ss, 409 ss.

(2) S. THOMAS, 3. q. 18, a. 4.

(3) In II, dist. 28, dub. 4 (t. II, p. 692).

(4) Cf. S. THOMAS, 1-2, q. 14, a. 1 et 2. — « Intellectus humanus est discursivus; et ideo sicut procedit *arguendo* in speculativis, ita etiam procedit *consilliando* sive *deliberando* in agendis ». ID., *De Malo, o. c.,* 16, a. 4.

(5) In Christo fuit vera electio, quin fuerit inquisitio : fuit in ipso judicium practicum. Cf. S. THOMAS, 3, q. 18, a 4, ad 2 ; S. BONAVENTURA, in III, dist. 18, a. 1, q. 1 ad 3 (t. III, p. 382).

(6) Cf. 2-2, q. 47, a. 1, ad 2.

est delectatio morosa, qua « voluntas, non obstante judicio rationis hunc actum repræsentatum esse malum, nihilominus, etiamsi per unicum tantum momentum, pergit ipsi *deliberate* immorari, sibique in ea complacere » (1). Etiam voluntatis aversio naturalis a bono facienda, non est peccatum : v. gr. repugnantia naturalis ad actum obedientiæ. Inde etiam in Christo naturalis horror a morte subeunda non erat contraria voluntati deliberatæ subeundi mortem (2).

II. DE DUPLICI GENERE MOTIONIS CIRCA VOLUNTATEM.

271. Duplex motionis genus circa voluntatem.

I. In *voluntate duplex motionis genus* est agnoscendum (3) : *unum* quod est *ab objecto*, nempe *a bono*, quod apprehendit intellectus : bonum apprehensum eatenus movet quatenus *allicit* appetitum, sed non *physice* influit, nec *efficienter* producit *actionem* voluntatis, seu *exercitium* actus ; *alterum* genus est a *causa efficiente*, nempe ab eo qui *physice* et interius *inclinat* voluntatem, seu exercitium actus producit. Ad rem S. Thomas :

« Voluntas potest intelligi immutari ab aliquo dupliciter : uno modo sicut *ab objecto* suo, sicut voluntas immutatur ab appetibili... Alio modo potest intelligi voluntas immutari ab aliquo *per modum causæ efficientis* (4).

« Voluntas .. a duobus moveri potest : uno modo *ab objecto*, sicut dicitur quod appetibile apprehensum movet appetitum ; alio modo, ab eo quod *interius inclinat* voluntatem ad volendum ; hoc autem non est nisi vel ipsa voluntas vel Deus (5) ».

Movetur igitur voluntas *ab objecto*, quatenus bono apprehenso *allicitur ;* movetur vero *a causa efficiente*, quatenus physice ad actum præmovetur : hæc igitur præmotio est semper ad ipsum *exercitium* actus.

Motio, quæ est ab objecto, pertinet ad *specificationem* actus (6) : et sane volitio erit de hoc vel de illo bono, secundum quod hoc vel illud bonum actu apprehenditur ab intellectu. Sed hîc facienda est summi momenti distinctio, quantum ad duos voluntatis actus, quos suprá descripsimus. Etenim quando agitur de voluntate *ut natura*, hîc actus *omnino determinatur* ab objecto quod hîc et nunc apprehenditur ab intellectu : nam, uti diximus, voluntas *ut natura* est ille spontaneus motus qui necessario consequitur ad apprehensionem absolutam boni vel mali. Sed quando agitur de voluntate *ut ratio*,

---

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. XIV, p. 577.

(2) Cf. *Collat. Brug.*, t. V, p. 412. Quando non habetur perfecta deliberatio vel judicium prævium ad actum, si ille actus est moraliter inordinatus, tunc habetur peccatum veniale ex imperfectione actus.

(3) Cf. ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, *Meditationes theologicæ*, in *Collat. Brug.*, t. V, p. 587 ; DEL PRADO, *De gratia et libero arbitrio*, t. I, p. XVIII, t. II, p. 143 ss., t. III, p. 13, 98 ss.

(4) *De veritate*, q. 22, a. 9.

(5) 1-2, q. 80, a. 1. Cf. *De Malo*, q. 3, a. 3 ; *Sum. Theol.*, 1, q. 105, a. 4 ; q. 106, a. 2.

(6) Cf. S. THOMAS, 1-2, q. 9, a. 1.

seu de *electione*, hîc actus non *determinatur* ab objecto, quia electio essentialiter consistit in hoc quod voluntas velit unum, alio (quod etiam velle posset) recusato : igitur circa bona quae apprehenduntur ut *particularia* h. e. ut non verificantia rationem boni perfecti, quod est beatitudo ; *eligere* potest et debet voluntas, h. e. unum assumere alio recusato : proinde tunc ipsa *specificat ultimatim* actum suum, ipsa sese determinat ad unum (1).

Bene notemus quod libertas indifferentiae, de qua hîc agitur consistit in hoc quod voluntas potest *ipsa eligere,* nempe in hoc quod voluntas quum ipsa sit physice indifferens ad unum volendum præ altero, *ipsa physice determinet se* ad unum volendum præ altero, adeoque ipsa sit vere *domina* illius electionis seu determinationis ad unum, et consequenter ipsi sit electio vere *imputabilis*.

272. De objecto voluntatis.

Notemus inter *objecta*, quæ sunt bona particularia, et circa quæ consequenter eligere potest voluntas, esse etiam ipsum *actum* voluntatis : potest nempe ratio apprehendere ut bonum non solum velle aut agere sed etiam non velle et non agere, sic potest voluntas *eligere* non ulterius velle aliquid aut non ulterius agere circa aliquid (2).

Ad pleniorem intellectionem eorum quæ exposuimus, notare juvabit non esse bonam, vel saltem non esse absque distinctione et explicatione admittendam, hanc definitionem libertatis quam Molina sic tradit : « agens liberum dicitur quod, positis omnibus requisitis ad agendum potest agere vel non agere, aut ita agere unum ut contrarium etiam agere possit » (3). Libertas indifferentiæ seu electionis non consistit in hoc quod voluntas possit *agere* vel *non agere*, h. e. *eligere* vel *non eligere :* quando enim omnia ad electionem requisita adsunt, physica necessitate *eligit* voluntas, sed potest eligere *non cogitare* de aliqua re, *non velle*, circa illam (4).

273. Etiam in voluntate requiritur præmotio physica ad actum voluntatis ut natura ;

PROPOSITIO. *Etiam in voluntate requiritur præmotio physica, h. e. physica applicatio ad agendum, ad actum voluntatis* **ut natura ;** *non tamen, ut videtur, ad actum voluntatis* **ut ratio,** *h. e. ad ipsam electionem.*

Prænota nos hîc loqui de præmotione physica quae est formaliter *applicatio ad agendum*, in qua consistit tertius modus quo Deus operatur in omni operante, v. suprá, n. 263.

In voluntate, etiam in actione eligendi, requiritur influxus quo Deus influit *esse* in omni operante : qui influxus est quartus modus quo Deus operatur in omni operante, v. suprá, n. 265.

---

(1) Cf. S. THOMAS, 1-2, q. 10, a. 2 ; q. 14, a. 6 ; DE JAEGHER, *o. c.*, n. 453.
(2) Cf. S. THOMAS, 1-2, q. 14, a. 6.
(3) *Concordia*, q. 14, a. 13, disp. 2 (p. 10).
(4) Ideo omnis *omissio* peccaminosa radicaliter consistit in actu positivo. Cf. BILLOT, *De natura et ratione peccati personalis*, p. 18.

Demonstratur 1ª Pars. Supra, n. 267, declaravimus cur requiratur praemotio physica a Deo facultati immissa quando facultas *incipit agere* h. e. transit de quiete ad ipsum agere : ratio hujus necessitatis est quia *agere* est nova et ulterior perfectio quam ex sese non habet facultas operativa et quam proinde sibi dare nequit.

Jamvero voluntas, sicut aliæ facultates operativæ creatæ, etiam transit de non agendo ad ipsum agere : consequenter debet ad ipsum agere moveri physice a Deo. Sed ipsum agere, quando voluntas transit de non agendo ad agendum, est ille actus qui dicitur voluntas *ut natura* (v. suprá, n. 269) : ergo ad illius actus exercitium requiritur præmotio physica. « Necesse est, ait S. Thomas, ponere quod in primum motum voluntatis voluntas prodeat ex instinctu alicujus exterioris moventis [sc. Dei] » (1).

274. non, ut videtur, ad actum voluntatis **ut ratio.**

Demonstratur 2ª Pars. Quando vero voluntas, mota per præmotionem physicam, jam *agit* volendo actu finem (h. e. volendo bonum, sive abstractum secundum rationem felicitatis sive concretum in aliquo objecto) (2), *non jam simpliciter transit* ad agendum, sed est ex natura sua sufficienter actuosa ut velit aliquid circa finem seu eligat : amor ille quo voluntas actu amat bonum, ut finem, extenditur ad eligendum, mediante consilio, quod est in intellectu : unus et idem subjecto est motus voluntatis quo tenditur ad finem et in quod est ad finem (3). Ratio igitur cur non requiratur secunda præmotio physica ad ipsum actum electionis est quia ille actus *virtualiter continetur* in primo actu quo voluntas vult finem, et quia secundus actus h. e. electionis, quoad exercitium ejus, necessitate physica dimanat a primo actu.

Nec alio sensu, ut videtur, possunt intelligi ea quæ habet S. Thomas : « *Utrum voluntas moveat seipsam.*

... Intellectus per hoc quod cognoscit principium, *reducit seipsum de potentia in actum*, quantum ad cognitionem conclusionum ; et hoc modo movet seipsum ; et similiter voluntas *per hoc quod vult finem movet seipsam ad volendum ea quæ sunt ad finem* » (4).

« Voluntas non secundum idem movet et movetur ; unde nec secundum idem est in actu et in potentia ; sed in quantum actu vult finem, *reducit se de potentia in actum* respectu eorum quæ sunt ad finem, *ut* scilicet *actu* ea *velit* » (5).

---

(1) 1-2, q. 9, a. 4.

(2) In præsenti statu animæ, nempe in statu viæ, etiam exercitium actus circa ultimum finem in concreto, h. e. prout verificatur in objecto determinato, puta in Deo, cadit sub electione voluntatis, ideoque hoc exercitium se habet ut id quod est ad finem. Ratio est quia bonum (seu finem) in concreto apprehendimus semper ad modum boni particularis, et ideo etiam appetitus boni hujus considerari potest ut malum, in quantum ex. gr. prohibet aliquod aliud bonum utile vel delectabile.

(3) Ita docet S. THOMAS 1-2, q. 12, a. 4. Tamen actio eligendi est diversa ab operatione qua voluntas *ut natura* vult bonum. Cf. ID., 1. q. 83, a. 4 ad 2 ; *Collat. Brug.*, T. XV, p. 262 ss.

(4) 1-2, q. 9, a. 3.

(5) *Ibid.*, ad 1.

« Deus movet voluntatem hominis sicut universalis motor ad universale objectum voluntatis, quod est bonum, et sine hac universali motione homo non potest aliquid velle ; sed homo per rationem (h. e. mediante intellectus consilio) determinat se ad volendum hoc vel illud, quod est vere bonum vel apparens. — Sed tamen interdum specialiter Deus movet aliquos ad aliquid determinate volendum, quod est bonum, sicut in his quos movet per gratiam » (1).

Notemus bene in his textibus agi de motione voluntatis quoad *exercitium* actus *electionis*.

Audiamus Cajetanum interpretantem S. Thomæ sententiam I, q. 60, a. 2 : « Dilectio *naturalis* ex parte *objecti* est causa finalis *electivæ*, quia propter naturaliter dilectum diligimus alia. Ex parte vero actus (h. e. electionis) est causa per modum *efficientis*, sicut cognitio principii est causa efficiens cognitionis conclusionis. Voluntas enim ex volitione finis *facit* se volentem alia, facit autem libere utendo volitione naturali ad causandam dilectionem electivam. Unde non adimitur libertas ex concursu hoc, sicut nec ex concursu alicujus habitus ad electionem » (2).

Nota. Si aliquis admitteret præmotionem physicam alteram ad ipsum exercitium electionis, quin hæc præmotio sit *prædeterminans ad unum* seu *specificans* electionem, hic nihil diceret quod repugnat libertati indifferentiæ.

275. De dissidio inter Molinismum et Banezianismum.

Scholion. Hic aptus videtur locus quo breviter indicemus radicale dissidium inter duas theologorum scholas.

A. **Quoad actionem Dei in operationibus creaturarnm.**

1. *Molina* a) negat quod Deus in *causam* secundam, prout hæc est causa, *agit, applicando* scilicet causam ad propriam operationem, tenet vero quod Deus tantum *in effectu* h. e. in ipsa operatione, quatenus hæc est egressa e causa secunda, *concurrit* (3); — b) Proinde rejicit *præmotionem* illam *physicam* qua ad ipsum *exercitium actus* applicatur causa secunda, consequenter negat causam secundam, qua est causa, physice dependere quoad ipsum agere a Deo illique subordinari et consequenter statuit concursum Dei cum creatura esse *mere simultaneum:* « Dicendum est *non prius* (nec naturæ, nec temporis prioritate, ut ex contextu patet) Deum concurrere concursu universali ad effectus causarum secundarum quam causas secundas, aut e contrario, neque *prius* existere unum influxum quam alium ; sed utrumque esse *immediatum* in *actionem* et *effectum* producendum atque a se invicem dependere ut existant » (4). — c) Inde etiam omnem præmotionem physicam negat Molina quoad *voluntatem*.

2. Baneziani a) affirmant quod Deus in *causam* secundam, prout est causa, *agit applicando* scilicet causam ad propriam operatio-

(1) 1-2, q. 9, a. 6 ad 3.
(2) In 1, q. 60, a. 2.
(3) *Concordia*, q. 14, a. 13. disp. 26 (p. 152), disp. 29 (p. 188). Cf. *Collat. Brug.*, t. XV, p. 46 ss.
(4) *O. c.* disp. 30, in fine (p. 177).

nem ; b) proinde admittunt *præmotionem physicam* qua ad ipsum exercitium actus applicatur causa secunda. — c). In ipsa *voluntate* Baneziani admittunt præmotionem physicam non solum quoad actum voluntatis *ut natura*, sed etiam quoad actum voluntatis *ut ratio;* scilicet quoad ipsam *electionem* exigunt *alteram præmotionem physicam* (1); imo hæc altera præmotio est, secundum plures saltem Banezianos, vere *prædeterminans* : h. e. hæc secunda præmotio ad ipsam electionem physice efficit, non solum ut homo eligat, sed etiam ut *hoc præ alio velit*, ita ut hæc præmotio physice efficiat ipsam ultimam *determinationem ad unum* actus electivi (2).

Quod Baneziani, plures saltem, admittunt ad ipsum actum electionis dari *physicam præmotionem* physice *prædeterminantem* hanc electionem *ad unum objectum præ alio*, constat :

a/ ex hoc quod necessitatem præmotionis physicæ in voluntate demonstrant hac ratione quod hac præmotione debet voluntas liberari ab *indifferentia* ad diversa *objecta*. Non solum requirunt præmotionem physicam ad hoc ut facultas transeat ad actuale *exercitium* actus, sed specialiter requirunt illam in *voluntate* ut voluntas, ex se *indifferens* ad diversa, *determinetur* ad unum præ alio, ita ut *specificatio* ipsius electionis non a sola voluntate proveniat sed prius, prioritate naturæ et causalitatis ab ipsa præmotione voluntati indita a Deo (3).

b/ Ex hoc quod prædicta sententia necessario connectitur cum opinione Banezianorum de *medio in quo Deus cognoscit* ab æterno omnes creaturarum futuras *electiones*. Censent enim Baneziani Deum ab æterno cognoscere omnes creaturarum electiones in *decreto* ipso voluntatis divinæ quo Deus decernit has in individuo rationales creaturas *prædeterminare ad has in individuo electiones :* si igitur hæc physica præmotio non esset vere *prædeterminans* et *specificans* ipsam electionem, qua electio est, non posset Deus cognoscere, certe et infallibiliter, quid electura sit creatura, in decreto æterno divinæ voluntatis statuentis præmotionem physicam. Ad rem Billuart : « Si [decretum in quo Deus cognoscit futura libera] sit *indifferens* ad futuritionem aut non futuritionem, ad consensum ponendum vel non ponendum, non poterit, *ut patet*, certo

---

(1) GOUDIN hæc habet : « Attamen nec virtus agendi a superiore inferiori communicata, nec judicium practicum in vi intentionis formatum est ipsa ultima actualitas, qua agens inferius agat, et facultas electiva eligat, sed se habent ut aliquæ aut dispositiones aut formæ prærequisitæ, quibus positis Deus, qui unumquodque movet juxta suam dispositionem applicat facultates iis affectas ad agendum ». *Philosophia*, t. IV, P. IV, disp. II, q. 3, a. 4 (p. 519). Agitur hîc de Dei præmotione ad ipsam actionem *eligendi*. Ejusdem quæstionis a. 7 dicit : « Cum ergo voluntatis ea conditio sit, ut divinam motionem qua *applicatur ad eligendum*... » (p. 548). Tandem infrà : « Hoc ipsum quod voluntas liberrime disponens de suis actibus, eum [actum] ad quem antea præmovebatur, interrumpit, non est nisi *ex novo acta* a Deo ut primo motore descendente... » (p. 559).

(2) Cf. ALVAREZ, *De auxiliis divinæ gratiæ*, L. III, disp. 21, n. 13 (p. 176), disp. 23 (p. 212 ss.). Secundum Banezianos hæc præmotio physica, quæ est *intrinseca* voluntati, non est de se *indifferens*, sed est de se *determinans*, imo præcise tollens indifferentiam voluntatis ad diversos actus. Cf. ALVAREZ, *o. c.*, disp. 23, n. 20 (p. 225).

(3) Cf. BILLUART, *De gratia*, diss. V, a. 7. § 3, t. III, (p. 161.3; ZIGLIARA, *Summa philosophica*, Theologia, L. III, c. 4, a. 6 (T. II, p. 513). Cf. PIGNATARO, *o. c.*, p. 521.

et infallibiliter ducere ad cognitionem consensus potius quam non consensus » (1).

Mirum est quod habet Goudin (2) ubi vult explicare cur Deus non sit causa peccati, qua *inordinatus* est actus. Dicit nempe : quod voluntas ad materiale mali potius determinatur [præmotione physica] quam ad actum bonum, hoc oritur ex eo quod ita exigitur *ex propria* voluntatis *dispositione* nempe præsupponitur in ipsa voluntate aliqua *dispositio* quæ *exigit* talem præmotionem physicam præ alia, v. gr. præmotionem ad actum moraliter malum potius quam præmotionem ad actum moraliter bonum. Dispositio autem exigens præmotionem ad actum moraliter malum est, secundum laudatum Auctorem, vel habitus acquisitus malus, vel passio actualiter impellens, vel solus amor propriæ excellentiæ irrepens. Secundum hanc expositionem, dicendum foret, ut videtur, actum peccati *necessario* sequi ex illa dispositione prævia in voluntate, et, secundum hanc dispositionem, specificari præmotionem quæ requiritur, dicendum foret proinde peccatum esse in casu *inevitabile* et adeo non imputabile ; si diceretur præviam dispositionem ad peccatum esse imputabilem, tunc redit quæstio quomodo Deus præmoveat ad illam præviam dispositionem. — Non videtur asseri posse Deum non esse causam ipsius peccati, si admittitur præmotionem physicam ad ipsum actum peccati esse prædeterminantem.

B. **Quoad medium in quo Deus cognoscit ab æterno electiones creaturarum.**

1. *Molina*, a) quum neget omnem præmotionem physicam, consequenter negat a Deo cognosci electiones creaturarum in decreto divinæ voluntatis prædeterminante, seu discernente ipsas prædeterminationes physicas, b) statuit omnes creaturarum electiones, *prout determinationes in individuo* (non prout existentes) cognosci a Deo *independenter* a decreto voluntatis divinæ statuente prædeterminationes physicas et in signo priori ad tale decretum (3). — Auctores qui in hoc secundo puncto consentiunt Molinæ non omnes conveniunt in ulteriore explicatione de medio in quo Deus cognoscit futuras creaturarum electiones (4).

2. Baneziani, a) quum admittant Deum in ipsa electione voluntatis creatæ ita cooperari ut illam physice prædeterminet ad unum in ipso actu eligendi, b) consequenter affirmant electiones omnes creaturarum a Deo ab æterno cognosci in ipso decreto voluntatis divinæ decernente tales ac tales in individuo determinatas prædeterminationes esse producendas (5).

---

(1) *De Deo*, diss. VI, a. 4. § 2 (t. I, p. 181). Cf. ZIGLIARA, *o. c.*, c. 2, a. 3 (t. II, p. 453 ss.).

(2) *O. c.*, l. c., q. 3, a. 7 (p. 545 ss).

(3) Cf. *Concordia*, q. 14, a. 13, disp. 53, membr. 3 (p. 365).

(4) Cf. JANSSENS, *De Deo uno*, t. II, p. 110 ss.; BILLOT, *De Deo*, thes XXII; De BAETS, *Quæstiones de operationibus divinis*, p. 63 ss ; ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, *Meditationes theologicæ*, in *Collat. Brug.*, t. IV, p. 502 ss., qui tenet futuribilia a Deo cognosci consequenter ad decretum quo Deus decernit *actum primum* creaturæ liberæ, quo decreto posito est cognoscibilis Deo *actus secundus* liber. Cf. *o. c.*, p. 504-505. Videsis nostrum tractatum, *De Deo uno et trino*, n. 413 ss.

(5) Cf. *Collat. Brug.*, t. XV, p. 344 ss.

Conclusio. Circa exposita systemata, dicimus :

1) contra Molinam, admittendam esse præmotionem physicam etiam in voluntate, ut suprà n. 267 exposuimus ;

2) contra Banezianos, non admittendam esse præmotionem physicam ad ipsum actum electionis, vel saltem, quod est præcipuum, non esse admittendam *prædeterminationem physicam* ad hunc actum (1).

Et sane, non valemus intelligere quomodo ex sententia Banezianorum non logica necessitate sequatur *negatio libertatis indifferentiæ.* In illorum enim opinione, prædeterminatio physica, *natura* et vera *causalitate,* est prior ipsa electione voluntatis, nempe ab ipsa prædeterminatione physica, voluntati a Deo immissa, efficitur non solum exercitium actionis eligendi, sed *determinatio* seu *specificatio* ad unum objectum præ alio ; jamvero, si ipse Deus *præcausat* seu *prædeterminat* ad *unum* ipsam creaturæ volitionem, hæc volitio, *quatenus sic determinata,* non dependet a creatura, nec hæc electio ipsi est imputabilis, quia ejusdem non est domina. Uno verbo, in sententia Banezianorum aufertur præcise hæc voluntatis in eligendo *indifferentia,* in qua consistit *essentialiter libertas indifferentiæ* (2).

Hoc notare juvabit : admittimus omnino Deum esse causam primam omnium operationum creaturarum, Deum ab æterno, decreto infallibili et immutabili, praedeterminasse omnes creaturarum operationes, etiam liberas : ita ut plena sit, sub omni respectu, dependentia creaturæ a Deo.

Sed Banezianorum sententiam rejicimus quatenus explicationem tradit de ipso actu libero, nempe de modo quo ille actus egreditur ex sua facultate: inde error Banezianorum pertinet ad *psychologiam :* adstruunt enim entitatem physicam, voluntati immissam, natura priorem volitioni et physice *determinantem* volitionem *ad unum :* inde *physica necessitate* egreditur a voluntate volitio determinata ad hoc unum et illa determinatio nullo modo est in ipsa potestate vel sub dominio voluntatis : sic perit tota ratio *electionis* et proinde *imputabilitalis.*

3. Non admittimus consequenter sententiam Banezianorum de medio in quo Deus cognoscit electiones creaturarum. Sed hac de re non est hîc fusius disserendum (3).

---

(1) Inter Auctores hodiernos qui simul, contra Molinam, admittunt *præmotionem* physicam, ac, contra Banezianos, negant *prædeterminationem* physicam in ipso actu electionis, nominandi sunt DE MARIA, *Philosophia peripatetico-scholastica,* t. III, p. 379 ss, 399 ss., REMER, *Summa philosophica,* t. II, p. 455, 464 ; PIGNATARO, *De Deo Creatore,* p. 516, 521 ; BILLOT, *De Gratia,* p. 15 ss., 124 ss. ; *Elementa philosophica* in usum alumnorum Minoris Seminarii in S. Nicolai, Gandæ, 1909, p. 512.

(2) Cf. DE BAETS, *o. c.,* p. 93 ss, præsertim p. 100.

(3) Videsis nostrum tractatum *De Deo uno et trino,* n. 397 ss.

DISPUTATIO SECUNDA.

276. Connexio rerum.

In prima disputatione hujus capitis exponere conati sumus ad mentem divi Thomæ quomodo Deus, ut auctor ordinis *naturalis,* cooperetur in omni creaturarum operatione et quomodo speciatim in voluntatis actione cooperetur.

Hisce præsuppositis, quæ tum objective, tum historice, intime connectuntur cum modo explicandi actionem Dei in actionibus *supernaturalibus,* conabimur detegere quid sit *essentia gratiæ actualis,* et quæ sit ejus *divisio.*

Suprà, n. 256, 260, demonstravimus *existere* supernaturales ac a Deo immediate procedentes, illuminationes intellectus ac inspirationes voluntatis : de *natura* illarum jam inquirimus.

ARTICULUS Ius. **De essentia gratiæ actualis.**

277. Ad gratiam actualem pertinent actus indeliberati intellectus et voluntatis.

PROPOSITIO PRIMA. *Immediatæ intellectus illustrationes et immediatæ voluntatis inspirationes important actus vitales indeliberatos tum intellectus tum voluntatis.*

Hæc propositio est theologice certa.

Prænotandum. Suprà n. 256, demonstravimus dari auxilium supernaturale actuale, quod est intellectus illuminatio ac voluntatis inspiratio. De hac illuminatione ac inspiratione ulterius nunc inquirimus et in prima propositione declaramus quomodo importent *actus indeliberatos* intellectus ac voluntatis. Hæc propositio ab omnibus admittitur theologis ad quamlibet scholam pertineant (1).

Indeliberati vocantur actus qui fiunt independenter ab electione voluntatis, qui scilicet nec sunt electio, nec ad illam sequuntur ut effectus ejusdem. *Deliberatus* actus est ipsa electio vel actus qui et quatenus ab illa procedit. Sic autem vocatur quia sequitur deliberationem seu consilium intellectus (2).

Demonstratur.

Textus S. Scripturæ et declarationes Ecclesiæ, quas n. 256-259 retulimus, docent a Deo intellectum illuminari ac voluntatem inspirari ut homo credat, eligat, petat, *sicut oportet ;* docent etiam (v. n. 259) gratiâ hominem excitari atque adjuvari ad convertendum se, cor hominis tangi a Deo ; huic autem motioni posse hominem resistere vel consentire : hæc autem important quod homo ad consensum, h. e. ad electionem, moveatur seu excitetur a Deo.

---

(1) Cf. MOLINA, *Concordia,* q. 14, a. 13, disp. 45 ; SUAREZ, *De Gratia,* L. III, c. 5 ; ALVAREZ, *De auxiliis divinæ gratiæ,* L. VIII, disp. 75 ; SALMANTICENSES, *Tractatus XIV, De Gratia,* disp. 5, dub. 1 et 2.

(2) V. suprà, n. 268.

Hæc porro excitatio importat actus indeliberatos intellectus ac voluntatis. Nam humana voluntas non sese determinat ad bonum eligendum nisi illud prius cognoscat intellectus; prima igitur excitatio ad bonum eligendum est opportuna cogitatio de eodem : deinde consequitur in voluntate *inclinatio* ad bonum, quod ab intellectu proponitur ; igitur excitatur homo ad salutarem electionem per *actus vitales* intellectus et voluntatis : nempe cogitationes, apprehensiones vel judicia, ac motus correspondentes, v. gr., desideria, in voluntate.

Cæteroquin ipsa vocabula *illuminatio* intellectus et *inspiratio* voluntatis nihil aliud significare possunt quam vel ipsum *actum vitalem* utriusque facultatis, vel motionem cujus *terminus* est *actus vitalis* : nam tunc solum habetur, saltem complete, illuminatio intellectus quando intellectus *cognoscit* actu ; et tunc solum habetur, saltem complete, inspiratio voluntatis quando hæc actu *appetit* seu *inclinatur* in bonum.

Confirmatur. Intellectus cogitationes ac voluntatis inspirationes naturaliter exsurgere possunt ex circumstantiis externis, v. gr. ex prædicatione, lectione. Sed uti vidimus, n. 256, dantur *internæ* et *immediatæ* a Deo motiones, quæ possunt fieri et sæpe fiunt simul cum adjunctis externis. Influxus vero proprius gratiæ actualis in homine exhibetur tamquam *interna Dei locutio* ad animam, distincta ab externa locutione concionatoris vel libri : « Non loquatur mihi Moyses, aut aliquis ex prophetis : sed tu potius loquere, Domine Deus... quia tu solus sine eis potes me perfecte imbuere, illi autem sine te nihil proficient » (1). Ex hac divina locutione consequitur ut anima recte perspiciat cognoscenda in ordine ad agendum : « Litteras tradunt, sed tu sensum aperis... Illi foris tantum agunt, sed tu corda instruis et illuminas » (2).

278. De motibus in facultatibus sensitivis,

Scholion. Ad gratias actuales pertinere aliquo modo possunt motus *quidam facultatum sensitivarum :* Deus enim potest immediate agere in imaginationem, ut ibi excitet phantasmata, etiam in appetitum sensitivum ut ibi motus producat aut compescat : attamen, ut videtur, illi actus essent supernaturales tantum quoad modum, quo producuntur, non essent entitative supernaturales : consequenter non proprie loquendo dici possunt gratiæ actuales. Motus vehementes et supernaturales in facultatibus intellectualibus ordinarie promovent motus in facultatibus sensitivis: sed hi motus qui connaturaliter exsurgunt, non sunt supernaturales, nec entitative, nec quoad modum quo producuntur.

---

(1) *De imitatione Christi,* L. III, c. 1, n. 12.
(2) *Ibid.*

PROPOSITIO SECUNDA. *Gratia actualis excitans non in solis actibus indeliberatis consistit, sed præter ipsos actus admittenda est entitas transiens qua facultas humana intrinsece applicatur ad actum indeliberatum eliciendum.* 279.

Prænotandum. *Status quæstionis.*

Circa hanc propositionem exorta est a sæculo XVI celebris controversia. Molina negavit, in ordine naturali, omnem præmotionem physicam, omnemque influxum Dei prævium ipsi operationi creaturæ, statuitque Dei concursum mere simultaneum. V. suprà, n. 273. Consequenter statuit in ordine supernaturali gratiam actualem excitantem nihil aliud esse quam actum vitalem indeliberatum, nec ullam aliam entitatem pertinere ad rationem gratiæ actualis. Hanc sententiam sic exprimit Suarez : « Ego vero nullum tale auxilium internum potentiisque animæ inhærens, præter actus vitales et actiones eorum, nec alias qualitates per se infusas agnosco, nisi vel habitus vel supernaturales actus vitales » (1). Et infrà : « Censeo nullam talem entitatem infundi quæ sit prior tempore vel natura ipso actu gratiæ excitantis vel principium proximum ejus, sed solum Spiritum Sanctum immediate ac per seipsum infundere hos actus, elevando potentiam ad conficiendum illos » (2).

Alii vero tenent gratiam actualem excitantem non consistere in solis actibus indeliberatis, sed requiri ad illos actus aliquam supernaturalem entitatem quæ sit naturà prior illi actui et principium ejusdem ; inde censent actus indeliberatos esse quidem *effectum* seu *terminum* gratiæ actualis, hanc vero *essentialiter* consistere in supernaturali entitate, physica scilicet motione, qua facultas *intrinsece applicatur* ad eliciendum actum indeliberatum. Inde Alvarez dicit : « Gratia pure præveniens seu quæ primo prævenit nos, non est formaliter actus noster vitalis, sed causaliter » (3). Et Billuart tenet gratiam actualem qua Deus movet ad agendum esse aliquid a Deo distinctum et ab ipso causatum..., esse etiam aliquid distinctum ab operatione hominis : quia datur ad hoc ut homo eliciat suas operationes, estque earum principium effectivum. Insuper gratia est a solo Deo, operatio autem est a Deo et homine (4). Huic sententiæ adhæremus (5).

---

(1) *De Gratia*, L. III, c. 1, n. 12.

(2) *Ibid.*, c. 4, n. 2. — Quoad ulteriorem explicationem de modo quo actus vitalis dicendus sit *supernaturalis* differunt, ut videtur, Molina et Suarez : cf. MAZZELLA, *De Gratia*, n. 148-149 ; PESCH, *o. c.*, t. V, n. 49.

(3) *O. c.*, L. VIII, disp. 74 (p. 620).

(4) *De Gratia*, diss. 4, a. 2 (t. III, p. 115). Cf. SYLVIUS, in 1-2, q. 111, a. 3, concl. 1-4 (p. 730).

(5) Hanc sententiam tenent Thomistæ, etiam SALMANTICENSES, Tract. XIV, *De Gratia*, disp. V, dub. 2 (p. 438 ss) ; BILLOT, *De Gratia*, p. 148 ss ; TERRIEN, *La grâce et la gloire*, t. II, Appendice, p. 365; PIGNATARO, *De Gratia*, lithogr. p. 221; DEL VAL, *Sacra theologia dogmatica*, t. II, p. 499 ; HERRMANN, *Institutiones theologiæ dogmaticæ*, t. II, n. 1130, p. 207 ; VAN NOORT, *De Gratia*. n. 15.

280. Demonstratur requiri divinam applicationem ad actum indeliberatum

Demonstratur.

Actus indeliberatus, de quo agimus, est actus *vitalis,* actus nempe qui a facultate operativa viventis procedit et in ipsa remanet, tamquam ejusdem perfectio. Sed præterea est actus *indeliberatus :* qui nempe non connaturaliter sequitur ex præcedente actione vel intellectus vel voluntatis, sed est, in aliqua serie operationum, primus actus, ad cujus exercitium non potest facultas movere se ; sed quum tunc revera transeat de potentia ad actum, *indiget intrinsece moveri a Deo* seu *applicari ad agendum,* secundum ea quæ suprà, n. 267, exposuimus. Præterea omnes theologi conveniunt in hoc quod actus indeliberatus, de quo agimus, *immediate ab ipso Deo provenit.* Oportet igitur ut Deus facultati vitali immittat motionem instinctivam quæ sit natura prior actui et *applicet* intellectum ad sanctam cogitationem et voluntatem ad pium affectum (1). — De hac motione seu applicatione ad actum intelligendum est, ut videtur, id quod docet S. Thomas : « Interdum, specialiter Deus movet aliquos ad aliquid determinate volendum, quod est bonum, sicut in his quos movet per gratiam » (2).

Nota. Hæc applicatio ad agendum est realiter supernaturalis : est enim physica prædeterminatio a) ab ipso Deo *immediate immissa,* b) in creatura qua ad hanc non habet exigentiam ; nam ante prædeterminationem non est in actu primo proximo eliciendi hunc actum ; c) terminata in *actu entitative supernaturali* (3). Quæ tria sunt simul consideranda.

Dico in actu *entitative supernaturali :* actus indeliberatos esse entitative supernaturales docent theologi plerique, ad quamlibet scholam pertineant. Hoc posito, duplex casus est considerandus :

a) In homine jam justificato, secundum plures theologos, actus indeliberati eliciuntur ab ipsis donis Spiritus Sancti vel a virtutibus infusis (4), et sic fiunt prædicti actus intrinsece seu entitative supernaturales. In hac hypothesi sufficit ipsa *formalis applicatio* ad actum, quemadmodum statim demonstravimus.

b) Sed in homine carente omni habitu supernaturali, ad actus indeliberatos supernaturales non sufficit sola applicatio ad actum sed requiritur etiam *virtus supernaturalis fluens* quæ facultati immissa suppleat habitum infusum, facultatemque intrinsece elevet. Inde ponitur :

---

(1) Cf. BILLOT, *De Gratia,* p. 151 s.

(2) 1-2, q. 9. a. 6, ad 3.

(3) Proinde ne confundas hanc motionem cum influxu divino in omni operatione formaliter secundum quod hæc est aliquod *ens.* V. suprà n. 265.

(4) Si alicui probabilius videretur actus indeliberatos in homine justificato non elici ab habitibus infusis, nec a donis Spiritus Sancti, ille consequenter teneret ad omnem actum indeliberatum, etiam in justo, prærequiri tum ipsam formalem applicationem ad actum, tum virtutem fluentem elevantem facultatem.

281. *In homine carente omni habitu infuso ad actum indeliberatum eliciendum, datur virtus supernaturalis fluens.*

PROPOSITIO TERTIA. *In homine carente omni habitu infuso, præ-requiritur ad actum indeliberatum eliciendum, præter formalem applicationem ad actum, virtus supernaturalis fluens, intrinsece elevans facultatem vitalem.*

Prænotandum. Hac propositione affirmative respondemus quæstioni dilucide propositæ his verbis : « Utrum in intellectu et voluntate eo quod... in instrumentum speciale Dei assumantur, ponatur aliqua qualitas seu realitas supernaturalis tamquam principium quoddam transiens, quasi supplens habitum gratiæ in nondum justificato, ratione cujus dicatur et sit potentia Deo transeunter conjuncta » (1).

Demonstratur.

Actus indeliberati, (v. suprà, n. 57) intrinsece supernaturales sunt. Atqui actus intrinsece supernaturales nequeunt elici a facultate quæ remanet intrinsece naturalis ; haec autem elevatio (in homine non habente dona habitualia infusa) nequit obtineri nisi per virtutem supernaturalem et fluentem, quæ transeunter elevat facultatem. Ergo talis entitas est admittenda.

Major probatur :

1°/ Admittitur a plerisque theologis utriusque Scholæ.

2°/ Caeteroquin sic demonstrari videtur : agentes de necessitate gratiæ demonstravimus gratiam h. e. donum quoddam internum et supernaturale absolute requiri ad omnem actum salutarem et ad omnem actum quo homo vel positive se disponit ad justificationem recipiendam. V. supra n. 43 et 52. Ex quo consequitur facultates nostras esse de se physice incapaces eliciendi quemlibet actum positive pertinentem ad ordinem salutis ; ideo physice requiri gratiam quia actus quatenus procedit a facultate nostra naturali non est *sicut oportet,* sc. non est intrinsece *proportionatus* ad finem ultimum supernaturalem. Hoc est ergo imprimis munus gratiæ, np. physice influere in actum positive pertinentem ad ordinem salutis eumque facere physice seu entitative *supernaturalem* (2). Actus autem illi indeliberati de quibus loquimur sunt actus qui hominem excitant ad actum deliberatum salutarem : ergo et illi actus sunt entitative supernaturales.

Declaratur 1ª Minor.

Operatio nihil aliud est quam actuatio vel actualitas potentiæ operativæ (3). Eatenus effunditur operatio quatenus in potentia

(1) ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, *Meditationes theologicæ,* in *Collat. Brug.,* t. VII, p. 500. Illmus Auctor, a quo expressionem propositæ quæstionis desumpsimus, huic respondet negative : opinio ejus exponitur infrà, n. 286.

(2) V. suprà n. 85.

(3) Cf. S. THOMAS, 1, q. 54, a. 1; *De Potentia,* q. 3, a. 4; BILLOT, *De Gratia,* p. 142 ss.

ipsius proxima præcontinetur. Si ergo facultas est intrinsece naturalis, operatio ab ipsa elicita nequit esse nisi intrinsece seu entitative naturalis. — Nec dicas actum vitalem elevari posse per concursum quemdam mere simultaneum seu concomitantem, ita scil. ut Deus supernaturaliter influat immediate in ipsam operationem, et non in ipsam potentiam operativam. Etenim actus vitalis debet *elici* seu *effici* ab ipsa facultate vitali. Intellectus v. g. nequit intelligere per intellectionem a se non elicitam, eo quod intelligere est vivere in actu secundo, et vivere est se movere, et ideo agere : sed intellectus habens actus indeliberatos vere *intelligit*. Ergo intellectus non se habet mere passive ad prædictos actus, sed eos efficit. Idem valet de voluntate. Ergo tum intellectus tum voluntas vere efficiunt seu eliciunt actus illos indeliberatos. Jamvero illi actus sunt entitative supernaturales. Ergo requiritur ut intellectus et voluntas habeant *in se* id quo constituuntur *principium efficiendi actum entitative supernaturalem*. Ergo oportet ut facultas ipsa intrinsece elevetur prius (prioritate naturæ) quam eliciat actum.

Patet 2ª Minor.

Facultas enim nequit elevari nisi vel per habitum supernaturalem permanenter inhærentem, vel per aliquam virtutem fluentem quæ transeunter supplet habitum. Atqui ex hypothesi non datur habitus infusus. Ergo remanet virtus fluens.

282. Objectio. **Objectio**. Deus per se ipse potest efficere quidquid efficienter procedit a causis secundis. Atqui illa entitas supernaturalis fluens efficienter tantum cooperatur ad actus vitales. Ergo Deus potest per se ipse facere quod facit illa entitas. Ergo hæc non est necessaria.

R. Nego majorem. Non potest Deus efficere id quod est intrinsece contradictorium. V. gr. non potest Deus facere ut lapis intelligat, non potest producere actum intelligendi absque facultate intelligendi, non potest efficere actum vitalem quin procedat ab ente vivente, movente seipsum, et quin remaneat in ipso vivente : contradictorium esset dicere quod Deus producit actum aliquem vitalem qui non procedit ab aliqua causa secunda vivente ; non potest Deus *infundere* actum vitalem qui non elicitur a facultate vitali. Pariter, quia actus indeliberatus, de quo agimus, est simul vitalis ac supernaturalis, videtur requiri omnino ut in ipsa facultate hominis a qua vitaliter procedit sit id unde ille actus fiat supernaturalis : non potest Deus supplere hanc entitatem : si in ipsa facultate vitali non est principium intrinsece elevans hanc facultatem, actus qui ab illa vitaliter procedit nunquam erit intrinsece supernaturalis.

283. Corollaria. Essentia gratiæ excitantis.

Corollarium 1um. Recte dicitur motionem instinctivam Dei (sive sit mera applicatio ad actum, sive importet ulterius virtutem fluentem elevantem) esse *essentiam* gratiæ excitantis ; actum vero indeliberatum esse *terminum* ejusdem. Nam prædicta motio instinctiva est præcise id quod ipse Deus, et *solus* Deus, immediate animæ immittit, et quod de se terminatur ad ipsum actum vitalem cognitionis aut volitionis.

284. Munus gratiæ excitantis.

Corollarium 2um. *Munus* gratiæ excitantis sic est intelligendum : Deus, posita aliqua externa occasione (saltem secundum ordinarium Providentiæ cursum) puta, prædicatione, lectione, eventu quodam, *immediate prædeterminat intellectum* ad aliquam cogitationem opportunam in ordine practico (1) et etiam *prædeterminat voluntatem* ad aliquam inclinationem correspondentem : inde voluntas facta est in actu circa aliquod bonum de ordine salutis, quatenus actu afficitur, exempli gratia, circa Deum prout amabilem, prout colendum, etc., vel circa bonum fugiendi pœnas æternas, tendendi in beatitudinem a Deo promissam, denique circa quodvis objectum peculiaris virtutis, puta castitatis, sobrietatis, patientiæ, etc. etc. (2).

285. Actus indeliberati movent intentionaliter.

Corollarium 3um. *Actus indeliberati*, tum intellectus tum voluntatis, movent hominem *intentionaliter* seu *moraliter :* etenim ab intellectu præsentatur *objectum* bonum, a voluntate procedit inclinatio ad hoc bonum : inde homo allicitur ad *consensum,* nempe ad electionem conformem inclinationi indeliberatæ quæ inest voluntati (3). Inde surgit quæstio : utrum requiratur secunda qualitas fluens in voluntate ad ipsum actum *deliberatum* eliciendum : de hoc sermo erit in sequenti propositione.

Speciale autem *auxilium* gratiæ consistit in illuminatione intellectus et in inspiratione voluntatis, quibus homo *excitatur* ad actum liberum salutarem, et quæ sunt instinctus Spiritus Sancti : hæc excitatio importat et *prædeterminationem* ad actum et ipsum *actum indeliberatum* (4).

Hoc bene notemus quod gratia actualis, essentialiter seu entita-

---

(1) Inde apparet ad illam intellectus illuminationem non requiri ut infundantur a Deo novæ species intelligibiles : cognitio, quæ physice et supernaturaliter prædeterminatur a Deo, fit per eas species quas homo naturaliter habet.

(2) BILLOT, *De Gratia,* p. 144.

(3) « Consensus nominat applicationem appetitivi motus ad aliquid præexistens in potestate applicantis ». S. THOMAS, 1-2, q. 15, a. 3. Cf. SCHIFFINI, *De Gratia divina,* n. 154.

(4) Quantum ad hoc non est differentia inter hominem non justificatum et hominem justificatum : si dicatur, uti diximus, in homine justificato prædeterminationem nihil aliud esse quam *applicationem* ad actum (et non etiam virtutem supernaturalem fluentem), hæc prædeterminatio est tamen supernaturalis : quia tota quanta ordinatur ad actum intrinsece supernaturalem, et quia a Deo immittitur absque exigentia creaturæ, quippe quæ, ante hanc prædeterminationem, non est in actu primo proximo eliciendi actum ad quem prædeterminatur a Deo.

tive considerata, *physice* agit in homine, quatenus praedeterminat actum indeliberatum intellectus et sic intellectum illuminat circa bonum quoddam speciale agendum, et quatenus praedeterminat actum indeliberatum voluntatis et sic voluntatem impellit ad volendum idem speciale bonum : sed consensum voluntatis non physice praedeterminat adeoque relate ad consensum agit gratia actualis *intentionaliter :* etenim actus indeliberatus sive intellectus sive voluntatis non movet ad actum deliberatum nisi per modum *objecti* seu *finis*. Et requidem vera « in tantum voluntas constituitur in actu primo suæ electionis per praecedentem illam affectionem indeliberatam ad bonum in quantum per eam fit in actu appetitionis finis ; nam voluntas quum appetit finem, se agit circa ea quae sunt ad finem. Ergo influxus qui est in voluntate istius piae inspirationis non est alius quam influxus per modum finis seu, ut nonnulli aiunt, influxus moralis ». PIGNATARO, *De gratia,* p. 225. Cf. Card. BILLOT, *o. c.* p. 146 ss.

286. De aliis sententiis.

Animadversio. 1. Auctores qui rejiciunt virtutem supernaturalem fluentem, admittunt nihilominus actus indeliberatos, etiam in homine non justificato, esse intrinsece supernaturales. Vario modo conantur explicare hanc supernaturalitatem.

a) Quidam censent *nullam realitatem* a Deo *infundi* in ipsa facultate hominis, et actum indeliberatum *extrinsecus* elevari, quatenus Deus *supplet* id quod in actu faceret habitus infusus, concurrendo supernaturaliter ad hunc actum (1). Sed revera non intelligi posse videtur Deum supplere habitum infusum et tamen *nihil realitatis* inducere actui. Quomodo tunc ille actus potest fieri *entitative supernaturalis ?* Quapropter, ut videtur, hæc elevatio *extrinseca* est elevatio *nulla.*

b) Palmieri censet actum indeliberatum fieri supernaturalem per aliquem modum non realiter distinctum ab ipsa facultate vel ab anima humana (2). Sed hæc sententia innititur doctrinæ philosophicæ, cui non est adhærendum (3).

c) Illmus ac Revmus Waffelaert, o. c., censet actum indeliberatum recte dici et vere esse entitative supernaturalem, præcise quia in hoc eliciendo actu creatus intellectus vel voluntas *immediate* a Deo et *speciali ratione* assumitur ut instrumentum et communicatur ipsi transeunter cogitatio vel volitio divina. Res nempe sic est intelligenda ut « moveat Deus immediate immediatione suppositi potentiam et eodem modo immediato cum ea concurrat, quin id exigat natura, idque ad singularem actum, ita quidem ut tum ex parte propositionis objecti, tum ex parte subjectivæ operationis, moveat et concurrat modo immediato jam definito ad hunc et talem determinatum actum. Et sic dicimus erit iste actus absolute et entitative supernaturalis ordinisque vere divini cum Deus sit non solum causa prima *esse* actus, ut est vi naturæ in omni operatione creaturæ, sed sit præterea vere causa principalis ac totalis quidem in suo ordine divino, *hujus actus,* cujus creata potentia, ut instrumentum vitale transeunter conjunctum seu a Deo specialiter assumptum, est causa subordinata, quasi instrumentalis, rursumque totalis in ordine suo,

---

(1) Cf. LAHOUSSE, *De Gratia,* n. 105 ; PESCH, *o. c.,* t. V, n. 57.
(2) PALMIERI, *De Gratia actuali,* t. XVI et XVII.
(3) Cf. LAHOUSSE, *o. c.,* n. 100.

creato sed assumpto, elevato » (1). In hac sententia clare apparet cur actus indeliberatus sit *indebitus naturæ*, sed non explicatur, ut videtur, cur ipsa *entitas* actus sit supernaturalis.

De quadam objectione.

2. Sententiæ, quam n. 281 propugnavimus, objiciunt quidam hunc S. Thomæ textum ubi, loquendo de gratiæ effectu quo anima humana movetur ad aliquid cognoscendum vel volendum, dicit : « et hoc modo ipse gratuitus effectus in homine non est qualitas, sed motus quidam animæ » (2). Inde dicitur : S. Thomas docet gratiam actualem non esse *qualitatem*, proinde non admittit illam virtutem fluentem in qua quidam essentiam gratiæ actualis ponunt.

Respondemus optime intelligi cur S. Thomas dicat illum effectum non esse qualitatem, quin sequatur a mente S. Thomæ alienam esse virtutem supernaturalem fluentem. Nam hæc virtus est ens *incompletum*, quod de se ad nullum genus entis proprie pertinet, adeoque non est proprie qualitas ; et sub hoc respectu valde differt a virtutibus infusis, quæ sunt vere qualitates (3).

Attamen non absque ratione a multis theologis dicitur virtus supernaturalis fluens reductive ad genus qualitas pertinere (4).

287. De qualitate mortua.

3. Quidam adversarii impugnant sententiam, quam propugnavimus, designando virtutem fluentem supernaturalem nomine *qualitatis mortuæ* ac si propter illam denominationem solam rejicienda foret res ita ab ipsis nominata. Quibus bene respondet Em. Card. Billot «Animadverto denique ... quod omnibus modis nihili faciendum erit terriculamentum illud quod aliqui apponunt de *qualitate mortua*. Quid enim, quæso, sibi vult qualitas mortua ? Si ideo mortua dicitur qualitas, quia non pullulat ex intrinsecis subjecti principiis, (et non apparet alia vel verosimilis ratio appellationis) : tunc, inter qualitates mortuas ponere oportebit gratiam sanctificantem, virtutes supernaturales tam theologicas quam morales, lumen gloriæ, et quidquid recensetur inter habitualia gratiæ dona. Hæc enim omnia ex intimis nostris nequaquam oriuntur, et non differunt ab actualibus motionibus nisi in quantum afficiunt potentias permanenter, motiones vero afficiunt eas solum transeunter. Sed non ea demum differentia est, qua alia ab aliis secundum esse vivum et esse mortuum unquam distinguentur. Denique, si per abusum terminorum, vivam qualitatem vocare placet eam quæ perficit principium operationis vitalis, i. e. immanentis, tam viva dici poterit qualitas motio, quam qualitas habitus » (5).

288. In homine justificato non requiritur nova et secunda virtus fluens supernaturalis ad actum deliberatum.

PROPOSITIO QUARTA. *In homine justificato non requiritur nova et secunda virtus supernaturalis fluens ad actum deliberatum eliciendum.*

Explicatur.

Uti suprà, n. 272, explicuimus, non requiritur nova *applicatio* voluntatis ad actum *deliberatum* eliciendum : quando voluntas est in actu volendi aliquod bonum (qui est actus voluntatis *ut natura*) tunc potest et debet (6) *ipsa se movere* ad volendum id quod est

(1) *Collat. Brug.*, t. XII, p. 500.
(2) 1-2, q. 110, a. 2.
(3) V. suprà, n. 236.
(4) Cf. Card. BILLOT, *De gratia*, p. 154.
(5) Card. BILLOT, *De Gratia*, p. 155.
(6) Debet, saltem *per se* loquendo. *Per accidens* fieri potest ut intellectus per imaginationem vel sensus externos distrahatur ab actuali cogitatione in qua erat et ideo non transeat ad deliberationem vel judicium practicum, consequenter non habeatur actus deliberatus voluntatis.

ad finem; hic est actus voluntatis *ut ratio,* et hic actus quoad ultimam suam specificationem dependet omnino a voluntate qua *eligit* unum præ alio.

Quando Deus per gratiam excitantem et actum *indeliberatum* consequentem fecit ut voluntas actu et necessario velit aliquod bonum supernaturale (v. suprà, n. 277 ss.), tunc ipsa voluntas, in virtute illius motionis acceptæ, potest et debet se movere vel ad consentiendum illi excitationi divinæ vel ad dissentiendum ab ipsa: hic est actus *electivus* cujus voluntas est revera domina, et qui est vere imputabilis voluntati.

Si agitur de homine justificato, habente virtutes infusas, *consensus* eliciètur per habitum infusum correspondentem ipsi actui qui eliciendus est, et cujus objectum hîc et nunc ab intellectu proponitur, et ad quod voluntas *ut natura* hîc et nunc inclinatur. Supponamus Deum hîc et nunc *excitare* hominem justificatum ad aliquem actum virtutis religionis, puta ad adorationem SS. Sacramenti ; si homo *consentit,* hic consensus elicietur ipsa virtute infusa religionis, quæ præcise ad hoc datur ut homo possit elicere actus supernaturales religionis, et quæ est essentialiter aliqua intrinseca inclinatio potentiæ ad tales actus. Inde non requiritur virtus supernaturalis fluens distincta ab habitu infuso (1).

289. Utrum in homine non justificato requiratur secunda virtus supernaturalis fluens.

Difficulter solvitur quæstio utrum in homine carente omni habitu infuso requiratur nova et secunda virtus fluens ad elevandum intrinsece consensum gratiæ excitanti.

Quidam negant (2) hoc innixi argumento : gratia excitans et ejus terminus scil. actus indeliberatus adhuc remanet in voluntate quando hæc elicit actum consensus : inde *consensus* consistit in hoc quod homo eligat id ad quod jam supernaturaliter inclinatur ; consequenter actus electionis prædictæ, licet sine ullo dubio realiter sit alius ab actu indeliberato, elevatur tamen intrinsece per illam inclinationem supernaturalem cujus est quasi complementum (3).

Sed huic ratiocinio opponi videtur gravis difficultas : etenim, licet admittatur gratiam excitantem adhuc remanere in voluntate quando hæc elicit actum deliberatum (4), tamen virtus supernaturalis fluens, qua elicitur actus indeliberatus, ad hunc actum *terminatur,* nec ultra procedit, quia est virtus instrumentalis ad hunc numero actum eliciendum : inde actus deliberatus, ut videtur, non potest *intrinsece* seu *entitative* fieri supernaturalis per *actum* ab ipso realiter distinctum. Munus proprium illius novae virtutis

(1) Nec requiritur aliqua præmotio physica ad movendum ipsum *habitum infusum,* qua talem, uti diximus suprà, n. 240.

(2) Negant etiam omnes qui adhærent sententiæ Molinæ, in qua negatur omnis virtus supernaturalis fluens.

(3) Ita Card. BILLOT, *De gratia,* p. 157.

(4) Hoc negabat P. PIGNATARO, *De gratia* (pro manuscripto) p. 224 s.

fluentis est tantum in hoc quod physice elevat actum *electionis,* non in hoc quod magis alliciat intentionaliter voluntatem ad consensum.

290. Nota de eo quod proprie dicitur gratia actualis.

Nota. Hucusque locuti sumus de supernaturali intellectus illuminatione ac voluntatis inspiratione, quæ secundum fidem catholicam est id quod nunc designatur nomine gratiæ actualis : ex analysi ulteriori illorum effectuum conati sumus detegere qua in re consistat *essentia* gratiæ actualis et conclusimus hanc esse vel solam prædeterminationem supernaturalem ad actum indeliberatum (in homine justificato) vel hanc prædeterminationem simul cum virtute supernaturali fluente supplente habitum.

Illa realitas constituit *auxilium* omnino *speciale,* quo Deus hominis infirmitati succurrit, realiter distinctum ab externis factis quæ etiam possunt conferre ad salutem ; qualia sunt externa prædicatio, remotio occasionum peccandi, societas bonorum hominum, eventus felices, morbi, mors ; hæc omnia possunt esse a Deo positive ordinata ad salutem hominis, sunt tamen in se naturalia, et non sunt nisi *occasiones* actuum salutarium : licet illa omnia quandoque vocentur gratia actualis, non sunt confundenda cum illo speciali auxilio interno suprà descripto, quod solum proprie dicitur gratia actualis.

ARTICULUS IIus. De divisione gratiæ actualis.

291. De divisione gratiæ actualis dantur diversæ sententiæ.

Non solum quoad modum loquendi, sed etiam quoad modum intelligendi, habetur diversitas inter antiquos scholasticos et theologos qui scripserunt post concilium Tridentinum, quando agitur de divisione gratiæ actualis : occasio illius diversitatis fuit Protestantium doctrina, præsertim quatenus negabat libertatem indifferentiæ.

Theologi recentiores idem designant vocabulis *operante, præveniente* et *excitante* gratia ; etiam ut synonyma habent vocabula *cooperantem, subsequentem* et *adjuvantem* gratiam.

« Ratione diversi respectus ad liberum consensum gratia actualis dividitur in gratiam *excitantem,* quæ et operans et prævenies dicitur ; et gratiam *adjuvantem,* quæ et cooperans et concomitans appellari solet. Illa consistit tum in illustratione intellectus, tum in voluntatis motione quas Deus in nobis, physice quidem non tamen moraliter et libere agentibus, atque hinc sine nobis, excitat, ut bene velimus et bene agamus. Altera consistit in auxilio supernaturali, quo Deus nobiscum libere agentibus ad actus supernaturales concurrit et influit. Eadem gratia a quibusdam *subsequens* dicitur : quo nomine ab aliis illa designatur gratia, qua juvamur

ut opus, quod Deo auxiliante proposuimus, etiam externe exsequamur et in bono proposito perseveremus » (1).

Inde ponitur quæstio utrum gratia *excitans* (seu operans, seu prævéniens) sit realiter distincta a gratia *adjuvante* (seu cooperante, seu subsequente). Non est quæstio utrum actus *indeliberatus* sit numero ac specie distinctus ab actu *deliberato :* nam hoc est evidens. Sed quæstio est utrum gratia excitans *in se* considerata, sit alia entitas seu realitas diversa a gratia adjuvante.

Responsio autem datur diversa ab auctoribus secundum diversam opinionem quam habent de essentia gratiæ actualis.

Baneziani quum censeant ad actum *deliberatum* requiri novam applicationem ad hunc actum et (saltem in homine non justificato) novam virtutem supernaturalem fluentem (distinctam realiter ab applicatione ad actum indeliberatum et a virtute supernaturali fluente ad hunc datam) consequenter tenent realiter distingui gratiam excitantem a gratia adjuvante : *excitantem* enim vocant gratiam immissam ad actum indeliberatum, *adjuvantem* vero gratiam immissam ad actum deliberatum (2).

Alii theologi, nominatim Molina (3) etiam Card. Billot (4) negant realiter distingui gratiam excitantem a gratia adjuvante.

292. Sententia præferenda.

Secundum ea quæ supra exposuimus, distinctione uti debemus, et sequentia statuimus :

1. *In homine justificato, gratia excitans* **secundum se** *considerata, non est realiter distincta a gratia adjuvante :* etenim gratia excitans est applicatio ad actum indeliberatum ; nec datur nova applicatio, nec nova virtus supernaturalis fluens requiritur ad actum deliberatum : inde gratia excitans denominatur adjuvans quatenus accedit *consensus :* ad hunc autem consensum nullus datur novus influxus supernaturalis immediatus a Deo.

2. *Quoad hominem carentem omni habitu infuso, dubia remanet responsio,* si consideratur ipsa entitas supernaturalis infusa : etenim si dicitur non requiri, in homine peccatore, nova virtus supernaturalis fluens immediate ad actum deliberatum eliciendum, consequenter dicetur non realiter distingui adjuvantem ab excitante gratia ; si vero dicitur requiri nova virtus supernaturalis fluens, consequenter dicetur entitas qua supernaturalis redditur actus deliberatus, esse realiter distincta ab entitate qua supernaturalis redditur actus indeliberatus.

3. *In omni casu non differt gratia excitans a gratia adjuvante formaliter considerata in ratione* **auxilii moventis intentio-**

(1) JUNGMANN, *De gratia,* n. 11.
(2) Cf. ALVAREZ, *De auxiliis divinæ gratiæ,* L. IX, disp. 81, n. 7 (p. 649).
(3) *Concordia,* q. 14, a. 13. disp. 39 (p. 223 s.), disp. 40 (p. 227).
(4) *O. c.,* p. 166 ss.

naliter. Etenim, uti suprà, n. 285, exposuimus, id quod movet intentionaliter sunt *actus indeliberati,* (tum intellectus tum voluntatis, qui sunt termini gratiæ excitantis) : hi addunt homini vires morales ad bene volendum; gratia vero adjuvans, de qua loquimur, etiamsi importet aliquam novam entitatem physicam, tamen nullo modo addit novas vires morales : hæc nova entitas esset unice ad physice elevandum actum deliberatum et immitteretur a Deo ut consensus, quem Deus præcognoscit eliciendum, fieret intrinsece supernaturalis.

De mente S. Thomæ.

293.

Nota de S. Thoma,

Jam suprà, n. 130, notavimus a S. Thoma gratiam habitualem distingui secundum effectus in *operantem* et *cooperantem.*

Eamdem divisionem applicat S. Thomas actuali gratiæ, h. e, « divino auxilio quo Deus nos movet ad bene volendum et agendum ». Et terminorum explicationem sic tradit S. Thomas : « In illo effectu in quo mens nostra est mota et non movens, solus autem Deus movens, operatio Deo attribuitur : et secundum hoc dicitur gratia *operans.* In illo autem effectu in quo mens nostra et movet et movetur, operatio non solum attribuitur Deo, sed etiam animæ, et secundum hoc dicitur gratia *cooperans* (1).

Sed difficultas exsurgit quando determinandum est quisnam sit effectus in quo mens nostra est mota et non movens, quisnam vero effectus, in quo movet et movetur. Et primo aspectu videretur dicendum quod effectus, in quo mens nostra est tantum *mota,* est ille actus voluntatis *ut natura ;* effectus vero, in quo mens nostra est simul mota et movens, est actus voluntatis *ut ratio,* actus nempe deliberatus. Attamen, ut videtur, non hic est sensus intentus a S. Thoma (2) : quia ipse distinguit, in sua explicatione, inter actum voluntatis *interiorem* et actum *exteriorem* (qui scilicet a voluntate *imperatur*) : gratiam autem operantem esse dicit ad actum interiorem, cooperantem vero ad exteriorem. Textum S. Thomæ sic interpretatur card. Billot : « Sensus igitur est quod in illo effectu, mens nostra est mota et non movens, quatenus liberum arbitrium se habet solum ut consentiens, nondum ut imperans ; solum ut obsequens suggestioni quæ a Deo est, nondum ut se movens in terminum cujus præconcepta in se volitio sit. Sicut quando aliquis ab alio persuadetur ut incipiat aliquid velle consideratur tamquam ab eo motus, etsi libere consentiat ; et quando jam agit in virtute suæ determinationis, tunc tantum consideratur tamquam se movens, etsi possit esse et movens simul et motus, si adhuc ab alio adjuvetur, sive quoad confirmationem voluntatis sive quoad exsecutionem operis » (3).

S. Thomas etiam dividit gratiam in *prævenientem* et *subsequentem* (4). Hæc divisio fit de omni gratia tum habituali tum actuali et secundum effectus diversos : quatenus gratia habet effectus varios quorum unus est prior altero, eatenus gratia dicitur præveniens vel subsequens : v. gr. gratia qua homo convertitur dicitur præveniens respectu gratiæ qua perseverat in justitia.

(1) 1-2, q. 111, a. 2.
(2) Ideo retracto hanc interpretationem quam dederam in *Collat. Brug.,* t. XV, p. 45.
(3) *De gratia,* p. 163.
(4) 1-2, q. 111, a. 3.

De Bellarmino. Bellarminus explicationem, qua gratia operans dicitur de auxilio ad actum indeliberatum, cooperans vero de auxilio ad actum deliberatum censet non satisfacere verbis Apostoli et S. Augustini ; proponit vero sequentem : « gratiam operantem illam esse, quæ efficit in homine primum actum deliberatæ voluntatis, qualis est conversio, sive ab infidelitate ad fidem, sive a peccatis cæteris ad pœnitentiam ; gratiam vero cooperantem esse illam quæ efficit consequentes actus voluntatis, quales sunt velle orare, velle quærere sacerdotem vel bona opera facere et alii similes. Quos continuo sequentur actus externi, ita ut gratia operans nihil aliud sit nisi auxilium speciale efficax respectu *primi* actus voluntatis ; gratia vero cooperans sit auxilium speciale respectu actuum *sequentium* » (1).

Caput III

DE EFFICACIA GRATIÆ ACTUALIS.

294. Connexio rerum.

Connexio rerum.

Suprà, n. 43, 52, demonstravimus ad omnem actum salutarem et etiam ad omnem actum quo homo positive disponitur ad actum salutarem, requiri gratiam ; etiam demonstravimus, n. 354 ss., dari et requiri, saltem ante hominis justificationem, gratiam actualem, quæ consistit in intellectus illuminatione et voluntatis inspiratione. Deinde ulterius inquisivimus de essentia prædicta illuminationis ac inspirationis (n. 277 ss).

Cognoscimus autem opera salutaria non perfici absque liberi arbitrii cooperatione et propterea homini esse imputabilia. Dum vero ad hanc voluntatis cooperationem advertimus, constat Deum nonnunquam hominibus gratias supernaturales elargiri quæ *cum effectu* ad quem diriguntur *de facto conjunguntur,* alias vero quæ illo *effectu carent ;* aliis verbis, constat homines, a Deo supernaturaliter impulsos ad salutariter agendum quandoque *consentire* et *cooperari* illi excitationi, quandoque vero *non consentire* sed *resistere.* Unde oritur difficillima quæstio *de nexu inter gratiam et liberum arbitrium,* qua scilicet investigatur, *quomodo gratia* in homine *operetur,* quin in eodem *destruatur liberum arbitrium,* et unde fiat ut quædam gratiœ *cum effectu,* ad quem diriguntur, conjungantur, aliæ vero *sine effectu* hoc remaneant (2).

Consequenter ad hæc introducta est distincto inter gratiam *mere sufficientem* et gratiam *efficacem.* Hæc autem divisio, abstractione facta ab omni controversia, de qua postea erit sermo, describitur hoc modo : gratia *mere sufficiens* est gratia actualis, quæ *non obtinet de facto* effectum ad quem ordinabatur, h. e. actum *delibe-*

(1) *De gratia et libero arbitrio,* L. I, c. 14, n. 8.
(2) Ita fere JUNGMANN, *De gratia,* n. 157.

ratum salutarem. ***Gratia vero efficax*** est gratia actualis quæ *obtinet* de facto effectum, h. e. actum deliberatum salutarem.

Inde in articulo I agemus de existentia gratiæ mere sufficientis et gratiæ efficacis secundum quod edocemur ex fide divina ; in articulo II inquiremus de essentia gratiæ mere sufficientis et efficacis : in quo varia catholicorum theologorum systemata exponemus, et explicabimus quid tenendum censeamus tamquam conclusionem quæ logice sequitur ad ea quæ in præcedentibus statuimus de essentia gratiæ actualis.

Historia controversiæ.

295. Historia controversiæ.

Controversia de gratia sufficienti et efficaci exorta est sæculo XVI cum Luthero ejusque sequacibus. Illi enim negabant homini, post Adami peccatum, veram libertatem indifferentiæ, veram nempe immunitatem a physica necessitate ad actum; proinde docebant homines sub influxu gratiæ semper ac necessario id agere ad quod inclinabantur. « Voluntatem, scribit Calvinus, movet Deus non qualiter multis sæculis traditum est et creditum, ut nostræ postea sit electionis, motioni aut obtemperare aut refragari » (1).

Protestantium errorem damnavit concilium Tridentinum (2).

Postea Protestantium synodus Dordracena (1618-1619) declarabat : « Distinctio illa gratiæ in sufficientem et efficacem minime nobis probatur. Retineant eam sibi Bellarminus et Arminius : quoscumque enim Spiritus Sanctus trahit, illis non tantum dat posse currere, sed etiam ut reipsa currant » (3).

Baius etiam, saltem virtualiter et implicite, negavit dari gratiam quæ sit *vere* simul ac *mere sufficiens*. Statuit enim humanam naturam, ob amissionem bonorum supernaturalium ac præternaturalium, fuisse intrinsece ita vitiatam ut in ea concupiscentia dominaretur et ut humana natura necessario trahatur *delectatione terrena,* nisi instruatur opposita *delectatione cœlesti,* quæ sit *major* priori. In hac delectatione cœlesti, quæ sit *intensior* opposita delectatione terrena, consistit gratia *efficax,* quacum voluntas, non quidem coacte, sed tamen necessario, vult bonum. Quodsi datur delectatio quædam cœlestis, quæ non sit major delectatione terrena, habetur tunc gratia *parva,* vel *sufficiens,* quacum tamen nequit voluntas vincere oppositam delectationem (4).

Jansenius præsertim negavit distinctionem inter gratiam sufficientem et efficacem (5), sed ejus doctrina non differt hac in re,

---

(1) *Institutiones,* L. II, c. 10. Cf. JUNGMANN, *o. c.,* n. 159.

(2) Cf. *Enchir.,* n. 814.

(3) Cf. JUNGMANN, *o. c.,* n. 160 ; GUILLERMIN, *La grâce suffisante,* in *Revue Thomiste,* 1901, p. 509. — Protestantes hanc de gratiæ efficacia doctrinam tempore posteriore paulatim rejecerunt. Cf. KROGH-TONNINCH, *Die Gnadenlehre und die stille reformation,* p. 38 ; EINIG, *De gratia,* p. 101.

(4) Cf. JUNGMANN, *o. c.,* n. 161. V. suprà, n. 19 s.

(5) « Nullum igitur dari hominibus lapsis adjutorium sufficiens quin sit simul efficax in Augustini principiis exploratum est ». JANSENIUS, *De gratia Christi,* L. III. c. 1., cit. a GUILLERMIN, *Revue Thomiste,* 1901, p. 510, n. 3.

ut videtur, a sententia Baii. Damnata est hæc Jansenii propositio : « Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur » (1).

Post Jansenii damnationem, asseclæ ejus, quoad modum saltem loquendi, mitigarunt rigidiorem sententiam de gratia sufficienti, et nominatim Arnaldus conatus est explicare suam doctrinam non differre a doctrina quam Thomistæ propugnabant (2). Vanus tamen erat ejus conatus (3) ; radicitus enim vitiata manebat doctrina quia ultimatim *delectationi victrici soli* tribuebat efficaciam gratiæ. Perseveraverunt Jansenistæ in hac sententia defendenda, et damnata est ab Alexandro VIII (an. 1690) contra Jansenistas, hæc propositio : « Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis quam perniciosa est, sic, ut proinde merito possimus petere : A gratia sufficienti libera nos Domine » (4). Iterum damnati sunt Jansenistarum errores propositi in synodo Pistoriensi, anno 1794 (5).

Sed in materia de gratia sufficienti et efficaci non solum errores exorti sunt quos damnavit Ecclesia, sed inter catholicos propositæ ac propugnatæ sententiæ diversæ, quas infrà fusius exponemus, ubi de *doctrina* erit judicandum. Nunc *facta* quædam notatu digna referimus.

Originem habuit controversia sæculo XVI exeunte et ferbuit maxime postquam Molina ediderat opus *Concordia,* nec dirempta fuit in *Congregatione de auxiliis* (1598-1607). V. suprà, n. 21 (6). Molina (7) ipsam gratiæ *efficaciam,* formaliter et præcisive sumptam, ponit non in entitate gratiæ excitantis, sed unice in consensu voluntatis, ita ut, in hac sententia dicendum sit absolute gratiam esse *ab extrinseco efficacem,* non ab intrinseco. Suarez (8) vero, licet teneat gratiam efficacem non addere gratiæ sufficienti novum auxilium prævenienS, nec aliquam entitatem absolutam, tamen ipsissimam efficaciam gratiæ ponit in *congruitate* auxilii excitantis respectu personæ cui datur, ut sit illi ita proportionata ac accommodata ut in tali persona, in tali tempore et occasione infal-

---

(1) V. suprà, n. 22.

(2) Cf. GUILLERMIN, *o. c.*, in *Revue Thomiste*, t. X, 1902, p. 48 ss.

(3) Cf. P. GUILLERMIN, l. c., p. 58 s., Thomistarum doctrinam sic opponit doctrinæ Jansenistarum: « Bien différente est la manière dont les Jansénistes entendent leur délectation victorieuse. Ils disent : la délectation fait pencher du côté du bien ou du côté du mal, parce qu'elle est prépondérante de l'un ou de l'autre côté. Nous [Thomistes] disons : la délectation n'est prépondérante, comme motif pratique d'action, d'un côté plutôt que de l'autre, que parce que la volonté qui pouvait faire pencher la balance de l'un ou de l'autre côté, la fait pencher d'un côté plutôt que de l'autre ». V. *Revue Thomiste,* 1903, p. 21 s.

Hæc responsio, formaliter sumpta, valet ad ostendendam radicalem differentiam inter Jansenismum et Thomismum. Sed remanet, in sententia Thomistarum, quæstio de entitate qua voluntas *de facto* inflectitur in unam vel in alteram partem. Qua de re postea redibit sermo.

(4) *Enchir.*, n. 1296.

(5) *Enchir.*, n. 1521.

(6) Cf. LAHOUSSE, *De gratia,* n. 215 (Appendix : Congregatio de auxiliis), auctoresque ibi citati.

(7) *Concordia,* disp. 38-40.

(8) *De gratia,* L. V, c. 21.

libiliter effectum habeat (1). Hæc sententia vocata est *congruismus*.

Bellarminus (2) Molinæ sententiam rejecit (3), item sententiam Thomistarum et propugnavit congruismum.

Congruismi sententia, ut videtur, eadem est quam P. Cl. Aquaviva, anno 1613, membris Societatis Jesu docendam mandavit hoc decreto : « Nostri in posterum omnino doceant, inter eam gratiam, quæ effectum reapse habet atque efficax dicitur, et eam quam sufficientem nominant, non tantum discrimen esse in actu secundo, quia ex usu liberi arbitrii effectum sortitur..., sed in ipso actu primo, quod, posita scientia conditionalium ex efficaci Dei intentione efficiendi certissime in nobis boni, de industria ipse ea media seligit atque eo modo et tempore confert, quo videt effectum infallibiliter habitura, aliis usurus si hæc inefficacia prævidisset. Quare semper moraliter et in ratione beneficii plus aliquid in efficaci, quam in sufficienti gratia est, in actu primo contineri » (4).

S. Franciscus Salesius qui, ut narratur, Romanum Pontificem Paulum V exhortatus est ne definitivum ferret judicium de quæstionibus agitatis in *Congregatione de auxiliis*, suam propriam de his protulit opinionem, quæ multum placuit Summo Pontifici : sed infeliciter amissa sunt quæ hac de re scripserat prædictus Sanctus (5).

Postea, anno 1618, epistolam misit ad Lessium in qua ejusdem amplectitur sententiam de prædestinatione ad gloriam post prævisa opera (6). Licet connexa sit hæc de prædestinatione quæstio cum quaestione de natura gratiæ sufficientis et efficacis, una tamen cum altera nequit confundi, nec posset quis concludere S. Franciscum etiam amplecti sententiam Lessii de gratiæ efficacia.

Quemadmodum inter Molinistas, uti vidimus, duplex exorta est opinio circa ipsam efficaciam gratiæ, ita et inter Thomistas (7): Joannes Gonzalez de Alveda († 1616) impugnavit doctrinam de gratia sufficienti, quam propugnaverant Lemos et Alvarez : ille efficaciam gratiæ *ab intrinseco* esse contendit, quia in tantum est efficax in quantum intensitate sua vincit resistentiam hominis, ideoque gratiæ intensitas, ut sit efficax, proportionenda est ipsis dispositionibus subjecti cui datur. Hanc sententiam, cui tamen paucissimi ex ordine Prædicatorum theologi adhærent, nuper exposuit et propugnavit cl. P. Guillermin (8).

Augustiniani, sc. membra ordinis S. Augustini, a sæculo XVII mediante, speciali quoddam systema de gratia sufficienti ac efficaci defendunt, ac efficaciam gratiæ constituunt in *delectatione*

---

(1) *O. c.*, n. 4.

(2) *De gratia et libero arbitrio*, L. I, c. 12.

(3) Quidam hoc negarunt, sed immeritò. Sententiam enim primam, quam l. c. refutat Bellarminus, quin nominet illius auctorem, esse absque dubio sententiam Molinæ, demonstrat P. DE LA SERVIÈRE, *La théologie de Bellarmin*, p. 580 s.

(4) Cit. a VAN NOORT, *De gratia*, n. 72. — Cl. P. LAHOUSSE, *De gratia*, n. 215, p. 414, testatur hoc decretum fuisse a P. Beckx declaratum esse *antiquatum*.

(5) Cf. Œuvres complètes de S. François de Sales (Edit. d'Annecy) t. XIII, p. 326, note 1.

(6) Cf. *o. c.*, t. IV, p. XLI.

(7) Cf. III. JANSSENS, O. S. B., 63., *De gratia Dei et Christi*, p. 601 ss.

(8) *Revue thomiste*, 1902, p. 654 ss., 1903, p. 20 ss.

victrici. Alii autem vocantur rigidiores, sicut Noris (1631-1704) et Berti (1695-1766); alii mitiores (1).

Tournely (1658-1729), in Collegio Sorbonico professor, statum quæstionis proponit his verbis : « Utrum sine nova gratia præveniente ac determinante, seu physice seu moraliter, gratia sufficiens suum aliquando sortiatur effectum [h. e. actum *deliberatum* seu *consensum* voluntatis] » (2) ? Deinde rejicit sententiam Jansenii, Molinæ, Thomistarum : tandem suam opinionem proponit quæ hæc est : admittenda est quædam gratia, quæ sine nova gratia præveniente ac determinante, « immediate sufficit ut obtineat effectum suum ; hæc nempe est gratia quæ datur ad faciliora opera, vel ad orandum, qua deinde oratione obtinetur uberius Dei auxilium (novum nempe auxilium) quo difficiliora opera adimpleantur (3). Ut patet hæc assertio non directe respondet quæstioni, quam theologi alii ponebant : nempe utrum gratia actualis sit *ab intrinseco* efficax, vel non. Hæc quæstio ponebatur de omni gratia actuali, sive ad opus facile, sive ad difficile concedatur.

S. Alphonsus de Ligorio (1695-1766) dicit se sequi opinionem a Tournely propositam et clarius forsitan hanc proponit : tenet nempe ad opera *difficiliora* requiri gratiam *ab intrinseco* efficacem, quæ humanam voluntatem ad bonum operandum *determinat,* et, ut plurimum saltem, consistit in *victrice delectatione,* quandoque vero in spe, timore, etc.; ad opera vero *faciliora* censet dari gratiam tantum *sufficientem,* quæ non est ab intrinseco efficax ad opus bonum de facto ponendum, sed quæ tribuit semper omne quod requiritur *ad orationem;* si quis non resistit et orat, obtinebit gratiam *efficacem* (4).

Recentiores theologi plerique hoc Tournely ac S. Alphonsi systema non admittunt. Quidam aliquam mediam sequuntur viam inter Molinismum, Thomismum, ac Augustinianismum.

Ita v. gr. Card. Satolli (5) *sufficientem* dicit gratiam quatenus est excitans seu operans ; *efficacem,* quatenus est adjuvans vel cooperans, et adjungit : « Ni fallor, semota est jam dissentiendi ratio ; neque amplius quærendum quomodo Deus ita agat gratia efficaci ut non lædat liberum arbitrium ; neque dabitur locus rixandi num gratia efficax differat a sufficienti, vel intrinsece ad præmotionem et determinationem voluntatis in consentiendo, vel ex solo effectu consentientis liberi arbitrii per vires gratiæ sufficientis » (6).

(1) Cf. DEL VAL, *Sacra Theologia dogmatica,* t. II, p. 518 ss.
(2) *Prælectiones Theologicæ de gratia Christi,* q. 7, a. 4 (t. II, p. 428).
(3) *O. c.,* l. c., concl. 5 (p. 447).
(4) S. ALPHONSUS, *Opera dogmatica,* t. I, tract. V. § VII (p. 528). Cf. HERRMANN, *Institutiones theologiæ dogmaticæ,* V. II, n. 1215-1229. In exponenda sententia, S. Alphonsi sublineavi vocabula quæ mihi præcipua videntur, ut fidelius redderem opinionem S. Doctoris et etiam ut appareret non sufficere inspiciamus quasdam locutiones, v. gr. gratia *ab intrinseco efficax, delectatio victrix,* ut statim cognoscamus mentem Auctoris. Eædem locutiones diverso sensu adhibentur a theologis.
(5) *De gratia,* p. 135.
(6) Hæc sententia potius ad auferendas difficultates quam ad solvendas valet.

P. Del Val (1) admittit gratiam esse *ab intrinseco* efficacem, sed infallibititatem effectus obtinendi tribuit influxui *morali* intellectus, licet admittat aliquam præmotionem physicam aut concursum intrinsecum in ipsa voluntate.

P. Guillermin etiam admittit gratiam esse *ab intrinseco* efficacem, illamque efficaciam reponit in quadam actuosa congruitate gratiæ excitantis cum voluntate. En verba prælaudati auctoris : « Désormais, avec notre nouvelle explication, il faudra faire consister cette efficacité en quelque chose de relatif et de variable suivant la nature et le degré de l'obstacle dont elle a à triompher. Et de là vient que les défenseurs de cette théorie spéciale attribuent volontiers l'efficacité de la grâce à une certaine proportionalité ou congruité (congruentia, contemperies) avec la volonté ; mais, à leur avis, c'est une congruité agissante et triomphante qui cause infailliblement le consentement, et qui dès lors n'a rien de commun avec la grâce congrue de Suarez, laquelle, on le sait, tire son efficacité du consentement prévu par la science moyenne » (2).

Card. Billot (3), qui rejicit sententiam Molinæ et Suarezii qua illi statuunt concursum simultaneum et negant omnem virtutem fluentem supernaturalem, docet tamen divisionem gratiæ in *efficacem* et *sufficientem* esse subdivisionem gratiæ excitantis, et auxilium efficax non differre in *entitate auxilii* ab auxilio sufficiente, sed differre tantum per *denominationem extrinsecam*, in quantum est a Deo data sub præscientia et propositio absoluto consensus obtinendi.

ARTICULUS Ius. De existentia gratiæ mere sufficientis et gratiæ efficacis.

Prænotandum.

296. Distinguitur gratia **proxime** *et* **remote** *sufficiens.*

Quidam theologi distinguunt gratiam *proxime* et gratiam *remote* sufficientem. Proxime sufficiens habetur quando homo per auxilium in se receptum potest immediate aliquam operationem efficere sine interventu alterius prioris operationis, qua impetret majus auxilium.

Remote sufficiens habetur quando homo nondum recipit in se totum auxilium necessarium ad certum opus, habet tamen illud a Deo paratum, si ad illud se disponat, vel illud impetret. Unde ad habendum auxilium remote sufficiens ad unum actum v. gr. contritionis, necesse est ut habeat homo auxilium proxime sufficiens ad alium actum v. gr. orationis. Atque ita auxilium remotum respectu unius actus revocatur ad proximum respectu alterius (4). Loquimur de gratia *proxime* sufficiente ad actus deliberatos bonos indiscriminatim.

297. Existentia gratiæ vere et mere sufficientis, quo sensu sit admittenda explicatur.

PROPOSITIO PRIMA. *Datur, in præsenti generis humani statu, gratia mere et vere sufficiens, quæ homini completam, etiam relative*

(1) *Sacra theologia dogmatica*, t. II, p. 524 ss.
(2) *Revue Thomiste*, 1902, p. 658.
(3) *De gratia*, p. 166 ss.
(4) Cf. MAZZELA, *De Gratia*, n. 504.

ad præsentes ejus circumstantias, facultatem ad actus bonos eli ciendos tribuit, quæ tamen inutilis redditur ex humanæ voluntatis resistentia (1).

Hæc propositio est de fide divina.

Explicatur.

1) Dicitur *in præsenti generis humani statu:* quia hæretici præcise ex præsenti statu generis humani, nempe ex statu naturæ corruptæ, deducebant negationem gratiæ vere et mere sufficientis, etenim propter hunc statum requirebant delectationem victricem, cui homo non poterat resistere ; quæ si aberat, non poterat homo bonum opus facere : sic igitur dicebat Jansenius : « interiori gratiæ *in statu naturæ lapsæ* nunquam resistitur ». V. Suprà, n. 22.

2) Dicitur : *gratia.* Hoc vocabulo intelligendum est præcipue auxilium supernaturale *actuale,* non tamen unice. Etenim docemur ex documentis, quæ in demonstratione citabimus, hominem quandoque resistere interiori gratiæ *actuali ;* attamen de fide non est, nec verum esse putamus, hominem, quotiescumque peccat, alicui actuali et supernaturali auxilio hîc et nunc resistere. Potest enim homo habere sufficientes vires, etiam mere naturales, ut vitet aliquod peccatum. Præterea non admittimus, ut postea explicabimus, requiri speciale auxilium actuale supernaturale, nempe novam intellectus illuminationem ac voluntatis inspirationem, quotiescumque homo justificatus debet actum salutarem ponere : inde etiam quando justificatus peccat, non semper resistit hîc et nunc alicui gratiæ *actuali.* Nec dici potest de gratia *actuali sola* loqui intendisse Ecclesiam quando damnavit hanc Jansenii propositionem : « aliqua Dei præcepta hominibus *justis* volentibus et conantibus, secundum præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia : deest quoque illis *gratia,* qua possibilia sunt » (V. suprà, n. 22). Certe non intendit Ecclesia declarare ad singula præcepta adimplenda, etiam salutariter, requiri in singulis casibus, aliquod speciale auxilium *actuale.* Declaravit Ecclesia semper dari justis *gratiam* qua ipsis possibile est observare præcepta ; ex quo sequitur ipsos justos, si peccent, resistere aliquo modo *gratiæ ;* sed non declaravit Ecclesia quænam sit natura gratiæ cui resistunt. Si aliunde constat justos quandoque cum solis habitualibus donis habere omnia quæ requiruntur ad præcepta salutariter adimplenda, verificatur pro ipsis *non deese gratiam* qua possibilia fiant præcepta.

3. Dicitur : quæ homini completam etiam *relative ad præsentes ejus circumstantias* facultatem tribuit : ut innotescat quo sensu dicatur gratia *vere* sufficiens, nempe quatenus tribuit omne quo hîc et nunc homo indiget ut operetur id quod debet operari.

4. Dicitur : quæ *inutilis* redditur *ex humanæ voluntatis resisten-*

(1) JUNGMANN, *De gratia,* n. 181.

tia : ut appareat eatenus gratiam esse *mere* sufficientem, quatenus voluntas resistit seu non consentit : ita ut defectus consensus non sit tribuendus insufficientiæ gratiæ, sed unice liberæ hominis resistentiæ. Hoc admittitur ab omnibus catholicis, licet aliter et aliter explicent efficaciam gratiæ, ut postea dicemus.

Resistere gratiæ dici potest aliquis, etiam quando non datur hîc et nunc aliquod supernaturale et actuale auxilium internum cui directe resistit.

Juvenis justus, v. gr., die dominica, sive ex memoria sua, sive ex externa circumstantia, puta ex monitione matris, cogitat se obligari sub gravi ad audiendam Missam, seseque incurrere reatum pœnæ æternæ, si renuit satisfacere huic obligationi : hæc potest actu cogitare, quin requiratur speciale auxilium gratiæ actualis. Si igitur non datur tale auxilium et juvenis tamen renuit audire Missam, potest dici resistere gratiæ : quia hæc cogitatio est aliquis effectus gratiæ, nominatim fidei quæ est in ipso.

Quidam theologi inter gratias actuales numerant actus deliberatos supernaturales in justificato : « actus liber caritatis v. gr. est donum Dei gratuitum quia ope gratiæ factus est et potest movere ad alia bona opera : ergo vere meretur nomen gratiæ [actualis] » (1). Si admittatur hic loquendi modus, qui nobis non placet, utpote præbens ansam confusioni, etiam dicetur resistere gratiæ ille qui v. gr. deliberate et supernaturaliter proposuit tali die facere talem actum mortificationis, et postea, cogitans de facienda mortificatione, eam renuit facere: tamen non requiritur speciale auxilium gratiæ actualis (h. e. immediata intellectus illustratio vel immediata voluntatis inspiratio) ut homo cogitet de facienda mortificatione : hæc cogitatio potest esse naturalis actus memoriæ.

Demonstratur.

298. Existentia gratiæ sufficientis demonstratur; I) ex S. Scriptura;

A. EX S. SCRIPTURA.

1. « Cantabo dilecto meo canticum patruelis mei vineæ suæ. Vinea facta est dilecto meo in cornu filio olei. Et sepivit eam, et lapides elegit ex illa, et plantavit eam electam, et ædificavit turrim in medio ejus, et torcular exstruxit in ea : et exspectavit ut faceret uvas, et fecit labruscas. Nunc ergo, habitatores Jerusalem, et viri Juda, judicate inter me et vineam meam. Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ, et non feci ei ? An quod expectavi ut faceret uvas, et fecit labruscas ? Et nunc ostendam vobis quid ego faciam vineæ meæ; auferam sepem ejus, et erit in direptionem: diruam maceriem ejus et erit in conculcationem. Et ponam eam desertam : non putabitur, et non fodietur : et ascendent vepres et spinæ: et nubibus mandabo ne pluant super eam imbrem. Vinea enim Domini exercituum domus Israël est : et vir Juda germen ejus delectabile : et expectavi ut faceret judicium, et ecce iniquitas : et justitiam, et ecce clamor » (2).

In hoc loco sub forma parabolæ describit propheta Isaias ingratitudinem populi Israël erga Deum et pœnam a Deo inflictam

(1) PESCH, *Prælectiones dogmaticæ*, t. V, n. 32.
(2) *Isai.*, V, 1-7.

populo : ingratitudo populi præcise in hoc est, quod abundantibus auxilliis a Deo datis, ut fructus justitiæ supernaturalis produceret, ipse populus non cooperatus est, sed injustitiam egit. In hac parabola, vinea est populus Israël ; ille qui coluit vineam est Deus ; media quæ Deus adhibet sunt auxilia gratiæ ad recte vivendum : nam justitiæ fructus quos Deus a populo judaico exspectabat non poterant fieri absque auxiliis gratiæ, h. e. donorum supernaturalium.

Quibus positis sic conficitur demonstratio : a/ dicitur Deus expectasse a Judæis fructus bonorum operum : ergo Judæi, spectatis etiam præsentibus eorum circumstantiis, habuerunt veram potentiam faciendi hæc opera bona ; b/ præterea Deus provocat Judæos ad judicium, et pronuntiat : *quid est quod debui ultra facere ?* Sed si Judæis, spectatis præsentibus eorum circumstantiis, defuisset vera potentia recte agendi, potuissent Deo respondere : non satis fecisti. Habuerunt ergo Judæi auxilia quibus potuissent agere sicut oportet et quibus tamen non sunt cooperati : dantur ergo auxilia vere sufficientia, quæ tamen ex libera hominum resistentia non habent effectum salutarem ad quem conceduntur.

2° Christus Dominus Judæos increpat verbis illis : « Jerusalem, Jerusalem..., quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti ? Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta » (1).

Habuerunt igitur Judæi in statu in quo erant gratiam internam vere sufficientem ad credendum Christo, cui tamen ex propria malitia, maxima pœna digna, credere noluerunt.

3° « Benignitas Dei, ait Apostolus, ad pœnitentiam te adducit : secundum autem duritiam tuam et impœnitens cor thesaurizas tibi iram » (2).

Sed perperam benignitas Dei prædicaretur, si gratias ad hominis conversionem vere et relative sufficientes non concederet ; et hominis duritia et impœnitentia non juste increparetur si ipse gratiæ obtemperare non posset, sed per fortiorem concupiscentiam necessario in malum abriperetur.

4. S. Stephanus judices adversarios sic alloquitur : « Dura cervice et incircumcisis cordibus et auribus, vos semper Spiritui Sancto resistitis, sicut Patres vestri, ita et vos » (3).

His verbis S. Stephanus, non solum secundum fidem suam christianam, oppositionem Pharisæorum interpretatur, sed hæc dicit, ut videtur, sub speciali influxu Spiritus sancti (4). Accusat

---

(1) *Matth.*, XXIII, 37.
(2) *Rom.*, II, 4.
(3) *Act.*, VII, 51.
(4) *Ibid.*, 54.

proinde Judæos de resistentia Spiritui sancto ; hæc autem non est tantum resistentia exteriori doctrinæ, sed interiori impulsui, qui proprium est munus Spiritus sancti. Huic autem resistentiæ tribuendum est quod impulsus Spiritus sancti non habeat effectum quem habere potest : proinde hic impulsus, seu gratia interior, est ex sese vere sufficiens, sed fit mere sufficiens ex voluntaria et libera resistentia hominum qui illum recipiunt (1).

B. EX TRADITIONE ET ECCLESIÆ DOCUMENTIS.

299.
2) ex Traditione :
a) ex assertis Patrum,

1. *Ex effatis quorumdam Patrum.*

S. Irenæus : « Illud autem, quod ait [Deus] : « Quoties volui colligere filios tuos et noluisti ? » veterem legem libertatis hominis manifestavit, quia liberum eum Deus fecit ab initio habentem suam potestatem, sicut et suam animam, ad utendum sententia Dei voluntarie et non coacte. Vis enim a Deo non fit, sed bona sententia adest illi semper. Et propter hoc consilium quidem bonum dat omnibus [h. e. omnibus dat Deus ut possint bonum operari]... qui operantur quidem illud [bonum], gloriam et honorem percipient, quoniam operati sunt bonum cum possint non operari illud ; hi autem qui illud non operantur, judicium justum excipient Dei, quoniam non sunt operati bonum cum possint operari illud » (2). Non dubitandum est quominus S. Irenæus hîc loquatur de opere bono salutari, proinde supernaturali, ad quod prærequiritur gratia ; quapropter qui non sunt operati bonum cum potuissent, illi sunt qui gratiæ libere restiterunt. — *S. Joannes Chrysostomus* dicit : « Gratia in omnes diffusa est... Qui vero nolunt hoc frui dono, hanc sibi ipsis cæcitatem imputent oportet. Cum enim aditu omnibus patente et a nemine intercluso, quidam ex voluntaria nequitia extra manent, ii suo tantum vitio pereunt (3). — *S. Ambrosius :* « Numquid si quis ostia domus suæ claudit, solis est culpa quod non illuminet domum ejus ? Ergo si quis peccatorum suorum repagulis observandam mentem propriam judicaverit, et Verbi a se splendorem stultus avertat, ac sibi inferat insipientiæ cæcitatem, causari poterit quod sol justitiæ noluerit intrare aut infirmitatem luminis cœlestis arguere » (4). — *S. Augustinus* docet voluntatem, qua credimus Deo, esse dono Dei tribuendam, licet etiam ex libero arbitrio proveniat : hoc sic exponit ut pateat a se admitti existere gratiam vere sufficientem ad credendum, quæ tamen est mere sufficiens :

« Attendat, et videat, non ideo tantum istam voluntatem divino muneri tribuendam, quia ex libero arbitrio est, quod nobis naturaliter concrea-

---

(1) Cf. VAN STEENKISTE-CAMERLYNCK, *Commentarius in Actus Apostolorum*, p. 198, CAMERLYNCK-VAN DER HEEREN, *Commentarius in Actus Apostolorum*, p. 177 ss.
(2) *Adversus Hæreses*, L. IV, c. 37, n. 1.
(3) *In Joan*, homil. 8, n. 1.
(4) *In psalm. 118*, serm. 17, n. 40.

tum est ; verum etiam quod visorum suasionibus agit Deus, ut velimus, et ut credamus, sive extrinsecus per evangelicas exhortationes, ubi et mandata legis aliquid agunt, si ad hoc admonent hominem infirmitatis suæ, ut ad gratiam justificantem credendo confugiat, sive intrinsecus, ubi nemo habet in potestate quid ei veniat in mentem, sed consentire vel dissentire propriæ voluntatis est. His ergo modis quando Deus agit cum anima rationali, ut ei credat, neque enim credere potest quodlibet libero arbitrio, si nulla sit suasio vel vocatio cui credat ; profecto et ipsum velle credere Deus operatur in homine, et in omnibus misericordia ejus prævenit nos : consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire, sicut dixi, propriæ voluntatis est. Quæ res non solum non infirmat quod dictum est, *Quid enim habes quod accepisti,* verùm etiam confirmat. Accipere quippe et habere anima non potest dona, de quibus hoc audit, nisi consentiendo : ac per hoc quid habeat, et quid accipiat, Dei est : accipere autem et habere utique accipientis et habentis est. Jam si ad illam profunditatem scrutandam quisquam nos coartet, cur illi ita suadeatur ut persuadeatur, illi autem non ita ; duo sola occurrunt interim quæ respondere mihi placeat : *O altitudo divitiarum !* et, *Numquid iniquitas apud Deum ?* » (1).

300. b) ex Ecclesiæ documentis ;

2. *Ex Ecclesiæ documentis.*

His edocemur gratiam, quæ requiritur ut homines præcepta adimpleant sicut oportet ad salutem, adesse semper ; consequenter si homines justificati peccant, vel vocati ad fidem non credunt, (quod accidere supponitur), hoc est tribuendum unice resistentiæ liberi arbitrii hominis.

Concilium Arausicanum II, post can. 25 dicit : « Hoc etiam secundum fidem catholicam credimus quod accepta per baptismum gratia omnes baptizati, Christo auxiliante et cooperante [his verbis indicatur gratia actualis], quæ ad salutem pertinent, possint et debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere » (2).

Secundum *concilium Tridentinum* (Sess. V, c. 5) homo per gratiam ita disponitur, « ut tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens, quippe qui illam et abjicere potest, neque tamen sine gratia Dei movere se ad justitiam coram illo libera sua voluntate possit » (3). Hinc can. 4: « Si quis dixerit liberum hominis arbitrium a Deo motum et excitatum nihil cooperari assentiendo... neque posse dissentire, si velit, A. S. » (4) Idem concilium (c. 11) docet hominem justificatum posse observare omnia mandata quia « Deus sua gratia semel justificatos non deserit, nisi ab iis prius deseratur » (5). Tandem damnatæ sunt Jansenii propositiones 1ª et 2ª (6), diversæ propositiones Quesnelli (7), tandem

(1) *De spiritu et littera,* c. 34, n. 60. Infrà de mente S. Augustini ulterius agemus.
(2) *Enchir.,* n. 200.
(3) *Enchir.,* n. 797.
(4) *Ibid.,* n. 814.
(5) *Ibid.,* n. 804.
(6) V. suprà, n. 22.
(7) V. suprà, n. 24.

aliorum Jansenistarum propositio fuit damnata qua dicebatur « Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis quam perniciosa est » (1).

C. EX RATIONE THEOLOGICA.

301. 3) ex ratione theologica.

Deus sincere vult omnes homines salvos fieri et consequenter homini jam justificato providet ita ut ille habeat omne quod requiritur ut vere possit perseverare : « Qui... proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum : quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit [h. e. donabit] » (2) ? Justis igitur Deus dat omne gratiæ auxilium quod ipsis necessarium est. Ex altera vero parte non omnes homines justificati perseverant ; ergo datur gratia vere et mere sufficiens.

Specialiter quoad gratiam actualem proprie dictam, scilicet quoad internam ac supernaturalem motionem in intellectu ac voluntate, cujus terminus est actus supernaturalis indeliberatus (V. suprà, n. 283) : certum est, ut postea demonstrabimus, prædicta gratia actuali indigere hominem justum ut perseveret, proinde talem gratiam sæpe concedi a Deo : eo vel magis quod Deus describitur ut elargiens, cum magna misericordia ac benignitate, dona necessaria ad salutem ; igitur oportet ut justi, qui non perseverant, quandoque saltem, gratiæ actuali, proprie dictæ, resistant, et consequenter ut existat gratia actualis vere et mere sufficiens. — Idem dicendum de motibus, quibus impelluntur infideles ad fidem, et peccatores ad conversionem, et quibus tamen resistunt : non possumus dubitare quominus illi actus indeliberati sint gratia actualis proprie dicta, licet tamen nunquam possimus cognoscere directe aliquem actum esse motionem *supernaturalem*.

302. De valore cujusdam argumenti

Nota. 1. Ex dictis sequitur nostram propositionem non demonstrari argumento sic proposito : Deus vult omnes homines salvos fieri. Atqui sine gratia vere sufficiente non possunt salvi fieri. Ergo etiam illi, qui pereunt, habent gratiam vere sufficientem, qua se salvare possunt.

Hujus enim syllogismi consequentia est neganda : nam conclusio non continetur intra præmissas sed ultra extenditur et supponit aliquid quod non demonstratur. Etenim sic est exponendus syllogismus : Deus vult omnes homines salvos fieri et consequenter dare id quod requiritur ad salutem ; atqui ad salutem requiritur gratia sufficiens ; ergo Deus vult omnibus dare gratiam sufficientem. Huic syllogismo respondetur :

Dist. Maj. Deus vult voluntate *conditionata* omnes homines salvos fieri, *conc.*, Deus hoc vult voluntate *absoluta*, nego.

Conc. min.

Contrad. conseq. Deus vult voluntate *conditionata* omnibus dare gratiam sufficientem, *conc., hoc vult voluntate absoluta*, nego. Proinde nequit fieri conclusio : omnes qui de facto pereunt, habuerunt gratiam sufficientem.

---

(1) V. suprà, n. 295.
(2) *Rom.*, VIII, 32.

Etenim potest et debet Deus velle absolute dare hominibus adultis *auxilium* sufficiens ad salutem ; et potest Deus velle *conditionate* dare *gratiam* sufficientem : hac scilicet conditione : dummodo homo non ponat ipse obstaculum gratiæ. Potest autem homo ponere tale obstaculum.

Etenim homo infidelis potest ex solis viribus naturæ, saltem per aliquod tempus, observare legem naturalem et vitare peccatum mortale ; potest tamen tunc etiam peccare mortaliter et quidem gravissime. Supponamus illum in peccato mortali lapsum esse, nonne posset Deus permittere illum in tali statu mori, quin illi tribuat *gratiam,* h. e. auxilium entitative supernaturale ? Affirmative respondendum videtur et dicendum, in casu, hujusmodi hominis damnationem esse ipsi tribuendam, ipsumque peccato suo posuisse impedimentum gratiæ quam nunquam habuit.

Loquimur hîc de gratia proprie dicta et de hac est loquendum quando sermo est, in doctrina Ecclesiæ, de gratiæ sufficientia, prout hæc fuit definita contra Jansenistas (1).

2. Omnino tenendum est dari semper hominibus auxilium sufficiens ut possint vitare peccatum mortale, non tamen demonstrari potest semper dari gratiam h. e. auxilium speciale immediate a Deo hominis intellectui ac voluntati immissum. Licet omnino admittendum sit ab initio temporis quo existit homo datas fuisse gratias actuales, tamen quoad *distributionem* illarum potest esse magna differentia inter varios status in quibus versatum est genus humanum. Circa hoc notat Faure : « Quæres obiter. Cum plures sint opiniones de modo quo Deus consuluerit ac porro consulat [saluti hominum] tum ante legem Moysi per bis mille quingentos ut minimum annos, tum universim omnibus constitutis extra ecclesiam sive christianorum sive judæorum, quis modus ab Augustino propugnetur ac doceatur. Respondeo : quantum observare potui in lectione Augustini, tam certus fuit S. Doctor de sufficientia omnibus adultis data etiam ante legem aut infidelibus, quam incertus de *modo,* quem spectare dicit ad profunditatem divini consilii » (2).

303. Objectiones.

Objectiones.

1. Si quis resisteret gratiæ actuali, ille resisteret voluntati Dei. Atqui nemo resistit voluntati Dei. Ergo nemo resistit gratiæ actuali.

R. *Dist. Maj.* Ille resisteret Dei voluntati *signi, conc.;*

» » » » *beneplaciti, nego.*

Contradist. min.

Explicatur distinctio. Dei voluntas *signi* est voluntas *metaphorice* dicta, est scilicet id quod apud nos solet esse signum volitionis proprie dictæ et quod in Deo dicitur voluntas; talia sunt: operatio, permissio, præceptum, prohibitio, consilium (3).

Voluntas signi quandoque adimpletur, quandoque non: v. gr.

---

(1) Non igitur ex hac propositione : homo semper habet omne quod requiritur ut vitet peccatum mortale, possumus concludere : ergo si peccat, resistit *gratiæ ;* oportet prius demonstrare hoc assertum : nunquam potest homo resistere alicui tentationi de peccato gravi, vel vitare peccatum mortale, quin hîc et nunc Spiritus sancti illuminatione vel inspiratione roboretur. Tale autem assertum nequit demonstrari. V. suprà, n. 75.

(2) *Enchiridion S. Augustini,* p. 219.

(3) Cf. THOMAS, in I *Sent,* dist. 45, a. 4, dist. 47, a. 2; *Sum Theol.,* 1, q. 19, a. 11 ; *De veritate,* q. 23, a. 3. *Collat. Brug.,* t. XIV, p. 27 ss. V. nostrum tractatum *de Deo uno et trino,* n. 460 ss.

Dei præcepta, prohibitiones, consilia quandoque ab hominibus adimplentur, quandoque non. Quando homo resistit gratiæ actuali, qua excitatur a Deo ad adimplendum aliquod præceptum, prohibitio, consilium, tunc resistit voluntati signi.

Voluntas *beneplaciti* est voluntas proprie dicta, est nempe volitio quæ Deo inest. Hæc autem est vel *absoluta,* vel *conditionata :* absoluta est actio volitiva qua Deus absolute vult aliquid esse. Patet hanc voluntatem impleri semper (1). Conditionata est quando objectum ejus est aliquid boni sub conditione voliti : v. gr. quando Deus dat homini aliquam gratiam vere et mere sufficientem, Deus vult ut homo determinatum actum bonum eliciat *dummodo homo libere consentiat* (2). In hoc casu, Deus *absolute* vult: a) ut homo excitetur modo vere sufficienti ad actum bonum : hæc excitatio realiter fit ; b) ut homo eligat : hoc etiam fit ; c) vult non impedire, seu permittere, ut homo non consentiat gratiæ : hæc negatio consensus etiam habetur. Igitur homo non resistit voluntati beneplaciti absolutæ ; sed nec resistit, proprie loquendo, voluntati hypotheticæ, præcise quia est hypothetica, quia nempe Deus prævognoscit et permittit negationem consensus.

Attamen quando homo non vult adimplere id ad quod positive movetur a Deo, quando hæc nolitio est vere culpabilis seu peccatum, tunc punietur a Deo et sic adimplebitur iterum voluntas beneplaciti Dei absoluta, quæ vult ut peccatum puniatur. « Unde quod recedere videtur a divina voluntate secundum unum ordinem, relabitur in ipsam secundum alium : sicut peccator qui, quantum est in se, recedit a divina voluntate peccando, incidit in ordinem divinæ voluntatis dum ejus justitia punitur » (3).

2. Si medium proportionatur fini, posito medio obtinetur finis. Atqui gratia vere sufficiens est medium proportionatum fini. Ergo gratia vere sufficiens semper obtinet finem ad quem datur, h. e. actum supernaturalem deliberatum.

R. Si medium ex se solo sufficit adæquate ad finem, *conc. ;* si medium tale est ut requiratur cooperationem entis extrinseci, *subdist. :* si illud agens extrinsecum est agens necessarium, *conc. ;* si est agens liberum, libertate indifferentiæ, *nego.*

Contrad. min.

Explico. Quando aliquid se habet ut medium ad effectum obtinendum, ita ut effectus a nullo alio dependeat quam a positione illius medii, tunc posito medio obtinetur effectus.

Ita v. gr. si lumini solis opponitur speculum, determinato situ,

---

(1) Cf. *Collat. Brug.,* t. XIV, p. 253.

(2) Etiam quando Deus dat gratiam *efficacem,* vult ut homo determinatum bonum opus eliciat, *dummodo libere consentiat :* sed tunc Deus prævognoscit consensum illumque vult.

(3) S. THOMAS, 1, q. 19, a. 6.

obtinetur imago luminosa determinato loco, ac dependenter a situ speculi : tunc enim solum speculum ex sese sufficit ad reflectendos radios luminis. Si vero medium non obtinet effectum nisi cooperante, alio agente : tunc si agens est necessarium, posito medio, obtinetur effectus ; si vero illud agens est præditum libertate indifferentiæ, et si effectus dependet a cooperatione illius entis, qua talis, tunc effectus potest non obtineri, præcise quia illud agens quum sit indifferens potest vel uti medio, vel non uti ; in casu, potest consentire motioni gratiæ, vel dissentire ab illa.

304. Gratia vere et mere sufficiens est beneficium Dei, et materialiter spectatum,

Corollarium. *Gratia vere et mere sufficiens est verum beneficium, tum materialiter spectatum, quatenus est aliquod bonum accipienti, tum formaliter spectatum, quatenus a Deo conceditur ex amore et beneficentia erga hominem.*

Demonstratur 1ª pars asserti. Gratia vere et mere sufficiens duo in suo conceptu includit, scilicet potentiam agendi salutariter et carentiam actus salutaris propter humanæ voluntatis resistentiam. Jamvero primum evidenter habet rationem beneficii : est enim donum gratuitum quo homo possit recte agere. Alterum autem non tollit rationem beneficii : res enim in se bona alicui concessa non amittit rationem beneficii ex hoc quod ille non utatur vel abutatur hoc dono. V. gr. summa pecuniæ gratis concessa alicui, qui ea bene uti potest, non cessat esse beneficium materialiter spectatum quando homo illa male utitur.

et formaliter.

Demonstratur 2ª pars asserti. Occurrit autem difficultas, quia Deus præcognoscit hominem non esse consensurum datæ gratiæ et consequenter peccaturum et puniendum esse. Inde videtur dicendum gratiam mere sufficientem non esse beneficium, saltem formaliter dictum, quatenus importat donum ex vera benevolentia concessum. Ad hanc conclusionem negandam ponitur secunda pars asserti, quæ sic explicatur ac probatur : in Deo voluntas conferendi gratiam mere sufficientem considerari potest a/ in signo priori ad scientiam qua Deus prævidet hominem non esse consensurum huic gratiæ, b/ in signo posteriori ad hanc scientiam (1). Atqui in utro-

(1) In Deo actus cognoscendi ac volendi non sunt realiter distincti ab invicem, nec unus est vere causa respectu alterius ; ideoque inter actus divinos, subjective in Deo consideratos, nulla datur prioritas vel posterioritas, nec temporis, nec naturæ. Sed nos, propter imperfectum modum intelligendi, debemus distinguere in Deo varios actus, et etiam aliquam prioritatem vel posterioritatem *rationis* inter illos ponere : ita, v. gr. dicimus in Deo actum intelligendi esse ratione priorem actu volendi. Cf. *Collat. Brug.*, t. VIII, p. 430 s. Inde etiam inter varios actus intellectus et varios actus voluntatis, quos in Deo distinguimus, ponimus aliquem ordinem rationis, propter objectivam connexionem quam habent inter se actus illi. Inde etiam adhibemus hunc loquendi modum quo diversa *signa* rationis dicuntur de Deo. V. gr. quæritur utrum Deus cognoscat futuribilia *in signo priori* ad omne decretum divinæ voluntatis ; hoc significat : utrum Deus cognoscat futuribilia independenter ab omni decreto suæ voluntatis, tamquam medio objectivo cognitionis, et consequenter utrum, secundum modum nostrum concipiendi, hæc cognitio sit ratione prior decreto.

que signo gratia mere sufficiens procedit ex amore et beneficentia Dei. Ergo gratia mere sufficiens est beneficium etiam formaliter sumptum.

Declaratur minor. a/ In signo priori ad hanc Dei præscientiam, qua prægognoscit hominem non esse consensurum elargitio omnis gratiæ, ut possibilis, procedit ex antecedente et seria voluntate (1) qua vult Deus omnes homines salvos fieri ; atqui gratia ex tali voluntate procedens provenit ex amore et beneficentia Dei erga homines, ergo.

b/ In signo posteriori ad hanc Dei præscientiam quo prægnoscit hominem non esse consensurum tali gratiæ, hæc elargitio gratiæ etiam procedit ex voluntate antecedente qua Deus vult omnes homines salvos fieri. Illa enim cognitio divina non immutat beneficam Dei voluntatem : elargitio gratiæ mere sufficientis remanet exsecutio voluntatis Dei antecedentis, qua vult omnes homines salvos fieri. Deus intendit dare homini id quo possit recte agere et salvari ; permittit ut homo, libertate indifferentiæ abutens, resistat auxilio concesso et ab hoc dissentiat.

305. Objectio.

Objectio. Nequit dici beneficium id quod melius est non habere quam habere. Atqui melius est non habere gratiam mere sufficientem quam illam habere. Ergo gratia mere sufficiens non est beneficium.

R. *Dist. maj. :* si melius non habere provenit ex ipsa re quæ datur, *conc. ;* si melius non habere provenit unice ex abusu recipientis, *nego.*

Contradist. min.

Sensus distinctionis patet ex suprà dictis. « Melius quidem foret homini peccatori gratiam sufficientem non habuisse, quam eam habuisse simulque ei restitisse (2); sed ineptum est, rem secundum se bonam et utilem, noxiam prædicare, quia quis libere ea abutendo culpabilior evasit et damnabilior » (3).

306. Existit gratia efficax.

PROPOSITIO SECUNDA. *Existit gratia efficax, quæ tamen non est necessitans voluntatem.*

Propositio, quoad utramque partem, est de fide divina.

Licet *prima pars* non fuerit explicite definita, pertinet tamen ad fidem : credit enim Ecclesia catholica multos esse homines adultos qui adjuti gratiis actualibus, sancte vixerunt et præmium æternum receperunt.

quæ non necessitat voluntatem.

Secunda pars fuit definita a concilio Tridentino : « Si quis dixerit liberum hominis arbitrium a Deo motum et excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti... neque posse

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. XIV, p. 61, 196.
(2) Cf. *Matth.*, XXVI, 24.
(3) VAN NOORT, *De gratia*, n. 57.

dissentire si velit, sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passive se habere : A. S. » (1).

Demonstratur 2ª pars.

307. Quod demonstratur ; 1) ex S. Scriptura,

A. EX S. SCRIPTURA.

Ex modo quo opera, quæ per gratiam in statu præsenti fiunt, exhibentur a Sacra Scriptura. Etenim illa opera sic exhibentur : a) lege *præcipiuntur :* « Ait illi Jesus ; Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et in tota anima tua et in tota mente tua. Hoc est maximum et primum mandatum. Secundum autem simile est huic : Diliges proximum tuum sicut teipsum » (2). b) His operibus *meretur* homo præmium, vel, si omittat illa, reus fit pœnæ : « Tunc dicet Rex his qui a dextris ejus erunt : Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi Esurivi enim et dedistis mihi manducare, sitivi et dedistis mihi bibere, hospes eram et collegistis me... » (3). — « In reliquo reposita est mihi corona justitiæ quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex, non solum autem mihi, sed et iis qui diligunt adventum ejus » (4). — *Suasionibus* excitatur homo ad opera salutaria facienda : « Ineptas autem et aniles fabulas devita, exerce autem teipsum ad pietatem » (5). « Itaque carissimi mei, sicut semper obedistis, non ut in præsentia mei tantum sed multo magis nunc in absentia mea, cum metu et tremore vestram salutem operamini » (6).

Atqui hæc omnia absurda forent si homo ope gratiæ agens necessitate antecedente esset ad bonum determinatus. Ergo homo sub influxu gratiæ non est necessitatus ad bonum faciendum.

Confirmatur ex hoc quod S. Scriptura asserit voluntati hominis, in statu naturæ lapsæ, quoad opera quibus placet Deo, facultatem *eligendi :* « Beatus dives qui inventus est sine macula..., qui potuit transgredi et non est transgressus, facere mala et non fecit » (7).

308. 2) ex Traditione,

B. EX TRADITIONE.

S. Irenæi testimonium, suprà, n. 299 citavimus. *Origines* ut veritatem fide divina credendam recenset libertatem indifferentiæ etiam in operibus *salutaribus :* « Est et illud definitum in eccle-

---

(1) *Enchir.*, n. 814. Ad intelligentiam hujus canonis rite observat cl. VAN NOORT, o. c., n. 59 : « Quemadmodum Calvinus, dicendo voluntatem sub motu gratiæ « mere passivæ » se habere, etc., non intendebat excludere actionem spontaneam et voluntariam facultatis, sed solum actum liberum, ita etiam concilium Tridentinum excludendo meram passivitatem, qua homo ut inanime quoddam nihil omnino ageret, non quemlibet voluntatis actum, sed actum liberum definire voluit ». Cf. PALMIERI, *De gratia actuali*, Thes. 39, n. 9, p. 360 s.

(2) *Matth.*, XXII, 34 ss.

(3) *Matth.*, XXV, 34 ss.

(4) *2 Tim.*, IV, 8.

(5) *1 Tim.*, IV, 7.

(6) *Philipp.*, II, 18.

(7) *Eccl.*, XXXI, 8-10.

siastica prædicatione, omnem animam rationabilem esse liberi arbitrii et voluntatis... Unde et consequens est intelligere nos non necessitati esse subjectos, ut omni modo etiamsi nolimus vel mala vel bona agere cogamur. Si enim nostri arbitrii sumus, impugnare nos fortasse possunt aliquæ virtutes ad peccatum et aliæ juvare ad salutem : non tamen necessitate cogimur vel agere recte vel male... » (1). — Ante hæresim pelagianam a Patribus docebatur et necessitas gratiæ et hominis libertas in operando actus salutares. Hæresi pelagiana exorta, specialiter de connexione gratiæ et liberi arbitrii disputatum est. *S. Augustinus,* qui tam strenue vindicavit necessitatem gratiæ, non omisit et libertatem propugnare : hunc in scopum scripsit librum : *de gratia et libero arbitrio* (an. 426-427), in cujus initio dicit : « Sed quoniam sunt quidam, qui sic gratiam Dei defendunt, ut negent hominis liberum arbitrium, aut quando gratia defenditur, negari existiment liberum arbitrium; hinc aliquid scribere... curavi ».

C. EX RATIONE THEOLOGICA.

309. 3l ex ratione theologica.

Argumentum est negativum : supponimus aliunde demonstratam hominis libertatem et ostendimus huic non officere gratiam. Etenim gratia actualis complectitur tum actus indeliberatos intellectus et voluntatis tum qualitates fluentes elevantes facultatem. Sed elevatio facultatis non aufert ab ipsa potestatem essentialem, et actus indeliberati de se non determinant voluntatem ad unum.

Confirmatur. Ex testimonio conscientiæ cognoscimus nos libere ponere actus rectos. Praeterea aliunde cognoscimus nos non posse per longum tempus perseverare in observatione legis naturalis quin saltem interdum habeamus gratiam actualem. Ergo ponimus actus rectos qui sunt liberi et fiunt sub influxu gratiæ.

Objectiones.

310. Objectiones.

1. Deus exhibetur ut *necessitans* hominem ad bonum ; exhibetur nempe loquens hoc modo : « Auferam cor lapideum a carne vestra et dabo vobis cor carmeum..., et faciam ut in præceptis meis ambuletis » (2). Ergo Deus gratia sua ita agit in homine ut ille necessario faciat id quod Deus vult.

R. Dist. Maj. Deus exhibetur ut *necessitans,* h. e. ut determinans hominem ad bonum ita ut hic amittat libertatem indifferentiæ et proinde capacitatem resistendi gratiæ, *nego ; necessitans.* h. e. *infallibiliter obtinens* ut homo libere eligat bonum, *conc.*

Contrad. conseq.

Ad textum allatum dicitur, hîc doceri a/ quod conversio hominis dependet a Deo, sicut etiam a Deo dependet ut perseveret in

(1) *De principiis, præf.,* n. 5.
(2) *Ezech.,* XXXVI, 26.

bono ; b/ quod Deus præcognoscit infallibiliter conversionem hominis et perseverantiam. Non autem explicatur quo modo Deus obtineat illos effectus, et proinde non implicat textus auferri libertatem indifferentiæ sub influxu gratiæ.

Quoad modum loquendi, textus citatus est omnino similis cum alio textu : « Ego indurabo cor ejus [Pharaonis] et non dimittet populum » (1). Locutio: « ego indurabo cor ejus » evidenter significat hanc indurationem dependere aliquo modo a Deo, sed modus illius dependentiæ non edocetur. Quum in hoc textu agatur de opere moraliter malo, jam patet Deum non posse hoc velle, nec positive illud causare. Igitur ex citatis textibus non possumus deducere modum quo Deus infallibiliter obtineat effectus qui etiam a libero hominis arbitrio dependent.

Quoad indurationem cordis hæc habet S. Thomas: « Deus non dicitur indurare aliquos directe, quasi in eis causet malitiam, sed indirecte, in quantum scilicet ex his quæ facit in homine intus vel extra, homo sumit occasionem peccati, et hoc ipsi Deus permittit. Unde non dicitur indurare quasi immittendo malitiam, sed non apponendo gratiam » (2).

2. « Deus est qui operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate » (3). Ergo volitio bona, sub influxu gratiæ non ab homine dependet.

R. Dist. conseq. : Volitio bona... nullo modo dependet ab homine, *nego ;* non unice, nec principalius ab homine dependet *conc.*

S. Paulus in textu citato affirmat Deum operari (gratia sua) salutarem volitionem et executionem operis salutaris, sed non negat liberam hominis cooperationem (4). Deo autem ut principaliori causæ recte attribuit effectum. Inde S. Augustinus dicit : « Non enim quia dixit Apostolus : *Deus est qui operatur in vobis et velle et perficere,* ideo liberum arbitrium abstulisse putandus est. Quodsi ita esset, superius non dixisset : *Cum metu et tremore salutem vestram operamini* (5). Quando enim jubetur ut operentur, liberum eorum convenitur arbitrium : sed ideo *cum timore et tremore,* ne sibi tribuendo quod bene operantur, de bonis tamquam suis extollantur operibus » (6).

S. Thomas interpretando hæc S. Pauli verba : « Igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei », explicat cur hominis salus, licet *et* hominis liberæ cooperationi sit tribuenda *et* gratiæ Dei, non tamen æqualiter utrique, sed principalius gratiæ : « Semper enim actio magis attribuitur principali agenti, quam secundario, puta si dicamus quod securis non facit arcam, sed artifex per securim : voluntas autem hominis movetur a Deo ad bonum. Unde supra dictum est : » Qui spiritu

(1) *Exod.*, IV, 21.
(2) *Comment. in epist. ad Rom.*, c. 9, lect. 3. Cf. *De veritate*, q. 22, a. 8.
(3) *Philipp.*, II, 13.
(4) Cf. *I Cor.*, VII, 37.
(5) *Philipp.*, II, 12.
(6) *De gratia et libero arbitrio*, c. 9, n. 21.

Dei aguntur, hi sunt filii Dei ». Et ideo hominis operatio interior non est homini principaliter, sed Deo attribuenda. « Deus est qui operatur in nobis velle et perficere pro bona voluntate ». Sed si non est volentis velle, neque currentis currere, sed Dei moventis ad hoc hominem, videtur quod homo non sit dominus sui actus, quod pertinet ad libertatem arbitrii. Et ideo dicendum est, quod Deus omnia movet, sed diversimode, in quantum sc. unumquodque movetur ab eo secundum modum naturæ suæ. Et sic homo movetur a Deo ad volendum et currendum per modum liberæ voluntatis. Sic ergo velle et currere est hominis, ut libere agentis: non autem est hominis ut principaliter moventis, sed Dei » (1).

Corollarium. *Ergo gratia efficax non consistit in delectatione relative victrici ad sensum Jansenii.*

311. Jansenii sententia de delectatione victrici rejicitur.

Jansenius docuit a) hominis voluntatem, post Adami peccatum, fuisse orbatam libertate indifferentiæ (2) ; b) proinde omnis voluntatis operationes fieri et determinari aliqua delectatione victrici ; c) delectationem quamlibet reduci ad duplicem, nempe ad *terrenam,* quæ est concupiscentia inordinata, vel ad *cælestem,* quæ est gratia (3); d) si in aliquo homine utraque delectatio actualis est æque intensa, voluntatem alternante delectationum fluctu in medio remanere ; si delectatio terrena est intensior, necessario hanc sequi voluntatem ; si vero delectatio cœlestis est fortior, necessario hanc sequi voluntatem. In hac sententia, efficacia gratiæ in hoc consistit quod delectatio cœlestis, præcise quia et quatenus est relative victrix, h. e. intensior opposita delectatione terrena, hanc superat et sic in ipsa voluntate necessario causat et determinat actum bonum (4).

---

(1) *Comment in epist. ad Rom.*, c. 9, lect. 3.

(2) Cf. PALMIERI, *De Deo creante et elevante,* thes. 80.

(3) JANSENIUS. *De Gratia Christi,* L. IV. c. 1. ait: « Non exigua inter Doctores recensiores controversia est, quid illa gratia sit, qua Deus cor hominis convertit et in eo bonum operatur. Alii namque putant esse sanctam cogitationem, alii esse quosdam indeliberatos motus amoris, timoris, spei vel similis cujuspiam affectionis, qua voluntas ad amandum, timendum, sperandum excitatur, alii esse physicam prædeterminationem potentiæ voluntatis ad operandum... Vestigiis sanctissimi et securissimi Doctoris inhærere qui statuerit, non multum in ista difficultate, quæ tantopere multorum recentiorum industriam exercuit, laborabit. Videbit enim perspicue ex omnibus operibus ejus ac locis inter se concinentibus, gratiam istam Christi Salvatoris medicinalem, quam efficacem Schola vocat non aliud esse, quam cœlestem quandam atque ineffabilem suavitatem, seu spiritualem delectationem, qua voluntas prævenitur et flectitur ad volendum faciendumque quidquid eam Deus velle et facere constituerit. » Cujus rei probationibus allatis, subdit c. 6. « Ex his jam perspicue intelligitur, tantopere esse necessariam istam delectationis divinæ gratiam, quando cum terrenarum rerum tentationibus ac delectationibus dimicamus, ut nisi major fuerit quam terrena, qua noster affectus detinetur, fieri non possit quin propriæ voluntatis infirmitate vincamur. Major enim delectatio nunquam sane delectatione minore superabitur, sed eam sequetur animus, quæ magis eum afficiendo suavitate delinuerit... Cum igitur ad opus justitiæ qualecumque faciendum, necessarium sit ut ex majore justitiæ delectatione nascatur, hinc fit ut istam Christi gratiam Augustinus epitheto ad hoc ipsum exprimendum propriissimo atque efficace ornare soleat. Nam plerumque vocat eam delectionem victricem vel illo ipso vel alio æquivalente vocabulo ». Cit. a. PALMIERI, *De gratia actuali,* thes. 40, p. 363.

(4) Cf. PALMIERI, *De gratia actuali,* thes. 40; VAN NOORT, *De gratia,* n. 59. Ex Jansenii doctrina de delectatione relative victrici, logice sequuntur quinque propositiones damnatæ excerptæ ex libero « Augustinus ». V. suprà, n. 22.

Hæc doctrina est *hæretica,* pro ea parte qua *negat* voluntati hominis, in statu naturæ lapsæ, *libertatem indifferentiæ ;* deinde est saltem *erronea* pro ea parte qua statuit gratiæ actualis *auxilium* in eo tantum esse quod inspirat *delectationem.* Secundum Jansenium, auxilium gratiæ actualis consistit unice in hoc voluntatis motu seu affectu quo tendit ad aliquid sub formali ratione rei *suavis* vel *jucundæ,* vel *delectabilis* (1). Jamvero falsum est affectum solum esse gratiam actualem : nam, secundum doctrinam catholicam tenendum est alios etiam motus a Deo supernaturaliter excitari, v. gr. aversionem a peccato, tristitiam de peccato commisso, timorem de pœna inferni aliosque in intellectu.

Nec objicias omnes affectus, sive in appetitu sensitivo, sive in appetitu rationali, radicari in amore, nempe in complacentia appetitus in bono (2), adeoque omnem voluntatis motum esse delectationem. Omnino neganda est consequentia et consequens. Nam licet radix et origo omnis affectus in voluntate sit aliquis amor, tamen sunt in voluntate affectus specie diversi, v. gr. gaudium et tristitia. Absque dubio, homo non habet tristitiam de privatione alicujus boni, nec habet gaudium de possessione actuali alicujus boni, nisi habeat amorem erga illud bonum ; sed potest esse amor ille, quin sit tristitia vel gaudium. Etenim requiritur apprehensio boni, formaliter tamquam amissi ut generetur tristitia ; formaliter vero tamquam possessi, ut generetur gaudium. Ex quo patet amorem radicalem erga aliquod bonum dare originem motibus specifice diversis. In hoc autem errabat Jansenius quod tenebat motus *indeliberatos,* quibus homo excitatur et adjuvatur ad bene operandum, esse *unice* motus *delectationis,* nempe motus quibus formaliter voluntas appetit bonum ut *delectabile :* ita ut, si voluntas hîc et nunc magis impellitur ad fruendum bono cœlesti, necessario consentiat huic impulsioni et velit actum huic conformem ; si vero voluntas hîc et nunc magis impellitur ad fruendum bono terreno, necessario consentiat huic impulsioni et velit actum huic conformem.

312. **De mente S. Augustini** (3).

1. Hominis liberum arbitrium seu libertatem indifferentiæ semper propugnavit S. Augustinus, hoc etiam tempore quo contra Pelagianos præcipue gratiæ necessitatem tuebatur. V. suprà, n. 299, 308.

Notatu dignum est hanc libertatem ut necessariam requiri a S. Augus-

---

(1) Ille voluntatis motus vocabatur a Jansenio *delectatio ;* sed delectatio, proprie dicta, est affectus voluntatis qui sequitur ex ipsa *possessione boni,* ex conjunctione cum bono. Delectatio, proprie loquendo, est idem ac *gaudium,* quod distinguitur ab amore et desiderio. Cf. S. THOMAS, 1-2, q. 2, a. 6, ad 1 ; q. 43, a. 1.

(2) Cf. *Collat. Brug.,* t. VIII, p. 613.

(3) Cf. FAURE, *Enchiridion S. Augustini,* p. 35 ss., 70 ss., 160. ; PORTALIÉ. ap. VACANT, *Dictionnaire de théologie Catholique,* t. I, art. *Augustin,* col. 2384 ss.; TIXERONT, *Histoire des dogmes,* t. II, p. 482 ss.

tino ut possit esse meritum (1). Tam opus moraliter bonum quam opus moraliter malum est hominis voluntati tribuendum : « Nemo ergo Deum causetur [h. e. accuset] in corde suo, sed sibimet imputet quisque, cum peccat. Neque cum aliquid secundum Deum operatur, alienet hoc a propria voluntate. Quando enim volens facit, tunc dicendum est opus bonum, tunc speranda est boni operis merces ab eo de quo dictum est : *Qui reddet unicuique secundum opera sua* » (2).

2. Dari gratiam sufficientem, gratiam nempe internam cui homo potest consentire et a qua tamen dissentit, docetur etiam a S. Augustino : « Nemo itaque credit non vocatus, sed non omnis credit vocatus. Multi enim sunt vocati, pauci vero electi : utique ii qui vocantem non contempserunt sed credendo secuti sunt : volentes autem sine dubio crediderunt » (3). Liberum hominis consensum vocationi divinæ requiri ut homo salutariter credat et opera alia salutaria eliciat pluries docet S. Augustinus in libris conscriptis post exortam hæresim Pelagianam (4).

3. Licet a libero hominis consensu dependeat quod homo salutariter agat, tamen ipsi Deo tribuendum est quod homo de facto consensum tribuat : « Cum autem homines per correptionem in viam justitiæ seu veniunt seu revertuntur, quis operatur in cordibus eorum salutem, nisi ille qui, quolibet plantante atque rigante, dat incrementum, Deus ; cui volenti salvum facere nullum hominem resistit arbitrium ? Sic enim velle seu nolle in volentis aut nolentis est potestate, ut divinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem. Etiam de his enim qui faciunt quæ non vult, facit ipse quæ vult... » (5). « Non est itaque dubitandum voluntati Dei... humanas voluntates non posse resistere, quominus faciat ipse quod vult : quando quidem etiam de ipsis hominum voluntatibus, quod vult, cum vult, facit... [Ratio est quia] Deus habet humanorum corium quo placeret inclinandorum omnipotentissimam potestatem... [Inde] Deus magis habet in potestate voluntates hominum quam ipsi suas » (6). — Speciatim docet S. Augustinus nullum esse peccatorem quem non possit Deus convertere si Deus voluerit : « Quis porro tam impie desipiat ut dicat Deum malas hominum voluntates quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit in bonum non posse convertere » (7) ?

4. S. Augustinus, ut videtur, non ulterius progressus est in explicando ipsam efficaciam gratiæ : affirmavit, uti vidimus, Deum posse semper obtinere, cooperante hominis libero arbitrio, effectum quem vult ; quo-

---

(1) *De natura et gratia,* c. 65, n. 78.

(2) *De gratia et libero arbitrio,* c. 2, n. 4.

(3) *De diversis quæstionibus ad Simplicianum,* L. I, q. 2, n. 10. Hoc opus conscriptum est an. 396-397, proinde ante exortam hæresim Pelagii.

(4) *De spiritu et littera,* n. 60. *Enchiridion de fide, spe et charitate,* c. 32.

(5) *De correptione et gratia,* c. 14, n. 43.

(6) *Ibid.,* n. 45.

(7) *Enchiridion de fide, spe et charitate,* c. 98. Eodem sensu dicit S. Augustinus : « Subventum est igitur infirmitati voluntatis, ut divinà gratià *indeclinabiliter* et *insuperabiliter* ageretur ». *De correptione et gratia,* n. 38. Ex dictis satis constat S. Augustinus omnino tueri liberum arbitrium hominis remanere sub influxu gratiæ. Huic asserto nequit abjici hoc S. Augustini assertum : « Nunc vero posteaquam est illa magna peccati merito amissa libertas, etiam majoribus donis adjuvanda remansit infirmitas » (*O. c.,* n. 37.). Magna libertas, de qua loquitur S. Augustinus, non est hominis mera libertas indifferentiæ, sed est hæc libertas prout erat in statu originalis justitiæ, in quo homo non patiebatur difficultates, præsertim ex concupiscentia, ad bonum volendum ac agendum. Hæc « magna libertas », amissa est, ideoque requiruntur « majora dona » ut possit homo infirmus factus, superare impedimenta ad bonum.

modo autem hic obtineatur non ex professo docuit S. Augustinus. Attamen tribuit efficaciam vocationis ipsi *congruitati* vocationis relate ad hominem qui vocatur : « An forte illi qui hoc modo vocati non consentiunt, possent alio modo vocati accommodare fidei voluntatem..., ut quamvis multi uno modo vocati sint, tamen quia non omnes uno modo affecti sunt, illi soli sequantur vocationem, qui ei capiendæ reperiuntur *idonei...?* Ad alios autem vocatio pervenit : sed quia talis fuit, qua moveri non possent, nec eam capere *apti* essent (1), vocati quidem dici potuerunt, sed non electi... Illi enim electi, qui *congruenter* vocati ; illi autem qui non congruebant neque contemperabantur vocationi, non electi, quia non secuti, quamvis vocati » (2).

5. Sed occurrit solvenda gravis difficultas : Jansenius enim contendit negari a S. Augustino libertatem indifferentiæ, ab ipso doceri gratiam consistere in delectione cœlesti, quæ, si major sit delectationi terrenæ oppositæ, necessitat voluntatis consensum ; si vero æqualis sit vel minor, omnino impossibilem reddit consensum. V. suprà, n. 311.

Ad suam interpretationem comprobandam, Jansenius affert, tamquam præcipuum, hunc S. Augustini textum : « Quod enim amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est ». Quæ verba habentur in *Expositione epistolæ ad Galatas*, n. 49, conscripta an. 393-386.

Suprà demonstravimus S. Augustinum constantur docuisse libertatem indifferentiæ etiam sub influxu gratiæ. Oportet igitur inquirere utrum assertum hîc citatum componi possit cum prædicta doctrina ; et apparebit huic non repugnare.

Et sane, S. Augustinus non docet nos necessario operari secundum *indeliberatam* delectationem quæ hîc et nunc major est ; sed loquitur de delectatione quam capit homo justus ex exercitio deliberato operum bonorum ; vi cujus delectationis bona spiritualia, in specie fructus Spiritus Sancti, *regnant* in anima, et tenent animam in tentationibus *ne in peccati consensionem ruat*. De hac delectatione, consequente ad exercitium justitiæ et de objecto ejus dicit S. Augustinus : *Quod enim amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est.* Sensus est : si in homine justo regnant fructus Spiritus Sancti, ex delectatione quam homo capiet ex his bonis, homo recte operabitur et vincet tentationes ; quod exemplo confirmat S. Augustinus. Non agit S. Doctor de necessitate *physica*, sed de necessitate *morali :* statuit nempe homines ordinario operari secundum amorem qui, per actus deliberatos et repetitos, factus est in ipso prædominans (3). Operæ pretium est ut legantur verba S. Augustini : « Hic ergo cum enumerasset opera carnis, quibus clausum est regnum Dei, subjecit [S. Paulus] opera spiritus, quos spiritus fructus vocat (4)... et addidit *Adversus hujusmodi non est lex :* ut intelligamus illos sub Lege positos, in quibus ista non regnant. Nam in quibus hæc regnant, ipsi Lege legitime utuntur, quia non est illis Lex ad coercendum posita : major enim et præpollentior delectatio eorum justitia est. [Sensus est : justi in quibus regnant fructus Spiritus Sancti non indigent lege ut ab hac coerceantur ad opera bona, sed hæc libenter et ex delectatione operantur]... Regnant ergo spiritales isti fructus in homine, in quo peccata

---

(1) Non negat S. Augustinus gratiam *vere sufficientem* esse, sed in dispositione subjecti ponit rationem cur de facto non obtineat effectum h. e. consensum salutarem.
(2) *De diversis quæstionibus ad Simplicianum*, L. I, q. 2, n. 13.
(3) Cf. FAURE, *o. c.*, p. 37 ss. ; JUNGMANN, *De gratia*, n. 179.
(4) *Gal.*, c. V, 22.

non regnant. Regnant autem ista bona, si tantum delectant, ut ipsa teneant animum in tentationibus ne in peccati consensionem ruat. Quod enim amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est : ut verbi gratia, occurrat forma speciosæ feminæ, et movet ad delectationem fornicationis [hæc est motio *indeliberata*, quæ spontanea surgit, et impellit ad consensum deliberatum seu ad deliberatam volitionem fornicationis] : sed si plus delectat pulchritudo illa intima et sincera species castitatis, per gratiam quæ est in fide Christi [hæc delectatio est deliberata, vel potius consequens ad exercitium deliberatum castitatis, sub influxu gratiæ Christi], secundum hanc vivimus et secundum hanc operamur [deliberate resistendo delectationi indeliberatæ impellentis ad fornicationem] ; ut non regnante in nobis peccato ad obediendum desideriis ejus, sed regnante justitia per caritatem cum magna delectatione [notemus hæc verba] faciamus quidquid in ea Deo placere cognoscimus. Quod autem de castitate et de fornicatione dixi, hoc de ceteris intelligi volui » (1).

6. S. Augustinus duos effectus agnoscit gratiæ, scilicet *cognoscere* quid faciendum sit et *delectari* in bono faciendo, ita ut in delectatione victrici de bono faciendo reponatur ipsa efficacia gratiæ. « Duabus ex causis peccamus, aut nondum videndo quid facere debeamus, aut non faciendo quod debere fieri jam videmus : quorum duorum illud ignorantiæ malum est, hoc infirmitatis. Contra quæ quidem pugnare nos convenit : sed profecto vincimur, nisi divinitus adjuvemur, ut non solum videamus quid faciendum sit, sed etiam accedente sanitate delectatio justitiæ vincat in nobis earum rerum delectationes, quas vel habere cupiendo, vel amittere metuendo, scientes videntesque *peccamus* » (2).

Ut patet, non agitur hîc de sola delectatione *indeliberata*, quæ necessario produceret consensum voluntatis ; sed ideo victrix est delectatio quia deliberate volumus bonum præ malo : et revera, aliquo sensu recte dicitur nos *eligendo* unum præ alio, hoc magis velle et in hoc magis delectari. Non igitur delectatio cœlestis ideo est victrix quia delectatio indeliberata ad bonum habet majorem intensitatem quam habet delectatio terrena indeliberata, ut contendebat Jansenius ; sed delectatio cœlestis est victrix quia accedit ipsi deliberata electio : hæc sola interpretatio congruit cum doctrina omnino clara S. Augustini de libero arbitrio, quam suprà indicavimus. Ad rem Faure : « Quod ex systemate S. Augustini delectatio cœlestis *vincat* in justis delectationem, sive concupiscentiam malam, nihil est aliud quam quod delectatio cœlestis indeliberata seu prævenienS obtineat effectum suum, nempe deliberatam delectationem bonam, deliberatam suavitatem bonam, quæ nihil aliud reipsa est quam interna deliberata voluntas bona... Mihi autem videtur nunquam Augustinus cogitasse, quod delectatio cœlestis indeliberata habeat plures gradus præ terrena, et ideo sit victrix, aut delectatio terrena indeliberata atque prævenienS pluralitate graduum in malis vincat contrariam delectationem bonam, et ideo etiam ipsa vincat : ita ut delectationem *vincere* idem sit ac eam habere plures gradus præ opposita » (3).

---

(1) *Expositio epistolæ ad Galatas*, n. 49.

(2) *Enchiridion de fide, spe et charitate*, c. 81. Cf. *De peccatorium meritis et remissione*, L. II, c. 17, n. 26.

(3) *O. c.*, p. 163. Prælaudati Auctoris tota dissertatio est legenda, *o. c.*, p. 155-171. — CL. TIXERONT, *o. c.*, p. 496, hanc conclusionem ponit : « Dans les entraînements de la délectation de la grâce dont parle l'évêque d'Hippone, il ne faut

Articulus IIus. De essentia gratiæ efficacis.

313. Connexio rerum.

Suprà, n. 297 et 306, demonstravimus dari gratiam *mere sufficientem* et gratiam *efficacem :* nunc inquirimus in quo consistat ipsa *efficacia* gratiæ actualis. Circa hanc quæstionem controversia viget inter theologos catholicos : quapropter § I exponemus et dijudicabimus varia systemata, in § II sententiam quæ tenenda videtur propugnabimus.

§ I

De variis theologorum sententiis circa id in quo reponenda est ipsa efficacia gratiæ actualis. (1)

314. Banezianorum systema exponitur,

1. Systema Banezianorum (2).

a) Censent illi auctores efficaciam gratiæ actualis formaliter consistere in *prædeterminatione physica,* quatenus nempe hæc entitas physica quæ immediate a Deo voluntati ad ipsum actum *electionis* immitttitur prioritate naturæ *causat* ipsam determinationem voluntatis ad unum præ altero. V. suprà, n. 275.

Goudin exponens varios modus quibus explicatur gratia per se et ex propria causalitate efficax, dicit : « Quintus modus gratiæ efficaciam in præmotione physica potissimum reponit. Hunc communiter tenet Schola Thomistica ». Deinde explicat sententiam his verbis : « Ex ea notione physicæ præmotionis (quam etiam in ordine supernaturali locum habere indubitatum esse debet, vel saltem hic supponimus ex alibi dictis), jam facile intelligitur, eam non immerito adhiberi ad explicandam divinæ gratiæ efficaciam. Nam si præmotio physica nihil sit aliud quam virtus a Deo voluntati impressa per quam voluntas movetur et applicatur ad

---

donc voir que des entraînements relatifs auxquels on peut résister. Evidemment sa théorie, s'il en avait une, se rapprocherait davantage de la théorie de la grâce efficace par elle même que de la théorie moliniste ; mais cette efficacité de la grâce il la mettrait plutôt dans une puissance d'attraction morale, que dans une force de prémotion physique. Le système dit augustinien n'a pas en somme trahi sa pensée ». Certo nullum apud S. Augustinum habetur vestigium de hoc quod ipsa efficacia gratiæ consisteret in *prædeterminatione physica electionis* voluntatis ad unum præ alio. Sed, uti vidimus, efficaciam gratiæ tribuit ipsi *congruitati* vocationis, quin ulterius explicet qua in re consistat congruitas : non autem menti S. Augustini conforme videtur poni congruitatem in hoc quod delectatio indeliberata a Deo inspirata sit major delectatione opposita : quod est systema Augustinianorum. Quia S. Augustinus non satis clare locutus est de quæstione quæ nunc agitur inter theologos, non legitime invocatur ut patronus unius potius quam alius systematis.

(1) Illarum sententiarum expositio et apta ad invicem comparatio legatur apud Illmum Janssens, O. S. B., *De gratia Dei et Christi,* p. 586-657.

(2) Uti suprà, n. 295 exposuimus, ab illa sententia discedit cl. P. Guillermin, in cujus sententia efficacia gratiæ præcise consistit in hoc quod removet vel impedit obstaculum quod voluntas opponeret gratiæ. Cf. *Revue Thomiste,* 1902, t. X, p. 657. Notemus obstaculum quod voluntas opponeret gratiæ excitanti non aliud esse posse quam motionem oppositam motioni gratiæ : inde, in prædicta sententia, gratia excitans est efficax quia homini, cui datur, tam bene congruit ut non exsurgant motus contrarii quibus consentiret homo : est proinde, aliqua motio quæ est ab intrinseco efficax et quæ *inimpedibiliter* obtinet consensum voluntatis, sed quatenus removet prohibens, non quatenus prædeterminat consensum. Sub hoc respectu in prædicta sententia salvatur libertas indifferentiæ, sed remanet aliqua obscuritas ad explicandum quomodo detur gratia *vere* simul ac *mere sufficiens.*

agendum, imo si sit ipsamet applicatio activa voluntatis, cum plane repugnet esse applicationem activam, nisi sit applicatio passiva, repugnetque poni unam et non poni alteram, proindeque sit infallibilis omnino inter utramque connexio palam necesse est motionem illam quæ ex natura sua est applicatio voluntatis ad actum, itidem ex natura sua infallibiliter operationem voluntatis efficere ; sicque medium esse aptissimum ad explicandam gratiæ efficaciam » (1).

Valde notanda etiam sunt hæc verba Alvarez : « Si homo consentiat, non facit gratiam efficacem, sed est signum a posteriori, quod habuerit gratiam efficacem : consensus enim liberi arbitrii præsupponit gratiam efficacem ordine rationis et causalitatis. Si autem non consentiat Deo vocanti..., non facit etiam gratiam inefficacem, proprie loquendo ; sed est signum a posteriori quod vocatio Dei non fuerit efficax, ut venit a Deo, sed solum sufficiens » (2). Secundum hanc sententiam tota ratio efficaciæ gratiæ est in ipsa prædeterminatione physica, quae vere *causat* seu *efficit* consensum, et ejus causalitas est natura prior consensu.

b) In eodem systemate sequitur gratiam *efficacem* a *mere sufficienti* differe *essentialiter* et *specifice*. Gratia enim mere sufficiens dat quidem posse agere salutariter, dat potentiam agendi salutariter *in actu primo,* terminatur ad actus *indeliberatos ;* ut ponatur actus deliberatus, h. e. electio salutaris, requiritur nova prædeterminatio quæ efficit ipsam electionem et quoad specificationem et quoad exercitium : hæc secunda motio, vere prædeterminans physice, est ipsa gratia *efficax*. Quæ si absit, impossibile est ut ponatur seu eliciatur a voluntate ipse consensus.

In illa sententia, locutio: gratia *ab intrinseco* efficax habet sensum bene determinatum et proprium : nam gratia dicitur efficax *ab intrinseco* quatenus *essentia sua* efficit volitionem boni supernaturalis : est enim *physica praedeterminatio* volitionis ad unum. In eadem sententia etiam dicitur quod gratia efficax *differt ab intrinseco* a gratia mere sufficienti: quia gratia efficax *essentialiter et specifice* alia est a gratia mere sufficienti :

Audiamus Alvarez : « Divisio auxilii prævenientis gratiæ in auxilium sufficiens, sive inefficax, et auxilium efficax, non est desumenda solum ab effectu, qui simul a liberi arbitrii cooperatione pendet, sed etiam ex reali et intrinseca virtute ejusdem auxilii, quam habet, ut venit a Deo, quatenus videlicet est instrumentum voluntatis divinæ. Itaque auxilium efficax præoperantis gratiæ semper habet intentionaliter aliquam realem virtutem ad efficiendum ut liberum arbitrium cooperetur : quam tamen in seipso non habet auxilium sufficiens..... Auxilium sufficiens illud est, quo potest quis operari, si velit : auxilium autem efficax est illud, quo quis actualiter operatur, sed majoris virtutis est principium tribuens actualiter operari, quam principium tribuens solum posse, eo quod actus secundus nobilior est, quam actus primus, ut infra patebit : ergo auxilium efficax habet aliquam realem virtutem ad efficiendum hominem pie

(1) GOUDIN, *De gratia Dei*, q. V, a. 4, § 4 (p. 306 s).
(2) *De auxiliis divinæ gratiæ*, t. VIII, disp. 72 (p. 611 s). Cf. BILLUART, *De gratia*, diss. 5, a. 7, § 3 (t. III, p. 155 ss.).

operari, quam tamen non habet auxilium sufficiens : ergo divisio auxilii prævenientis gratiæ in efficax et sufficiens, non desumitur solum ab effectu, qui simul a liberi arbitrii cooperatione pendet, sed etiam ex reali virtute ipsius auxilii » (1).

Billuart etiam dicit : « Gratia sufficiens sensu thomistico est quæ confert homini facultatem bene agendi, ultra quam ut bene agat, aut bene utatur hac facultate, requiritur *altera validior*, scilicet *efficax* » (2)

c) Quia in exposito systemate videtur jam non dari gratiam vere, licet mere, sufficientem, nec dari veram libertatem indifferentiæ, Baneziani opinionem suam ulterius explicant α) quoad sufficientiam gratiæ, β) quoad libertatem.

α) Quoad *sufficientiam* gratiæ, concedunt gratiam non quidem nude per *seipsam* esse sufficientem ad hoc ut actus salutaris, seu consensus, eliciatur, sed tenent cum gratia sufficienti *offerri* a Deo gratiam efficacem, quæ semper consequitur nisi homo resistat ; inde quando datur gratia excitans quam non sequitur consensus hominis, res sic est intelligenda : « Deus tribuens auxilium sufficiens, in eo offert efficax, et quia homo resistit sufficienti, privatur efficaci quod sibi offerebatur. Ista igitur instantia rationis distinguenda sunt : primo Deus dat auxilium sufficiens, secundo in collatione sufficientis auxilium efficax homini offert, tertio homo sua prava voluntate sufficienti resistit, quarto in pœnam ob talem culpam Deus hominem privat efficaci » (3).

β) Quoad *libertatem indifferentiæ* adducunt Baneziani distinctionem de sensu *diviso* et de sensu *composito*. Dicunt nempe hominem gratia efficaci prædeterminatum ad electionem salutarem, *posse* tamen dissentire : posse autem dissentire non quidem *in sensu composito*, sed posse dissentire *in sensu diviso*. Hæc distinctio : *in sensu compositio* et *in sensu divisio*, sic est intelligenda : subjecti alicui possunt duo convenire *in sensu composito*, quando simul ipsi inesse possunt, h. e. quando subjectum compositum seu unitum uni, potest componi seu uniri alteri ; subjecto alicui possunt duo convenire tantum *in sensu diviso*, quando simul non possunt inesse subjecto, sed tantum divisim seu successive, h. e. quando subjectum ab uno divisum esse debet ut alteri componi seu uniri possit (4). Ita v. gr. si quæratur « utrum homo sedens possit currere » respondetur: « *in sensu composito, nego; in sensu diviso, conc.* ». Homo scilicet dum actu sedet non potest simul currere; sed homo qui sedet potest etiam currere, si cesset a sedendo, si absit sessio. Eodem modo dicunt Baneziani : homo dum hîc et nunc prædeterminatur ad electionem salutarem non

(1) *De auxiliis divinæ gratiæ*, t. VIII, disp. 73, n. II (p. 614 s.).
(2) *O. c.*, diss. 5, a. 4 (t. III, p. 138).
(3) De Lemos, *Panoplia gratiæ*, t. IV, tr. 3, c. 6, n. 78. Cit. a Van Noort, *De gratia*, n. 64.
(4) Ita Lahousse, *Prælectiones logicæ et ontologiæ*, p. 116.

potest dissentire ab illa prædeterminatione, sed homo prædeterminatus potest dissentire, *divisim* a præmotione.

Ad rem Goudin : « Dicimus enim, etiam sub ipsa præmotione ad amandum, remanere potentiam non amandi, et quicumque hoc negat, pro hæretico habemus, eo quod contradicat definitioni concilii Tridentini. Sed dicimus illam potentiam non amandi non respicere nolitionem amoris ut ponendam simul cum præmotione ad amandum ; ita ut aliquis in eodem instanti sit præmotus ad amandum, et tamen non amet : sed solum respicit nolitionem amoris ut ponendam divisim a præmotione ad amorem : sicut dum sedeo, etiam cum ipsa sessione, habeo potentiam ad ambulandum, quæ tamen potentia non respicit ambulationem ut conjungendam cum sessione ; implicat enim ut sedendo ambulem ; sed solum ut ponendam divisim a sessione. Unde sicut sedens dicitur habere potentiam ad ambulandum in sensu diviso, non tamen in sensu composito ; ita dicimus præmotum ad amorem habere potentiam non amandi in sensu diviso, et non in sensu composito : et sicut propter potentiam in sensu diviso sedens sedendo est liber, ita quoque præmotus ad amorem liberrime amat, eo quod talem potentiam retinet » (1).

315. rejicitur

Crisis. Banezianorum sententiam, pro ea parte qua tradit explicationem de gratiæ actualis *efficacia,* tamquam *falsam* habemus, quia in illa, ut videtur, nec salvatur gratia vere simul ac mere sufficiens, nec libertas indifferentiæ.

a) *Non salvatur gratia vere simul ac mere sufficiens:* Etenim in sententia praedicta, efficacia gratiæ unice provenit a prædeterminatione physica ad ipsum actum electionis, quæ prædeterminatio si *adest* non potest non adesse consensus (2), sed si *abest* non potest adesse consensus : prædeterminatio est omnino *requisita* ad consensum, et absque prædeterminatione gratia excitans non sufficit ad consensum : igitur nunquam datur ad salutariter agendum gratia vere sufficiens cui non datur consensus, seu quæ sit *mere* sufficiens.

Neque dicant: Deus tribuens auxilium sufficiens *offert* in eo auxilium efficax, sed quia homo *resistit* sufficienti, ideo privatur efficaci quod offerebatur. — Respondemus hoc assertum in systemate Banezianorum involvere contradictionem: etenim *resistere* hominem gratiæ est hominem *eligere* non consentire, sed ad hanc electionem, sicut ad quamlibet electionem, prærequireretur, secundum illos, prædeterminatio physica : ergo in hoc systemate Deus dicitur *offerre* auxilium efficax *ad consensum* et simul *physice prædeterminare ad dissensum,* seu ponere id quocum consensus est omnino impossibilis !

---

(1) *Philosophia,* t. IV, p. IV : *Metaphysica,* disp. II, q. 3, a. 7 (p. 554).

(2) « Prædeterminatio atque efficacia auxilii præoperantis gratiæ ita certo et infallibiliter *facit* voluntatem consentire Deo excitanti et vocanti ut, etiam metaphysice loquendo, sit impossibile in sensu composito, voluntatem non consentire aut dissentire, ut disp. 92 et duabus sequentibus manifestum fiet ». ALVAREZ, *De auxiliis divinæ gratiæ,* L. IX, disp. 83, n. 15 (p. 670).

Quæ contradictio evidentius adhuc forsitan apparet, si consideratur Banezianorum doctrina de cognitione Dei. Sane secundum eorum theoriam Deus non cognoscit actus liberos creaturæ rationalis, nisi in decreto quo statuit dare prædeterminationem physicam ad hunc vel illum actum, ergo Deus non cognoscit consensum vel dissensum hominis excitati per gratiam sufficientem, nisi in decreto liberæ voluntatis, quo statuit dare vel prædeterminationem ad consensum, vel prædeterminationem ad dissensum. Igitur in systemate thomistico : a/ omnino impossibile est Deum, in signo antecedenti ad suum decretum dandi prædeterminationem, prævidere dissensum vel consensum, b/ adeoque impossibile est Deum denegare gratiam efficacem *quia* cognoscit *resistere* hominem gratiæ sufficienti : hæc resistentia non cognoscitur a Deo nisi in quantum ab æterno decrevit prædeterminare ad resistentiam ; c) proindeque etiam repugnat quod Deus dicatur cum gratia sufficienti *offerre* gratiam efficacem, quum Deus decernendo dare gratiam sufficientem simul decrevit dare prædeterminationem physicam ad resistentiam eidem gratiæ.

b) *Nec salvatur libertas indifferentiæ.*

Etenim de ratione formali libertatis indifferentiæ est ut voluntas ipsa *specificet* electionem suam, h. e. ut voluntas ab intrinseco sese determinet ad unum præ altero; atqui, in sententia quam impugnamus, non ipsa voluntas sese determinat ad consensum vel ad dissensum, sed ad alterutrum *determinatur ab extrinseco.* Ergo in sententia quam impugnamus non salvatur libertas indifferentiæ.

Probatur minor syllogismi : prædeterminatio physica est entitas ab extrinseco, h. e. a Deo immissa voluntati ; hæc prædeterminatio est natura et causalitate prior ipsa electione voluntatis et physice causat seu efficit ipsam electionem, tum *quoad specificationem* tum *quoad exercitium* ergo omnino determinatur a Deo electio voluntatis et hanc non determinat ipsa voluntas et sic perit id quod est de essentia libertatis indifferentiæ, nempe *determinare se* ad unum præ altero. — Nec ad libertatem indifferentiæ sufficit ut voluntas *eliciat* actum volitionis cum prædeterminatione physica : nam differentia inter actum *electionis* et alios actus, est præcise in hoc quod *electio* non tantum eliciatur a voluntate, sed etiam ultimo *specificetur* seu *determinetur* a voluntate (1): hæc porro specificatio seu determinatio ultima tollitur per prædeterminationem physicam.

(1) 1. « Discrimen essentiale inter causas naturales et liberas se tenet ex parte *activitatis,* id est indifferentiae activae, qua voluntas se determinat ad hoc vel ad illud, vereque habet dominium sui actus : quod quidem causæ liberae, in quantum hujusmodi specifica, distinctiva, imperitura proprietas est ». Card. BILLOT, *De Gratia,* p. 27.

2. Etiam cl. DE BAETS, *De gratia,* p. 113 s., optime ostendit cum prædeterminatione physica tolli libertatem.

Nec dicant voluntatem cum prædeterminatione physica esse liberam in *sensu diviso,* non vero in *sensu composito :* nam in eorum theoria, *prædeterminatio physica* est omnino *necessaria* ad utramque electionem : scilicet requiritur prædeterminatio *ad consensum* gratiæ excitanti ut *possit* homo *consentire,* et omnino requiritur prædeterminatio physica *ad dissensum* ut *possit* homo *dissentire :* igitur in *sensu diviso* a prædeterminatione physica, non potest homo *eligere,* et in *sensu composito* cum prædeterminatione physica *necessitatur* physice ad volendum id ad quod physice prædeterminatur (1).

2. **Systema Augustinianorum.**

316. Augustinianorum systema exponitur.

Loquimur hîc de illis theologis qui vocantur Augustiniani *rigidiores* (2).

Hi theologi tenent gratiam esse efficacem *ab intrinseco,* et cum Banezianis, conveniunt quoad modum loquendi sed quoad rem valde ab illis dissentiunt. Efficaciam enim gratiæ reponunt non in prædeterminatione physica ad ipsam electionem, sed in *influxu* quem gratia *excitans* exercet in consensum : tenent nempe gratiam actualem consistere in delectatione cœlesti indeliberata : quæ si minor est delectatione opposita seu concupiscentia, habetur gratia mere sufficiens; si vero est relative major, habetur gratia efficax. Voluntas enim licet delectationem cœlestem relative minorem sequi *possit,* eam tamen, ratione infirmitatis ex peccato originali contractæ, nunquam sequitur, sed semper libere eligit sequi delectationem majorem.

Igitur efficax gratia a sufficienti differt in actu primo, non tamen specie, sed *gradu intensitatis,* eoque relativo tantum. Dicitur « gradu relativo tantum » nam eadem entitative gratia potest esse efficax in uno et mere sufficiens in alio, prout scilicet in diversis subjectis majorem vel minorem delectationem seu cupiditatem terrenam inveniat (3).

Ad rem Berti : « Est ergo gratia sufficiens sensu thomistico ac nostro illa, quæ dat posse, non velle ; aut si dat velle, istud adeo est invalidum atque imperfectum, ut desideria carnis contraria concupiscentis non vincat nisi superveniente flagrantissima caritate... Igitur gratia efficax est illa, quæ semper cum effectu coniuncta est, sive caritas, quæ dat posse et velle et tantum velle, ut voluntatem carnis contraria concupiscentem facile vincat, nec solum dat posse bene agere, sed dat ipsam actionem » (4).

(1) Cf. III. JANSSENS, O. S. B., *De gratia Dei et Christi,* p. 631 ss., qui illud Banezianorum systema omnino rejicit, et sententiam de prædeterminatione physica censet « radicitus falsam et periculis plenam » *o. c.,* p. 576.

(2) Abstrahimus ab illis qui dicuntur Augustiniani *mitiores,* quia non facile est discere id quo proprie differat illorum sententia vel ab Augustinianismo rigidiori vel a Congruismo. Cf. PORTALIÉ, ap. VACANT-MANGENOT, *Dict. de Théol. cath.,* art. *Augustinianisme,* col. 2392.

(3) Ita systema exponunt PORTALIÉ, ap. VACANT-MANGENOT, *Dict. de théol. cath.,* art. *Augustinianisme,* col. 2489 ; VAN NOORT, *De Gratia,* n. 67.

(4) *De theologicis disciplinis,* L. XIV, n. 5. Cit. a PESCH, *o. c.,* t. V, n. 271.

« Verum etsi thomistis in confessione gratiæ sufficientis et efficacis concordissime coniuncti sumus et consentimus nihil boni liberum arbitrium perficere, nisi victrice gratia flectatur et determinetur ad actum, dissentimus tamen ab illis non solum in explicanda gratiæ natura, verum etiam in eo, quod nolint in eadem gratia gradualitatem admittere, et gratiam, quæ in uno sufficiens et inefficax est, non posse efficacem esse in altero constantissime teneant, propterea quod auxilium sufficiens et efficax inter se specie differant et natura. At nos eamdem numero delectationem, quæ in aliquibus minus obcæcatis et obduratis, e. g. in Tyriis Sidoniisque, foret efficax et ad pœnitentiam in aliis majore cæcitate et obduratione affectis inefficacem esse contendimus » (1).

317. rejicitur.

Crisis.

Systema etiam hoc tamquam falsum habemus. Systema hoc, etsi in multis cum doctrina Jansenii coincidit, tamen non damnatum est, quia ejus assertores apertissime ponunt, voluntatem semper quidem et infallibiliter, minime vero necessario sequi delectationem relative victricem. Verum : a/ non explicat qua ratione libertas servetur : quomodo enim necessitans non est delectatio quae voluntatem trahit ita ut delectatio ipsa *per se,* nempe praecise quia major est, *causet* consensum ? b/ Non explicat, quomodo vere, i. e. etiam relative sufficiens sit gratia, quam voluntas nunquam sequitur praecise quia illa est delectatio *minor.* Etenim si voluntas ita est in se constituta ut non possit non eligere id ad quod majori trahitur delectatione, tunc major delectatio est ex ipsa natura voluntatis causa *necessaria* electionis determinatae, proinde est *phychologice praedeterminans* ad unum volendum prae alio. Præterea c/ systema falsis nititur fundamentis ; neque enim verum est gratiam Dei semper constare formali delectatione, quum etiam alios affectus, imprimis timorem, inspiret; neque verum est nos semper sequi delectationem indeliberatam relative victricem, quum experientia constet homines, conscientia officii aut timore gehennæ motos, sæpius eligere bonum austerum præ malo quam maxime delectabili (2).

318. Systema Molinæ exponitur.

3. Systema Molinæ et Congruistarum.

Gratia actualis, quæ vocatur efficax, talis est *non ab intrinseco,* nempe, non ab aliqua entitate specifice diversa a gratia mere sufficienti, nec a gradu diverso intensitatis, sed efficaciam unice habet a consensu liberi arbitrii, qui consensus non physice determinatur nec inimpedibiliter attrahitur per gratiam excitantem. Et hic sistit Molinismus purus.

Ad rem Molina : « Non video, præter auxilium particulare gratiae praevenientis, et concursum Dei generalem, necessarium esse auxilium aliud particulare gratiae, ut liberum arbitrium aliquem illorum actuum

(1) ID., 1. c., 6. Cit. *ibid.*
(2) Cf. VAN NOORT, *De gratia,* n. 68.

possit elicere. Etenim illa tria [h. e. liberum arbitrium, gratia prævenienS et concursus generalis] unam integram et sufficientem causam illorum complere videntur, ut disputatione XXXVII satis a nobis explicatum est: quare, esto Deus quodcunque aliud particulare auxilium denegaret, ex illis solis sequeretur effectus. Neque concilium Tridentinum Sess. VI Cap. V et canone 4 aliud, quin potius hoc ipsum aperte innuat, cum ad eos actus, praeter excitantem et praevenientem gratiam, solum dicat requiri liberum influxum nostri arbitrii quo assentiatur et cum illa cooperetur, defectuque illius dicat frustrari posse praevenientem gratiam ne actus, ad quem liberum arbitrium excitat, sequatur. Praeterea praeexistente illustratione intellectus, actuve fidei supernaturalis, et actu spei etiam supernaturalis in voluntate, atque immisso in voluntatem affectu amoris Dei supernaturalis, quo tanquam praeveniente gratia voluntas a Deo excitatur et invitatur, ut de peccatis suis doleat propter Deum, quo quaeso alio auxilio supernaturali indiget voluntas, ut contritionem supernaturalem eliciat? Plane satis illi sic adjutae tunc erit, si Deus solum concursum generalem, quo cum caeteris causis secundis concurrere solet, impendat » (1).

319. Congruismus exponitur.

Congruismus autem prædictæ doctrinæ magis explicite explicationem proponit de connexione inter gratiam excitantem et consensum liberum quem illa de facto obtinet. Dicit nempe : libera voluntas huic gratiæ consentit et Deus consensum ab æterno per scientiam mediam prævidit, quia est gratia *congrua,* i. e. talis ut indoli adjunctisque internis et externis hujus hominis accommodata existat. Contrà, gratia mere sufficiens est gratia non congrua, i. e. subjecto non ita accommodata ut consensus voluntatis, qui omnino sequi posset, actu secuturus prævideatur.

Ad rem Suarez : « Diximus in Cap. 5 auxilium efficax in vocatione aliqua speciali, ac proinde in aliquo modo excitantis gratiæ consistere, et in subsequentibus declaravimus nullam esse excitationem quæ, ex sola sua intrinseca natura seu entitate, talis seu tam efficax sit ; nec, praeter vocationem, necessariam esse aliquam prædeterminationem ex parte Dei, quæ vocationi tribuat efficacitatem illam, nam omnino talem modum efficacitatis exclusimus ; tum quia repugnat sufficientiæ gratiæ, cui illa prædeterminatio non adjungitur ex parte Dei ; tum etiam quia pugnat cum arbitrii libertate. Et ideo superest explicandum *quid* illud sit, quod *vocatio efficax addit ultra sufficientem ;* nam cum vocatio sufficiens sit vera vocatio, et de se effectrix consensus, et nihilominus vocatio efficax ab illa distinguatur, necesse est ut ratio *efficacis* aliquid addat tali vocationi ; quid ergo illud sit inquirimus...

» Vocatio efficax illa est quae de facto habitura est infallibiliter effectum a vocante intentum, et ideo, licet in se sit gratia prævenienS a solo Deo facta, nihilominus includit *habitudinem ad cooperationem futuram* liberi arbitrii, cum auxilio gratiæ simultaneo, et consequenter includit quamdam *congruitatem* respectu personæ cui datur, ut sit illi ita proportionata et accommodata, sicut oportet, ut in tali persona, in tali tempore et occasione infallibiliter effectum habeat, et per hoc habet illa vocatio quod congrua et efficax sit.... *Infallibilis connexio* quae in vocatione

(1) *Concordia,* q. 14, a. 3, disp. 39 (p. 223).

congrua seu efficaci cum libero consensu invenitur, *non* est mere *causalis, sed præscientiæ,* non per absolutam scientiam, sed per conditionatam, qua Deus de omni voluntate creata et creabili præscit quid sit actura in omni tempore et occasione, si hoc vel illo modo excitetur seu vocetur. Ita docent auctores allegati... Supponit ergo assertio vocationem efficacem, quam ad majorem claritatem congruam appellamus, habere infallibilem connexionem cum consensu voluntatis ; quod est clarum ex dictis, tum quia hoc est de ratione auxilii efficacis, ut supra posuimus; tum etiam quia hoc est necessarium, ut hæc vocatio sit medium ad divinam electionem, prædestinationem, aut efficacem prædefinitionem implendam, ut notum est. *Infallibilitas* autem, proprie loquendo, respicit *intellectum ;* est enim proprietas cognitionis, seu scientiae, et objecti ejus. Unde sicut dupliciter cognosci potest effectus futurus, scilicet in causa et in se, ita duplex distinguitur infallibilitas, altera in causa, altera in effectu ipso, seu in emanatione actuali ipsius effectus à causa. Auxilium autem efficax est causa liberi consensus, et tunc dicitur efficax, cum ita datur, ut infallibiliter habeat effectum inducendi hominem in consensum ; dicimus ergo *non* esse hanc infallibilitatem *in causa,* id est, in tali vocatione, vel auxilio *secundum se* spectato. Quod etiam est manifestum ex dictis, quia vocatio non dicitur efficax, ex eo quod voluntatem sua naturali virtute ita determinet ad consentiendum, quin possit non consentire, si velit, etiam in sensu composito, seu posita tali motione ; sed, quod ita est ab aliqua causa, ut possit non esse, non obstante illa, seu etiam illa posita, non est infallibile in causa, quia quod est infallibile in causa, non potest non evenire, posita illa : ergo hæc infallibilitas non potest esse in ipso auxilio secundum se spectato, tamquam in causa. Et inde concluditur debere esse *in præscientia,* quia in effectu futuro, priusquam fiat, non potest alius modus infallibilitatis cogitari, ut est per se notum. Rursus hæc præscientia in præsenti non potest esse absoluta, quia præscientia absoluta futuri consensus gratuiti supponit auxilium efficax, et voluntatem Dei dandi tale auxilium ad talem effectum, ante quam voluntatem debet præcedere secundum rationem hæc infallibilitas, ut Deus, non quasi casu, sed per se, et ex propria intentione, intelligatur dare auxilium efficax, ut efficax est ; ergo necesse est ut illa infallibilitas præcedat in scientia conditionata, qua Deus prænovit tale auxilium, si detur tali voluntati, in tali opportunitate futurum esse illi ita congruum, ut omnino sit illi consensura ; talis ergo est infallibilis connexio auxilii efficacis cum suo effectu » (1).

Igitur in hac theoria, sicut in Molinismo puro, gratia efficax et sufficiens per se non differunt *intrinsece,* i. e. secundum entitatem physicam, nec specie, nec etiam gradu ; nam auxilium ejusdem speciei et gradus potest esse modo efficax et modo inefficax pro diversitate subjectorum vel pro alternante dispositione ejusdem subjecti.

Inde etiam Molinismus purus, quoad substantiam doctrinæ, non differt a Congruismo (2).

Non admittimus Molinæ sententiam de naturali Dei cooperatione

---

(1) *De gratia,* L. V, c. 21, n. 1, 4, 6.

(2) Cf. QUILLIET, ap. VACANT-MANGENOT, *Dict. de théol. cath.,* art *Congruisme,* col. 1120 ss.

in creaturarum operationibus (v. suprà, n. 267, 275), nec ejus sententiam de essentia gratiæ actualis (v. suprà, n. 279 ss.). Quantum ad explicandam differentiam inter gratiam mere sufficientem et gratiam efficacem, *congruismo* adhaeremus, ut infrà exponemus.

320. *Nota de systemate sorbonico-alphonsiano.*

Nota. Non videtur facienda specialis crisis de systemate quod dicitur sorbonico-alphonsianum (propugnatum nempe a Tournely et a S. Alphonso de Ligorio, v. suprà, n. 295) quia revera non propriam sibi solutionem affert quæstionis de qua agimus. Etenim in prælaudato systemate distinguitur duplex gratia efficax, una *ab extrinseco,* quæ datur ad opera faciliora, altera *ab intrinseco* quæ datur ad opera difficiliora. Quantum ad hanc gratiam, reducitur systema ad Augustinianismum, nec melius quam hoc systema explicat quomodo servetur libertas indifferentiæ. — Quantum ad alteram gratiam, nempe quæ est ab extrinseco efficax, systema reducitur ad Molinismum. Præterea systemati sorbonico-alphonsiano recte objicitur quod non aliter potest explicari *efficacia* gratiæ, secundum quod agatur de operibus facilioribus, vel de operibus difficilioribus ; nec etiam aliter explicari potest efficacia gratiæ quæ datur immediate ad *orandum,* et aliter efficacia gratiæ quæ datur ad opus alterius virtutis. Inde prædictum systema aliquid indigitat quod respicit *distributionem* gratiæ, non proprie ejusdem efficaciam : bene nempe ostendit munus orationis ejusque necessitatem ad obtinendas alias gratias. « In nullo alio systemate ita clare ac perfecte elucet, quare oratio in œconomia gratiæ totoque salutis negotio eum locum occupet, quem quotidiana Ecclesiæ prædicatio ei ex Scriptura et Traditione assignat » (1).

§ II

De eo in quo consistit efficacia gratiæ actualis.

Prænotandum.

321. *De sensu quo gratia dicitur* efficax.

1. Indubium est quamlibet gratiam esse aliquo vero sensu *efficacem,* quatenus nempe semper aliquem *effectum* producit : omnis enim gratia excitans producit actum indeliberatum tum intellectus, tum voluntatis, quo homo allicitur ad salutariter eligendum ; nec fieri nec concipi potest quod Deus interius illuminet intellectum meum, et intellectus meus non illuminetur; quod moveat voluntatem meam, et mea voluntas non moveatur : sicut nec fieri nec concipi potest quod sol illuminet terram, et terra non illuminetur (2). Sub hoc igitur respectu, omnis gratia est *efficax,* et *ab intrinseco* efficax. De hac efficacia hîc non inquiritur.

(1) VAN NOORT, *o. c.,* n. 75.
(2) Cf. BILLUART, *De gratia,* diss. V, a. 3 (t. III, p. 137) ; BILLOT, *De gratia,* p. 147.

2. Sed de alia efficacia fit sermo, scilicet de connexione gratiæ excitantis cum consensu seu cum electione salutari : tunc enim *efficax* dicitur gratia quando de facto connectitur cum consensu, *inefficax* quando consensus non sequitur. V. suprà n. 294. *Effectus* igitur, de quo est sermo, est voluntatis *consensus* et, secundum omnes catholicos, ille consensus est liber, non physice necessarius. Sed quæritur utrum consensus ita connectatur cum gratia excitante ut dependeat vel ab ipsa natura gratiæ excitantis (quod tenent Augustiniani), vel ab aliqua physica entitate numero ac specie diversa a gratia excitante illique adjuncta (quod tenent Banezianî) vel a libero arbitrio sub influxu quatenus *congruo* gratiæ excitantis : in hac sententia, consensus ipse *nullo modo determinatur physice* a gratia excitante : totus influxus gratiæ excitantis in ratione *auxilii* est in motione formaliter *morali,* nempe in apprehensione et ab appetitione boni eligendi. Huic sententiæ adhæremus, quia hæc sola, ut videtur, vere componi potest cum libertate indifferentiæ.

3. Sed licet *connexio* inter consensum actu datum et gratiam excitantem non consistat in aliqua physica entitate, quæ *necessario* producat seu determinet consensum, oportet tamen ut coram Deo *infallibilis* sit prædicta connexio. Hæc autem infallibilitas habetur ex ipsa divina cognitione, qua Deus infallibiliter cognoscit talem hominem, si in talibus adjunctis moveatur tali gratia excitante, de facto esse consensurum. Non autem pertinet ad tractatum de gratia exponere quomodo Deus cognoscat liberas electiones creaturarum (1). Sed hoc notandum videtur : etiamsi non possemus reddere rationem de modo quo Deus illas electiones cognoscat, nec neganda foret in Deo cognitio de hoc objecto, nec admittenda foret aliqua sententia quacum componi nequit libertas indifferentiæ.

Quæ ultima conclusio confirmatur auctoritate Cajetani, qui, agens de difficultate conciliandi infallibilitatem divinæ scientiæ cum contingentia quæ est propria actui electivo, scribit hæc verba :

« Ad hanc dubitationem nihil scriptum reperi in S. Thoma ; quoniam nullibi eum movisse hanc recolo, sed semper studuit ad salvandam contingentiam... Optimum autem atque salubre consilium est in hac re inchoare ab his quæ certo scimus et experimur in nobis, scilicet quod omnia quæ sub libero arbitrio nostro continentur, evitabilia a nobis sunt; et propterea digni sumus pœna vel præmio » (2). Imprimis igitur rejicienda omnis sententia quæ logice ducit ad negationem libertatis indifferentiæ. Deinde legitime inquiritur, quantum fieri potest, de medio objectivo in quo Deus cognoscit electiones creaturarum.

---

(1) Cf. nostrum tractatum *De Deo uno et trino,* n. 404-411.
(2) In I. q. 22, a. 4.

PROPOSITIO PRIMA. *Divisio gratiæ actualis in efficacem et mere sufficientem est subdivisio gratiæ excitantis* (1).

322. *Divisio in efficacem et mere sufficientem est gratiæ* **excitantis.**

Demonstratur.

Si abstrahimus a variis theologorum systematibus et inquirimus de notione gratiæ efficacis et mere sufficientis, prout hæc elucet in Ecclesiæ documentis, assertio nostra clare apparet. Et sane concilium Tridentinum loquens de præparatione adulti ad justificationem, docet hanc præparationem sumendam esse a prævenient gratia, nempe a divina vocatione, quam adultus et *recipere* et *abjicere* potest (2). Porro si adultus prævenientem gratiam accipit libere, est gratia excitans *efficax ;* si vero hanc abjicit, est gratia excitans *mere sufficiens.* — Eadem doctrina adhuc clarius elucet ex hoc can. 4 : « Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum et excitatum nihil *cooperari* assentiendo Deo excitanti atque vocanti... neque posse *dissentire* si velit... A. S. » (3).

Igitur excitatio divina seu gratia excitans eatenus est *efficax* quatenus eidem homo cooperatur seu consentit ; est mere sufficiens quatenus homo ab illa dissentit. Ergo gratiæ divisio in efficacem et mere sufficientem est divisio gratiæ excitantis.

Hoc *confirmatur* hac consideratione. Suprà, n. 307 ss., demonstravimus hominem esse liberum, libertate indifferentiæ, in agendo salutariter, consequenter ita gratia excitanti consentire ut possit resistere. Jamvero impossibile est ut homo resistat gratiæ adjuvanti, quum hæc supponat liberum consensum et hunc elevet : ergo nunquam dari potest gratia *adjuvans* quæ sit *mere sufficiens.* Ergo si datur aliqua gratiæ divisio in sufficientem (quæ sit *vere* simul ac *mere* sufficiens) et gratiam efficacem, hæc divisio non potest cadere nisi in gratiam *excitantem.* — Aliis verbis : divisio gratiæ actualis in sufficientem et efficacem est divisio gratiæ consideratæ in ordine ad consensum, consideratæ scilicet in signo priori ad consensum jam denegatum vel jam datum ; est igitur divisio gratiæ *excitantis,* quæ et quatenus in ordine suo valet ad consensum obtinendum : si obtinet dicitur efficax, si non obtinet, dicitur mere sufficiens.

PROPOSITIO SECUNDA. *Gratia efficax a gratia mere sufficiente non differt* **ab intrinseco** *h. e. non differt vel essentia, vel qualitate, vel intensitate motus ad bonum.*

323. *Gratia efficax non* **ab intrinseco** *differt a gratia sufficiente.*

Demonstratur.

1. Si gratia efficax a mere sufficiente differret *ab intrinseco,* destrueretur libertas indifferentiæ ; atque hoc admitti nequit; ergo.

(1) BILLOT *De gratia,* p. 147.
(2) Cf. *Enchir.,* n. 797.
(3) *Enchir.,* n. 814.

Probatur nexus inter conditionem et conditionatum. Etenim si gratia excitans esset efficax formaliter *ab intrinseco,* sequeretur quod gratia efficax præcise consistit in aliqua physica entitate numerice vel specifice distincta ab entitate gratiæ mere sufficientis, vel in aliquo speciali modo seu natura excitationis; sequeretur proinde quod eatenus est efficax quatenus efficit seu prædeterminat physice, sua nempe entitate, consensum præ dissensu : atque hoc destruit libertatem indifferentiæ, quippe quæ consistit in hoc quod voluntas *ipsa sese determinat.* In hoc enim præcise sita est voluntatis natura, quod ex eadem virtute in actu primo ipsa *effective* specificet hoc vel illo modo actum secundum (1).

2. Si gratia efficax a mere sufficienti differret ab intrinseco, non daretur gratia vere simul ac mere sufficiens ; atqui hoc admitti nequit ; ergo.

Probatur nexus inter conditionem et conditionatum. Si in tantum gratia excitans esset efficax in quantum importaret entitatem numero ac specie distinctam a gratia sufficienti, vel specialem naturam aut gradum excitationis, sequeretur quod absque prædicta entitate vel absque excitatione talis naturæ aut talis gradus, gratia excitans *non posset* obtinere effectum suum ; consequenter gratia excitans quæ non esset efficax, neque vere sufficiens esset.

Ne confundatur *effectus* gratiae actualis efficacis cum *efficacia* ejus : *effectus* proprius gratiæ actualis efficacis est actus humanus, nempe liber consensus hominis, *efficacia* autem est connexio gratiæ cum libero consensu. Sed eatenus datur gratia vere et mere sufficiens quatenus datur gratia quae de se vere apta est ut habeat consensum et quæ tamen illum non habet propter liberam hominis resistentiam, ergo distinctio inter gratiam efficacem et mere sufficientem respicit gratiam consideratam in signo priori ad ipsum consensum.

324. Gratia efficax est majus beneficium quam gratia mere sufficiens.

PROPOSITIO TERTIA. *Licet gratia efficax non differat a gratia mere sufficienti in ratione auxilii, tamen gratia efficax est majus beneficium quam gratia mere sufficiens.*

Demonstratur.

Ex suprà dictis constat gratiam efficacem non esse *ab intrinseca suî ratione* majus *auxilium* quam gratia sufficiens : imo fieri potest ut vocatio ad fidem aut pœnitentiam, vel excitatio ad opus salutare sit major in homine qui resistit quam in alio homine qui consentit, ita ut gratia mere sufficiens sit in uno casu *auxilium* majus quam gratia efficax in alio casu.

Attamen gratia efficax est a parte Dei *beneficium* majus quam gratia mere sufficiens. Etenim gratia cui homo est consensurus,

(1) Cf. MATTIUSSI, *De voluntate* (lithogr.) p. 94.

non solum præcognoscitur ut talis a Deo, sed a Deo datur ut obtentura sit effectum. Ergo gratia efficax est majus beneficium, quia est effectus divinæ electionis qua Deus præsentem rerum ordinem elegit, in quo hic homo efficacem præ sufficienti acciperet gratiam.

Inde, ut totam rationem gratiæ efficacis exponamus, dicendum est gratiam efficacem esse illam quam Deus concedit ut homo de facto sed libere agat salutariter. Inde recte dicitur : hæc gratia est *effectrix* bonæ voluntatis quia per illam Deus facit nos salutariter velle et operari. Hoc præsertim elucet quando consideratur series gratiarum efficacium, quibus ultimatim conjungitur finalis perseverantia (1).

325. Nota circa doctrinam de virtute fluente

Nota. Suprà, n. 289, diximus requiri forsitan in homine carente omni habitu infuso novam et secundam virtutem fluentem ad elevandum intrinsece ipsum consensum qui datur gratiæ excitanti. Hæc secunda virtus fluens pertineret ad gratiam, non esset novum auxilium in ordine ad ipsum consensum obtinendum, sed esset unice ad elevandum intrinsece actum consensus prævisi a Deo. Igitur etiam in prædicta hypothesi, gratia efficax non differret in ratione *auxilii* a gratia sufficiente.

326. Gratiæ efficacia est ponenda in congruitate relativa auxilii excitantis.

Conclusio. Ex suprà expositis concludes :

Efficacia gratiæ actualis collocanda est in *congruitate relativa* auxilii excitantis.

Hæc est sententia Beati Roberti Bellarmini (2) quae, uti nobis videtur, rite solvit quaestionem propositam.

Probatur.

1. *Efficacia* gratiæ dupliciter considerari potest : in actu primo et in actu secundo : efficacia in actu *secundo* est in ipso effectu, nempe in ipso actu libero consensus, quatenus hic dependet ab auxilio gratiæ excitantis ; efficacia in actu *primo* est in ipso auxilio gratiae excitantis, nempe in *influxu* quo gratia excitans obtentura est effectum. Jamvero ille influxus, et proinde ipsa connexio inter gratiam excitantem et consensum voluntatis consistit in *congruitate* auxilii *relativa* ad subjectum cui confertur, aliis verbis : eatenus gratia excitans obtinet effectum quatenus est *congrua*, h. e.

---

(1) Hujus asserti ulterior explicatio pertinet ad quæstionem de *prædestinatione* : cf. nostrum tractatum *De Deo uno et trino*, n. 566 ss.

(2) Videsis BELLARMINUM, *De gratia et libero arbitrio*, L. I, c. XII; *De novis controversiis inter patres quosdam ex ordine prædicatorum et P. Ludovicum Molinam*, ap. LE BACHELET, *Auctarium Bellarminianum*, p. 101 ss. Cf. quae scripsimus ap. VACANT-MANGENOT, *Dict. de théol. cath.*, art. *grâce*, col. 1671, 1677. Eadem quoad formalem rationem efficacitatis gratiæ sententia propugnatur a cl. DE BAETS *De Gratia*, p. 122 ss., qui etiam opportune exponit hanc propositionem : « inter gratiam efficacem *formaliter* spectatam et gratiam sufficientem nullam haberi *ontologicam* vel entitativam differentiam » p. 128. Minus clare nobis videtur loqui de hac re ILL. JANSSENS, O. S. B., *De gratia Dei et Christi*, p. 659-660, licet adhæreat *congruismo*, *o. c.*, p. 646, ss.

bene accommodata seu proportionata actualibus dispositionibus subjecti.

2. Illa porro sententia nobis videtur admittenda quia in illa bene salvatur a) hominis physica libertas indifferentiae, et b) Dei supremum dominium in voluntatem humanam.

a) Gratia excitans non nisi *praeviam* dispositionem, utique opportunam, causat, cui dispositioni consentire et a qua dissentire potest homo: quapropter illa gratia excitans nullo modo physice praedeterminat ad consensum, sed relinquit in ipsa voluntate eligente *totam determinationem activam* ad unum prae altero.

Quod ut clarius appareat consideremus quod illa congruitas gratiae non est aliquid quod *per se* pertinet vel ad essentiam entitatis gratiae, vel ad ejus intensitatem vel ad ejus modum operandi, sed est intelligenda per analogiam ad id quod evenit inter homines: homo enim potest conjecturaliter cognoscere quod si alium hominem hortatur *tali modo* ad agendum vel omittendum *hoc,* ille homo consentiet, qui vero non consentiret si alio modo proponeretur res agenda vel omittenda: exhortatio *talis qualis* revera obtineat consensum est *congrua,* et habetur quaedam objectiva connexio inter illam congruitatem relativam et consensum qui sequitur.

b) Deus potest semper quemlibet hominem, in quibuslibet adjunctis adducere ut libere velit aliquid : hoc exigitur pleno Dei dominio in hominem seu plena hominis dependentia a Deo : hinc cognoscit Deus infallibiliter quidquid acturus sit quilibet homo, impulsus tali determinata gratia, in quibuslibet positus adjunctis, hinc potest Deus cuilibet homini talem concedere gratiam cui libere consensurus sit ; inde si Deus *absolute* velit ut homo *libere* velit bonum aliquod supernaturale, Deus impellet hominem auxilio *congruo,* tali nempe ut in homine *persuasionem* (1) efficiat talis operis faciendi : haec est ratio agendi quae perfecte convenit tum divinae scientiae et potentiae, tum humanae dignitati ac praesertim libertati.

Quam exposuimus explicationem, pulcherrime describit cl. Pater Monsabré, O. P. « Persuader c'est entrer autant qu'on le peut dans une âme, mettre sa volonté dans la sienne, si bien qu'elle veut ce que nous voulons sans que pourtant sa liberté soit blessée... La persuasion ne se contente pas de faire dire à une âme: c'est vrai, ce qui est déjà un beau résultat, elle lui fait dire: je veux: elle le dit librement et cependant c'est la force victorieuse d'une autre volonté qui lui fait dire cela... Si l'homme a le pouvoir de persuader comment Dieu ne l'aurait il pas?... Il faut pousser à l'infini la plus sublime, la plus vive, la plus pénétrante, la plus triomphante éloquence de ce monde, pour se faire une idée de la force de persuasion dont Dieu dispose à l'égard de la liberté... On peut vraiment dire que Dieu est maître, quand, après avoir tracé autour de la liberté une rigoureuse circonvallation de circonstances qui la pressent de se rendre, il entre mystérieusement dans la place où elle

(1) V. textum S. Augustini, citatum suprà, n. 299.

se tient retranchée et l'oblige, non seulement sans la violenter, mais sans lui imposer aucune nécessité, à reconnaître sa souveraineté. Il semble qu'on peut s'arrêter là et considérer la persuasion comme le dernier mot de la concorde entre la souveraineté divine et la liberté humaine » (1).

De mente Capreoli. *327. De mente Capreoli.*

Utile ducimus quædam hic referre asserta ex egregio divi Thomæ commentatore ac defensore, cujus nomen Capreolus (2), quippe qui, ut videtur, eamdem de cooperatione Dei in voluntate et de efficacia gratiæ actualis doctrinam docet quam propugnare conati sumus (3).

1. In II, dist. 24, ponit quintam conclusionem hanc : « Quod liberum arbitrium seu voluntas, non est potentia pura passiva ; immo est activa et motiva » (4). Post relata varia loca S. Thomæ, conclusionem suam demonstrat argumento sequenti : « Omnis potentia movens seipsam ad suum actum est activa et non pure passiva. Sed voluntas est hujusmodi. Igitur. Major nota est. Minor probatur : quia, sicut se habet intellectus respectu conclusionum deducibilium ex principiis, ita se habet voluntas respectu eorum quae sunt ad finem ; sed intellectus actu cognoscens principia potest se movere ad actum cognoscendi conclusiones ; igitur voluntas appetens finem, potest se movere ad eligendum ea quae sunt ad finem ». Docet igitur Capreolus voluntatem seipsam movere ad eligendum.

2. Quæ ultima conclusio clarius elucet ex responsione quam dat Capreolus alicui objectioni valde complexae Godofridi: hic nempe conatur demonstrare quod voluntas, etiam quando est affecta ad aliquod bonum ut finem, non potest movere seipsam effective ad eligendum(5) : hanc porro conclusionem confirmat sequenti ratiocinio : « Commentator dicit *2 Physicorum* (comm. 48) quod esse indifferens æqualiter ad opposita, est contradictio potentiæ passivæ, quam oportet reduci in actum ab alio, sed voluntas est indifferens ad oppositas volitiones. Ergo sive ponatur voluntas nuda, sive affecta, quamdiu accipitur ut indifferens ad opposita, oportet quod moveatur ab alio determinante eam ad alterum oppositorum ; quod non potest esse nisi objectum » (6).

Notemus hoc esse præcise argumentum quo utuntur Thomistæ ad demonstrandum necessitatem *prædeterminationis physicæ ad electionem* (v. supra, n. 275) : hanc autem prædeterminationem ponunt non quidem in influxu physico *objecti* (uti dicitur in objectione allata) sed in entitate physica immissa a Deo voluntati. Jamvero Capreolus non concedit voluntatem indigere prædeterminatione ad eligendum, sed e contrario affirmat quod *ipsa se determinat* ad eligendum, quia jam est in actu volendi

---

(1) *Exposition du dogme catholique,* Carême, 1876, p. 90.

(2) Cf. PÈGUES, *Du rôle de Capréolus dans la défense de saint Thomas,* in *Revue Thomiste* 1899, t. VII, p. 507 ss.

(3) Cl. UDE, in opere : *Doctrina Capreoli de influxu Dei in actus voluntatis humanæ,* sibi solvendam proposuit quæstionem : utrum Capreolus sit Molinista an Thomista, et concludit Capreolum esse Thomistam. Hæc autem conclusio non absque distinctione est admittenda : etenim Capreolus est Thomista quatenus docet doctrinam de *præmotione physica,* quæ contraria est sententiæ Molinæ de concursu simultaneo ; sed Capreolus, ut videtur, non est Thomista hoc sensu quod doceat *prædeterminationem* physicam actus voluntatis *eligentis* quemadmodum docent Thomistæ a tempore Bannez.

(4) T. IV, p. 202.

(5) *O. c.*, p. 208.

(6) *O. c.*, p. 209.

finem ; adeoque potest se movere ad volendum ea quæ sunt ad finem (1). Sed infra refert aliam responsionem, datam a Bernardo de Gannato quam approbat et quæ sic sonat : « Voluntas quantum est de natura sua est ad opposita, ipsa tamen ratione suæ libertatis determinat se ad id quod vult ; et ita non indiget alio determinante » (2).

Capreolus igitur tenet *non requiri prædeterminationem* voluntatis ad ipsam electionem.

3. In dist. 25, a. 3, respondet ad argumenta Henrici, et inter alia declarat necessitatem motionis divinæ in voluntate, referendo ac approbando hæc verba Bernardi de Gannato : « Primus ergo actus volendi non potest esse a voluntate quia ipsa, quantum est de se, est in potentia ad ipsum actum volendi ; et ideo oportet, quod fiat actu in genere volentium per aliquid aliud, et hoc est per primam affectionem. Unde cum illa non sit ab objecto, item nec a voluntate, quia tunc esset in potestate voluntatis, quod est falsum, necesse est primam affectionem voluntatis reduci ad Deum, sicut et ipsam productionem animæ rationalis. Et sic illa immediate producitur a Deo *effective*. Alii autem actus volendi sunt effective a composito : scilicet a voluntate et a prima affectione ad finem, sicut docet Thomas, ubicumque, loquitur, de hac materia; sicut intellectus factus in actu principiorum movet se ad conclusiones. Et ideo omnes actus volendi præter primum, quia sunt in potestate voluntatis, oportet quod sint *effective ab ipsa* et specificative ab objecto » (3).

4. Tandem de *gratia actuali* agens Capreolus explicat quomodo Deus *specialiter* moveat voluntatem ad bonum salutare, et quomodo tamen sub hac motione remaneat voluntas domina sui actus: « Deus juvat nos, immediate ipsum actum efficiendo, et non ipse solus efficit actum, sed etiam voluntas efficit. Sed, ut jam tetigi, non solum juvat Deus ad bonum velle, partialiter coefficiendo, qui est modus communis, quo concurrit ad cujuslibet agentis creati effectum quemlibet, sed etiam quodam modo *speciali*, videlicet faciendo ipsam voluntatem partialiter concurrere, ita quod ipsa voluntas partialiter concauset *applicata* et *quasi instrumentaliter a Deo* ad sic partialiter concausandum. In qua tamen motione ipsa *non necessitatur*, sed instrumentum liberum existens, in *cuius protestate est sequi motionem* agentis, *juvatur* ita, ut agat ea, quæ non sic adjuta nequaquam agere potuisset. Ad productionem vero actus mali solum primo modo cuncurrit Deus ». Deinde refert Capreolus verba S. Thomæ 1-2, q. 10, a. 2 : « Eadem est doctrina quia non facit voluntatem agere actum malum, sicut facit eam agere actum bonum. Et hoc est adjutorium illud Dei speciale, sine quo dicimus nos nihil bene velle aut facere » (4). Hæc sunt Gregorii verba quæ sua facit Capreolus et licet videatur exaggerare necessitatem auxilii specialis, quum illud requirat pro omni actu honesto, tamen ejusmodi auxilii *efficientiam* ita exponit, ut sit *in potestate voluntatis* illud *sequi vel non*.

Conclusio igitur sit hæc : Capreolus *non docet* requiri *prædeterminationem physicam* a Deo immissam ad actum electionis, imo *hæc prædeterminatio excluditur* in sua sententia quatenus affirmat ipsam voluntatem sese determinare effective ad ea quæ sunt ad finem, voluntatemque posse sequi vel non sequi specialem Dei motionem ad actum salutarem.

---

(1) *O. c.*, p. 223.
(2) *O. c.*, p. 224.
(3) *O. c.*, p. 249-250. Deinde refert Capreolus verba S. Thomæ 1-2, q. 10, a. 2. Eadem est doctrina Cajetani : v. suprà, n. 274.
(4) In II, dist. 28, a. 3, ad argumenta contra 2am conclusionem, ad 12, *O. c.*, p. 305.

Sectio quarta.

DE PERSEVERANTIA.

328. Connexio rerum.

In sectionibus 1ª, 2ª et 3ª hujus partis, exposuimus quænam sint diversa entium genera quibus nomen et ratio gratiæ competit ; sunt videlicet gratia sanctificans, virtutes per se infusæ, dona Spiritus Sancti et actualis gratia. Jam inquirendum est utrum aliud donum requiratur ut homo justificatus permaneat in hoc statu et, quatenus negative, quomodo homo possit pergere et de facto pergat in justificatione. Sed præmittenda est notio *perseverantiæ.*

829. Notio perseverantiæ.

Notio. Ad *nominalem* definitionem quod attinet, perseverantia, prout hîc accipitur, est *hominis duratio seu continuatio in acceptæ gratiæ justificantis statu.* Potest vero eadem *imperfecta* esse vel *perfecta* : imperfecta, qua non nisi per aliquod tempus conservatur status gratiæ ; *perfecta qua usque ad finem vitæ* quis in statu justitiæ permanet, a quantocumque demum tempore hic status inceperit (1). Hæc est perseverantia *finalis,* quam definit S. Thomas : « Continuatio quædam boni usque ad finem vitæ » (2).

Perseverantiæ finalis definitio *realis* est hæc : « Continuatio status gratiæ a sua infusione (sive prima sive repetita) usque ad mortem » (3).

330. Finalis perseverantia dividitur in **activam et passivam.**

Dividitur a multis theologis perseverantia finalis in activam et passivam, quia in diversis subjectis obtinetur diverso modo : « Amentes enim et infantes baptizati, qui ante usum rationis moriuntur, absque ulla cooperatione gratiam servant, et ideo dicuntur habere perseverantiam *passivam.* His æquiparantur adulti, qui post acceptam aut recuperatam justitiam mox moriuntur, quin serium laborem ad servandam justitiam adhibere debuerint. Vides perseverantiam passivam unice pendere ab eo quod mors immittatur opportune, i. e. quando homo versatur in statu gratiæ. Qui vero post acceptam vel recuperatam justitiam diutius superstites, serio laborare debent ut per observantiam mandatorum gratiam servent et ita demum in ea moriuntur, dicuntur habere perseverantiam *activam.* Hæc igitur pendet a duobus, nempe tum a diuturna continuatione in bono, quæ non habetur absque gravi labore et

---

(1) Ita JUNGMANN, *De gratia,* n. 77.

(2) 1-2, q. 109, a. 10, ubi S. Thomas triplicem sensum vocabuli *perseverantia* distinguit. — Eadem definitio traditur a S. Bonaventura : « Continua permanentia in bono usque ad finem vitæ ». In II, dist. 43, a. 2, q. 2 (t. II, p. 990). Cf. S. AUGUSTINUS, *De dono perseverantiæ,* c. 1, n.1.

(3) Cf. VAN NOORT, *De gratia,* n. 40.

certamine (elementum internum), tum ab immissione mortis opportuna (elementum externum) » (1).

331. Gratiæ actualis ad perseverandum necessitas explicatur.

PROPOSITIO PRIMA. *Homo justificatus non potest perseverare absque speciali auxilio Dei, omnibus autem justificatis datur auxilium sufficiens ut possint perseverare.*

Utraque pars propositionis est de fide divina : prima pars definita est in Concilio Tridentino his verbis : « Si quis dixerit justificatum sine speciali auxilio Dei in accepta justitia perseverare posse... A. S. » (2). Secunda pars etiam declarata fuit in eodem concilio declarante : « Deus sua gratia semel justificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur » (3).

Quoad sensum prioris partis propositionis, notemus : a) concilium loquitur de adulto : infantes enim quum nec opera salutaria, nec opera moraliter mala valeant efficere, nullo speciali *auxilio* indigent ut conservent statum justificationis ; b) loquitur de necessitate specialis auxilii ut aliquis *saltem per longum tempus* perseveret : nam indigentia auxilii specialis de quo loquitur concilium provenit ex infirmitate *morali* hominis ad observanda Dei mandata (4) ; hæc autem infirmitas non talis est ut homo nequeat per aliquod tempus vitare peccatum mortale absque speciali auxilio Dei, quum hoc possit solis naturæ viribus : v. suprà n. 60, 70. c) « Auxilium *speciale* » certe designat auxilium distinctum tum a concursu Dei generali, tum a gratia sanctificante donisque habitualibus cum ea connexis (5).

Sed in canone de quo agimus concilium non definit auxilium illud esse *internum* gratiæ actualis auxilium ; nec definit necessitatem *physicam* gratiæ ad elevandos actus bonos, nec concursum Dei ad actus creaturarum ; loquitur potius, in genere, de omni medio quo utitur Deus ad præservandum hominem justum a peccato (6).

Ulterius videtur, in canone, de quo agimus, vocabulo « auxilio speciali » non loqui concilium de opportunitate mortis, qua justus de facto obtinet finalem perseverantiam, nam sermo est de eo quod requiritur ut justus vivens possit in statu justitiæ permanere et nominatim *observare mandata Dei et ecclesiæ* (de quo fit sermo in canone 20). Talem esse sensum concilii confirmatur ex secunda parte canonis 22 quem interpretamur, ubi dicitur : justum posse

---

(1) VAN NOORT, *o. c.*, l. c.
(2) *Enchir.*, n. 832.
(3) *Enchir.*, n. 804.
(4) Cf. HEFNER, *Die Enstehungsgeschichte des Trienter Rechtfertigungs dekretes*, p. 352.
(5) ID. ibid. Cf. STRAUB, *Uber den sinn des 22 canons der 6 Sitzung des Concils von Trient*, in *Zeitschrift für katholische Theologie*, 1897, t. 21, p. 108 ss., 121 ss.
(6) Cf. STRAUB, *o. c.*, p. 114.

perseverare cum speciali auxilia (1) : ita ut sensus sit : justificatus adultus sine speciali auxilio non potest, saltem per longum tempus, observare omnia mandata Dei et Ecclesiæ et consequenter vitare omne peccatum mortale ; hoc autem potest cum speciali auxilio, quod omnibus justificatis datur. Quapropter censemus nomine « auxilio speciali » in canone 22, nec formaliter nec materialiter significari id quod concilium Tridentinum alio in canone vocat : « magnum perseverantiæ donum (2) » ; de quo postea erit sermo.

Demonstratur 1ª pars.

332. Demonstratur 1) ex S. Scriptura.

A. EX S. SCRIPTURA.

Etenim docetur etiam justos non sine magnis difficultatibus et continuo certamine justitiam suam servare, difficultatesque non vincere nisi per auxilium Dei quod justis ultra ipsam justificationem conceditur et quod proinde aliud est quam gratia qua formaliter justi constituuntur. « De cœtero, fratres, confortamini in Domino et in potentia virtutis ejus. Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli... » (3). « Cum metu et tremore vestram salutem operamini. Deus est enim qui operatur in vobis et velle et perficere [ἐνεργεῖν = uitwerken = exécuter] » (4). A Deo donatur victoria de tentationibus : « Tentatio vos non apprehendat [apprehendit] nisi humana : fidelis autem Deus est qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum [h. e. bonum exitum] (5).

333. 2) ex Traditione.

B. EX TRADITIONE.

1. *S. Augustinus* contra Semi-pelagianos propugnat nostram usque in finem perseverantiam esse *donum Dei* et non esse in nostra potestate, nempe nostras naturales vires non sufficere ad vincendas tentationes (6). Hoc demonstrat S. Augustinus ex facto quod in Ecclesia deposcitur a Deo perseverantia. « Cur autem perseverantia ista poscitur a Deo ? An et ista irrisoria petitio est, cum id ab eo petitur quod scitur non ipsum dare, sed ipso non dante esse in hominis potestate ; sicut irrisoria est etiam illa actio gratiarum si ex hoc gratiæ aguntur Deo, quod non donavit ipse, nec fecit ? An ab illo perseverantia ista forte non poscitur ? Jam hoc qui dicit, non meis disputationibus refellendus, sed sanctorum

(1) Integer canon sic sonat... « Si quis dixerit justificatum vel sine speciali auxilio Dei in accepta justitia perseverare posse vel cum eo non posse. A. S. ». *Enchir.*, n. 832.
(2) Can. 16. *Enchir.*, n. 826.
(3) Ephes., VI, 10 ss.
(4) *Philipp.*, II, 12-13.
(5) I Cor. X, 13.
(6) *De dono perseverantiæ*, n. 2, n. 42.

orationibus onerandus est. An vero quisdam eorum est, qui non sibi poscat a Deo, ut perseveret in eo, cum ipsa oratione quæ Dominica nuncupatur, quia eam Dominus docuit, quando oratur a sanctis, nihil penc aliud quam perseverantia posci intelligatur ? » (1) Postquam vero, allata expositione S. Cypriani, late ostenderit, singulis fere petitiones Dominicæ orationis ad perseverantiæ donum a Deo obtinendum referri, ita concludit: « Prorsus in hac re non operosas disputationes exspectet Ecclesia sed attendat quotidianas orationes suas » (2). Etiam docet S. Augustinus homines justos ad perseverantiam indigere potentiore gratia quam erat gratia necessaria Adæ ante peccatum : quia justis nunc majores difficultates ac tentationes sunt superandæ (3).

2. *Ecclesiæ documenta. Cœlestinus I* docet : « Neminem etiam baptismatis gratia renovatum idoneum esse ad superandas diaboli insidias et ad vincendas carnis concupiscentias nisi per quotidianum adjutorium Dei perseverantiam bonæ conversationis acceperit » (4).

Concilium Arausicanum II docet : « Adjutorium Dei etiam renatis ac sanctis semper est implorandum, ut ad finem bonum pervenire vel in bono possint opere perdurare » (5).

Concilium Tridentinum : « De perseverantiæ munere... quod quidem aliunde haberi nequit nisi ab eo, qui potens est eum qui stat statuere, ut perseveranter stet, et eum qui cadit restituere : nemo sibi certi aliquid absoluta certitudine polliceatur, tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare et reponere omnes debent... Formidare debent scientes quod in spem gloriæ et nondum in gloriam renati sunt, de pugna, quæ superest cum carne, cum mundo, cum diabolo, in qua victores esse non possunt, nisi cum Dei gratia Apostolo obtemperent dicenti [*Rom.*, VIII, 12 ss.] : « Debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus... » (6).

334. Justificatum habere semper id quo possit perseverare demonstratur : 1/ ex S. Scriptura,

Demonstratur 2ª pars.

A. EX S. SCRIPTURA.

Suprà, n. 71, 75, exposuimus hominem, in præsenti Providentiæ ordine, quamdiu nondum est in Christo regeneratus, non posse per longum tempus vitare peccatum mortale, propter dominantem concupiscentiam ; hic vero status, in quo homo est venumdatus sub peccato, cessat omnino statim ac homo est justificatus, et in hoc statu potest vitare omnia peccata mortalia et vivere, non

(1) *Ibid.*, n. 3.
(2) *Ibid.*, n. 15; cf. n. 63. V, quæ diximus suprà, n. 50.
(3) Cf. *De correptione et gratia*, n. 29-35.
(4) *Enchir.*, n. 132.
(5) *Enchir.*, n. 183.
(6) Sess. VI c. 13. *Enchir.*, n. 806.

secundum carnem, sed secundum spiritum. Igitur quia et quatenus est justus habebit omnia quæ requiruntur ut possit perseverare in statu justitiæ : hæc est doctrina S. Pauli (1).

Quæ confirmatur ex eo quod Apostolus dixerat : « Commendat autem charitatem suam Deus in nobis : quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus, Christus pro nobis mortuus est : multo igitur magis nunc justificati in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum. Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus : multo magis reconciliati, salvi erimus in vita ipsius » (2).

Quæ verba sic interpretatur cl. Van Steenkiste : « Maximopere autem commendat Deus suam erga nos charitatem, per hoc quod, cum adhuc peccatores essemus, adeoque ejus inimici, Christum Filium suum pro nobis mori voluit. Igitur multo potius nunc, cum justificati simus per sanguinem ipsius, salvi erimus per ipsum a pœna æterna, nec fallet spes cœlestis beatitudinis, qua nunc gloriamur. Hæc argumentatio plane ineluctabilis est : si enim, cum inimici essemus Dei, ei reconciliati sumus per mortem Filii ejus, multo magis, per vitam ipsius gloriosam et omnipotentem, salutem æternam consequemur ; quippe qui nunc non amplius simus Dei inimici, sed cum eo reconciliati » (3).

B. EX ECCLESIÆ DOCUMENTIS.

335. 2/ ex Ecclesiæ documentis.

Eadem doctrina definitur in concilio Arausicano II : « Hoc etiam secundum fidem catholicam credimus, quod accepta per baptismum gratia, omnes baptizati, Christo auxiliante et cooperante, quæ ad salutem pertinent, possint et debeant, si fideliter laborare voluerit, adimplere » (4).

Idem docetur in concilio Tridentino : v. suprà, n. 332, 334.

336. Ad perseverantiam requiritur, interdum saltem, gratia actualis

PROPOSITIO SECUNDA. *In homine adulto justificato requiritur, interdum saltem, gratia actualis, proprie dicta, h. e. supernaturalis illuminatio intellectus et voluntatis inspiratio, ut possit perseverare in statu justitiae.*

Ut in præcedenti propositione expositum fuit, secundum fidem catholicam tenemus hominem adultum justificatum indigere auxilio speciali ut possit perseverare : de specie illius auxilii nihil definivit Ecclesia : quid de hac re sit censendum in præsenti propositione declaramus.

Demonstratur.

Ratio necessitatis auxilii ad perseverandum jacet in impotentia morali hominis ad resistendum tentationibus seu, quod materialiter idem est, ad vincendam concupiscentiam ; atqui ut huic infir-

(1) *Rom.*, VIII.
(2) *Ibid.*, V, 8-10.
(3) *Commentarius in epistolas S. Pauli*, t. I, p. 96 s.
(4) *Enchir.*, n. 200.

mitati subveniatur requiritur interdum saltem intellectus illuminatio et voluntatis inspiratio ; atqui illæ motiones debent esse supernaturales ; ergo requiritur, interdum saltem, supernaturalis illuminatio intellectus et voluntatis inspiratio.

Probatur Major. Suprà, n. 332, declaravimus concilii Tridentini, definientis necessitatem auxilii ad perseverantiam, mentem fuisse loqui de morali necessitate auxilii, quæ nempe jacet in morali infirmitate hominis. Hæc autem infirmitas jacet in concupiscentia, nempe in inordinatione facultatum appetitivarum, quæ, propter originale peccatum, jam non subduntur rationi (1). Præterea aliud vulnus habetur, quod secundum psychologiæ leges, intime connectitur cum ipsa concupiscentia, nempe ignorantia, propter quam homo non sufficienter perspicit, præsertim quoad conclusiones ultimo practicas, quid sit ipsi faciendum vel omittendum in ordine morali. Quæ omnia constant tum ex doctrina de peccato originali (2) tum ex hominum experientia.

Probatur minor prima. Homo justificatus per gratiam sanctificantem et dona ipsi connexa sanatur quidem quantum ad mentem, quatenus nempe essentia animæ ejus intrinsece elevatur, et intellectus ac voluntas etiam intrinsece elevantur et simul positive ordinantur ad Deum, ut finem supernaturalem, cognoscendum ac amandum. Sed supernaturalis cognitio et amor, secundum habitum inhærentes animæ, non per se impediunt motus concupiscentiæ (3). nec ignorantiam qua laborant homines : proinde ut illa vulnera sanentur requiritur ut Deus illuminet intellectum et roboret voluntatem : hi autem effectus obtinentur per instinctivas motiones a Deo immissas homini. Quum autem humana infirmitas non tanta sit ut homo morali laboret impotentia ad omnem actum moraliter bonum ponendum vel ad omnem tentationem superandam (4), ideo non requiritur (ex necessitate de qua nunc agimus) ut homines ad singulos actus bonos, vel ad singulas vincendas tentationes, specialiter illuminentur et inspirentur a Deo : prædictæ illuminationes ac inspirationes requiruntur *interdum saltem :* eorum frequentiam non possumus definire.

Probatur minor secunda. Quum homo justificatus sit radicaliter (per gratiam sanctificantem) et formaliter (per charitatem) (5) ordinatus ad Deum, ut finem supernaturalem, quumque connatura-

---

(1) V. suprà, n. 75.

(2) Cf. *Collat. Brug.*, t. II, p. 115; t. IX, p. 689; t. X, p. 148, 462.

(3) « Manere autem in baptizatis concupiscentiam vel fomitem, hæc sancta synodus [Tridentina] fatetur et sentit, quæ cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, sed viriliter per Christi Jesu gratiam repugnantibus non valet ». Sess. V. *Enchir.*, n. 792.

(4) V. suprà, n. 60, 775.

(5) Cf. S. THOMAS, 1-2, q. 65, a. 5.

liter omnes suæ operationes moraliter bonæ possint et debeant esse supernaturales, sequitur illas motiones instinctivas, quibus ipse Deus immediate illuminat intellectum et inspirat voluntatem ad actum supernaturalem, esse in eodem ordine et esse gratiam actualem proprie dictam (1).

337. *Confirmatur auctoritate S. Thomae.*

Confirmatur argumentum expositum auctoritate S. Thomæ : quæstioni « utrum homo in gratia constitutus indigeat auxilio gratiæ ad perseverandum », respondet S. Doctor : « Ad... perseverantiam habendam homo in gratia constitutus non quidem indiget aliqua alia habituali gratia, sed divino auxilio ipsum dirigente et protegente contra tentationum impulsus, sicut ex præcedenti quæstione apparet » (2).

S. Thomas igitur ideo requirit auxilium ad perseverantiam quia indiget homo ut dirigatur et protegatur a Deo *contra impulsus tentationum.* Adjungit porro : « sicut ex præcedenti quæstione apparet ». Hæc præcedens quæstio sic proponitur : « Utrum ille qui jam consecutus est gratiam, per seipsum possit operari bonum et vitare peccatum absque auxilio gratiæ ». Responsio est hæc : Homo in gratia existens non indiget alio auxilio gratiæ, quasi aliquo alio habitu infuso. Indiget tamen auxilio gratiæ secundum alium modum, ut scilicet a Deo moveatur ad recte agendum.

» Et hoc propter duo. Primo quidem, ratione generali : propter hoc quod, sicut supra dictum est, nulla res creata potest in quemcumque actum prodire nisi virtute motionis divinæ (3). — Secundo ratione speciali, propter conditionem status humanæ naturæ, quæ quidem licet per gratiam sanetur quantum ad mentem, remanet tamen in ea corruptio et infectio quantum ad carnem, per quam servit legi peccati, ut dicitur *Rom. VII.* Remanet etiam quædam ignorantiæ obscuritas in intellectu, secundum quam, ut etiam dicitur *Rom. VIII,* quid oremus sicut oportet, nescimus. Propter varios enim rerum eventus, et quia etiam nosipsos non perfecte cognoscimus, non possumus ad plenum scire quid nobis expediat ; secundum illud *Sap. IX :* « Cogitationes mortalium timidæ, et incertæ providentiæ nostræ ». Et ideo necesse est nobis ut a Deo dirigamur, et protegamur, qui omnia novit et omnia potest. Et propter hoc etiam renatis in Filios Dei per gratiam, convenit dicere: *Et ne nos inducas in tentationem,* et, *Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra,* et cetera quae in oratione Dominica continentur ad hoc pertinentia » (4).

Uti patet, S. Thomas minime exigit gratiæ actualis auxilium propter aliquam *physicam* necessitatem eliciendi actum *supernaturalem,* sed propter conditionem humanæ naturæ quæ moraliter impotens facta est ad bonum operandum.

---

(1) V. suprà n. 283.

(2) 1-2, q. 109, a. 10.

(3) Hæc motio divina exigitur a creatura omni, qua tali, proinde non pertinet *ratione sui* ad ordinem gratiæ. Sed si agitur de eliciendo actu entitative supernaturali, motio prædicta, secundum mentem S. Thomæ, pertinet ad gratiam. Attamen secundum ea quæ suprà, n. 279 ss., exposuimus, non ab illa motione, quæ ab omni creatura, qua tali, exigitur, provenit ipsa actus *supernaturalitas :* hæc enim efficitur vel a virtute supernaturali fluente vel a dono habituali infuso. — Præterea notemus a S. Thoma clare distingui motionem, quæ et quatenus exigitur ab omni creatura ut in actum prodeat, ab alia motione quæ requiritur *propter conditionem humanæ naturæ :* hæc ultima est motio instinctiva Spiritus Sancti in qua, secundum ea quæ suprà, n. 283, 290, diximus, consistit gratia actualis proprie dicta.

(4) 1-2, q. 109, a. 9.

et Cajetani.

Idem docet Cajetanus prædictum articulum interpretando : « Homo per solum donum gratiæ [habitualis] non potest operari bona operanda et vitare mala vitanda, sed ad hoc eget speciali auxilio Dei ultra gratiam. Et ratio litteræ [h. e. textus S. Thomæ] est quia gratia non dat quidquid opus est ad hæc duo : nam relinquit carnem infirmam et intellectum obscurum, quibus nisi speciali Dei auxilio subveniatur, inter tot occurrentia, infirmitas carnis et obscuritas intellectus abducet liberum arbitrium a gratia, tollendo usum gratiæ et trahendo ad infirma carnis et expedientia secundum apparentiam infirmi visus. Cum quo tamen stat quod homo ex sola gratia potest ipsa gratia uti, bene faciendo et mala vitando, nunc et ad hoc » (1).

Quibus ultimus verbis intendit Cajetanus non requiri auxilium speciale gratiæ actualis ad singulos actus in justo.

338. Non videtur requiri in justificato gratia actualis ad singulos actus salutares.

PROPOSITIO TERTIA. *Non videtur requiri gratia actualis proprie dicta, h. e. speciale auxilium gratiæ, seu immediata Spiritus Sancti illuminatio ac inspiratio, ad singulos actus salutares in homine justificato.*

Hæc propositio licet a pluribus theologis negetur (inter quos citandus Illmus ac Rmus Waffelaert in *Collat. Brug.*, t. XVIII, p. 13), propugnatur tamen a gravibus auctoribus, inter quos citandi sunt : Cajetanus (2), Soto (3), Molina (4), Bellarminus (5), Billuart (6), et inter recentiores, Terrien (7), Billot (8), Pignataro (9), Konings (10), Merkelbach (11).

Prænotandum.

Ut sensus propositionis perspiciatur perpendamus sequentia : duplici modo intelligi potest justum moveri a Deo ad volendum vel faciendum bonum. Uno quidem modo, a Deo ut a primo motore qui unamquamque creaturam applicat ad agendum secundum exigentiam operativae virtutis quae in ea est : pro quanto scilicet id necesse est ut possit ipsa operativa virtus in actum sibi connaturalem exire. Et sic, etiam justus indiget moveri a Deo in ordine ad singulos actus salutares, cum supernaturales habitus procul dubio non transcendant communem conditionem causarum secundarum, quae semper requirunt initialem motionem, ut de statu

---

(1) In 1-2, q. 109, a. 9.
(2) In 1-2, q. 109, a. 9.
(3) *De natura et gratia*, L. III, c. 4 (fol. 207).
(4) *Concordia*, q. 14, a. 13, disp. 8 (p. 36).
(5) *De gratia et libero arbitrio*, L. VI, c. 15, n. 49. Bellarminus explicite loquitur de gratia *excitante* : sed de hac præcise loquimur in thesi, quia, secundum ea quæ suprà n. 292, diximus, non realiter distinguitur, saltem *in ratione auxilii*, gratia excitans ab adjuvante.
(6) *De gratia*, diss. III, a. 9, p. 110.
(7) *La grâce et la gloire*, t. I, p. 189 ; t. II, p. 58.
(8) *De virtutibus infusis*, thes. 7, p. 173 ; *De gratia*, p. 90.
(9) *De gratia*, p. 127.
(10) *De gratia divina*, q. I, p. 26.
(11) *Revue ecclésiastique de Liége*, t. VIII, (1912-1913) p. 237 ss.

inactivitatis ad activitatem reducantur. Proinde si nomine actualis gratiae intelligamus motionem hujusmodi per quam scilicet nihil prorsus additur ad præexistentes vires, sed solum fit ut, secundum eas quas praehabet supernaturales potentias, homo justus valeat operari, sic utique verum est nullum dari in eo salutarem actum sine gratia actuali. — Sed praeter illam motionem existit alia, toto genere diverso, qua Deus movet hominem specialiter ad determinata objecta vitae supernaturalis, qua scilicet Deus actuosa suggestione efficit ut aperiatur hominis intellectus et tangatur ejus cor ad bonum supernaturaliter agendum (1). De illo *auxilio* gratiae actualis hîc loquimur et idem est de quo egimus suprà, n. 279 ss.

Demonstratur (2).

Si requireretur gratia actualis proprie dicta, ad singulos actus salutares in homine justo, requireretur vel ob supernaturalitatem actus salutaris, vel ob applicationem potentiæ ad actum, vel ob infirmitatem naturæ, vel ex aliqua speciali lege Dei ; atqui ex nullo horum capitum demonstrari potest necessitas gratiæ actualis proprie dictæ ad singulos actus ; ergo hæc necessitas non est admittenda.

Major constat quia non alia necessitatis gratiæ ratio, præter indicatas, assignatur ab auctoribus nec assignari posse videtur.

Demonstratur minor. 1° Non requiritur ob *intrinsecam supernaturalitatem* actus : quia per virtutes infusas facultates hominis justi sunt elevatæ ad ordinem operationis supernaturalis integre spectatæ. Nam habetur per virtutes theologicas ordo ad finem supernaturalem, et per virtutes morales infusas ordo ad usum mediorum in finem supernaturalem ; ergo facultates justi sunt principia proxima elevata ad ordinem operationis supernaturalis.

2° Neque requiritur ob *excitationem* ad supernaturalem actum. Nam excitatio ad actum, seu applicatio ad actum, quæ requiritur in potentia creaturæ, nihil aliud est quam motio causæ primæ, quæ necessaria est causæ secundæ, ut de statu potentialitatis transeat ad actum. At causa prima, ut causa prima, ex æquo comparatur ad omne agens secundum, ut agens secundum : ergo sive ejusmodi agens sit in ordine mere naturali, sive in ordine supernaturali, æque applicatur a motione causæ primæ ad actum propriæ speciei, siquidem actus specificatur a causa proxima, non autem a motione primæ causæ.

Igitur intrinseca supernaturalitas actus non provenit ab ipsa applicatione, qua tali, sed provenit vel a virtute supernaturali

(1) Ita fere Card. BILLOT, *De gratia,* thes V, p. 111.
(2) Cf. PIGNATARO, *o. c.,* l. c.

fluente, vel ab habitu infuso. Ergo non requiritur applicatio supernaturalis ut ipsa entitas actus sit supernaturalis (1).

Hic occurrit aliqua difficultas ex S. Thomæ doctrina. Docet enim instinctus Spiritus Sancti ideo requiri quia homo non possidet *perfecte* formas illas quæ sunt virtutes per se infusas, et ab homine ideo non haberi perfecte virtutes per se infusas quia sunt *supernaturales :* unde objici posset requiri, secundum mentem S. Thomæ, instinctus Spiritus Sancti *ad singulos actus* qui in homine justo eliciuntur virtutibus per se infusis.

Hæc conclusio neganda videtur. Quod ut perspiciatur habendus est præ oculis textus S. Thomæ : « Ratio hominis est perfecta dupliciter a Deo : primo quidem, naturali perfectione, scilicet secundum lumen naturale rationis ; alio modo, quadam supernaturali perfectione, per virtutes theologicas... Et quamvis hæc secunda perfectio sit major quam prima, tamen prima perfectio perfectiori modo habetur ab homine quam secunda: nam prima habetur ab homine quasi plena possessio, secunda autem habetur quasi imperfecta; imperfecte enim diligimus et cognoscimus Deum. Manifestum est autem quod unumquodque quod perfecte habet naturam vel formam aliquam aut virtutem, potest per se secundum illam operari : non tamen exclusa operatione Dei, qui in omni natura et voluntate interius operatur. Sed id quod imperfecte habet naturam aliquam vel formam aut virtutem, non potest per se operari, nisi ab altero moveatur... Sic igitur quantum ad ea quæ subsunt humanæ rationi, in ordine scilicet ad finem connaturalem homini, homo potest operari per judicium rationis... Sed in ordine ad finem ultimum supernaturalem, ad quem ratio movet secundum quod est aliqualiter et imperfecte formata per virtutes theologicas, non sufficit ipsa motio rationis, nisi desuper adsit instinctus et motio Spiritus Sancti » (2).

Animadvertimus imprimis instinctum Spiritus non requiri secundum S. Thomam ea ratione qua requiritur operatio Dei qui in omni natura et voluntate interius operatur, sed alia ratione, quia scilicet virtus infusa, utpote supernaturalis, non perfecte possidetur ab homine.

Hæc porro imperfecta possessio non in hoc consistit, ut videtur, quod requiratur a parte Dei specialis applicatio vel excitatio ad singulos actus eliciendos, sed in hoc quod virtus infusa, quatenus est supernaturalis, non tribuit illam aptitudinem ad bene agendum et propensionem ad actus, quam tribuunt virtutes acquisitæ (v. suprà, n. 240) et proinde non tribuunt illam operandi facilitatem quam habet homo ex virtutibus quas sibi acquisivit repetitione actuum et quas plene possidet.

Igitur necessitas instinctuum Spiritus Sancti non fundatur in ontolo-

---

(1) Quod diximus de ipsa applicatione ad actum, dicendum videtur de influxu divino quo formaliter *esse* actionis influit. V. suprà n. 265. Hic influxus qui requiritur ad omnem creaturæ operationem, quia et quatenus est aliqua entitas, non videtur diversus secundum quod terminatur ad actum naturalem vel ad actum supernaturalem ; nam ratio necessitatis prædicti influxus est omnino eadem in omni actu ; deinde iterum ipsa operationis *supernaturalitas intrinsece* habetur, non per illum influxum generalem, sed per virtutem fluentem vel per habitum infusum. Influxus divinus, de quo loquimur, facit ut *sit* operatio, non ut sit *talis :* est *talis* h. e. specificatur, per dispositionem ipsius facultatis, in actu proximo, quæ proxime elicit ipsum actum. — Si quis teneret influxum divinum de quo agimus, esse diversum in operatione supernaturali ac in operatione naturali — quod non admittendum nobis videtur — non posset confundi ille influxus divinus cum speciali auxilio gratiæ nempe cum gratia excitante, de qua sola est sermo in propositione quam propugnamus. De eadem re infra loquemur in solutione difficultatis.

(2) 1-2, q. 68, a. 2.

gica incapacitate eliciendi actus cujuslibet virtutum infusarum, sed fundatur in defectu *aptitudinis, propensionis* et *facilitatis* ad agendum, qui defectus suppletur per instinctus Spiritus Sancti interdum concessos. Hoc confirmatur exemplo quod ipse S. Thomas l. c. affert : « Medicus etiam qui perfecte novit artem medicinalem potest per se operari ; sed discipulus ejus, qui nondum est plene instructus, non potest per se operari : nisi ab eo instruatur ». Non dicit S. Thomas discipulum medici non posse excercere ullum actum artis medicinalis absque nova et speciali instructione medici ; sed intendit discipulum, quia nondum sufficienter possidet hanc artem, adhuc indigere ut edoceatur a magistro; a pari homo qui nunquam perfecte possidet supernaturalem cognitionem sive speculativam (quam tradit fides supernaturalis) sive practicam (quam tradit prudentia infusa) indiget instinctibus Spiritus Sancti ut deducatur in finem ultimum supernaturalem (1).

3° Neque *semper* requiritur ob naturæ *imbecillitatem,* nam aliquando nulla occurrit saltem gravior difficultas. Sicut igitur homo peccator potest aliquando honeste agere sine speciali gratiæ auxilio, ut suprà, n. 60, dictum est, ita, imo a fortiori justus per habitus infusos poterit sine novo auxilio salutariter agere.

4° Tandem non probatur existentia legis divinæ specialis, quæ requirat *omnem* actum salutarem esse ex auxilio gratiæ *actualis.* Sane afferuntur Scripturæ testimonia, quæ dicunt nos sine auxilio Christi ejusque influxu *nihil posse* (2), sed illa testimonia non loquuntur exclusive de auxilio speciali de quo agimus : loquuntur de gratia generice spectata, quæ complectitur etiam gratiam habitualem et charitatem.

Non negamus hominem etiam justificatum indigere auxilio speciali gratiæ actualis ; sed negamus ipsum illo speciali auxilio indigere ad *singulos* actus salutares.

Objectiones.

339. Objectiones I) ex ratione theologica ;

A. EX RATIONE THEOLOGICA.

1. Ut homo justificatus salutariter agat, prærequiritur semper cogitatio de bono operando : atqui hæc cogitatio est gratia actualis ; ergo prærequiritur gratia actualis ad singulos actus salutares in homine justificato.

R. *Conc. Maj.*

Nego min. Nam hæc cogitatio potest esse aliquis actus naturalis, qui sit *occasio,* non proprie causa, actus salutaris. Ita, v. gr. supponamus hominem justificatum fecisse propositum adorandi interne Christum quoties videt ecclesiam : sola actio videndi ecclesiam et actus *memoriæ* consequens sufficiunt ut homo faciat actum adorationis. Non videtur requiri specialis instinctus Spiritus Sancti

(1) Cf. PÈGUES, *Comm. franç. littér. de la somme théologique,* t. VIII, p. 309-316, praesertim 313.
(2) Cf. *Joan.,* XV, 5.

ad hos actus. — Etiam homo justificatus, quando audit aliquem asserentem aliquam veritatem a Deo revelatam, vel quando illam veritatem legit in libro, statim potest elicere actum fidei supernaturalem. — Inde perspici videtur utilitas habituum *naturalium*, maxime autem prudentiæ, qui acquiruntur ex repetitione actuum supernaturalium (v. suprà, n. 241) : illi habitus facere possunt ut homo justificatus, statim ac faciliter discernat quid sit faciendum et eliciat actus *supernaturales*, posita externa occasione, quæ naturaliter ope memoriæ excitat cogitationem de actu supernaturali faciendo. — Nec negamus occasiones externas agendi salutariter tribuendas esse Providentiæ divinæ et dici posse beneficia ac auxilia Dei ; sed cavemus a confundendis rebus omnino diversis.

2. Habitus supernaturalis est aliquid potentiale quod indiget aliqua excitatione ut transeat ad actum ; atqui hæc excitatio debet esse in eodem ordine ac habitus ipse, proinde supernaturalis ; ergo quoties homo justus elicit actum supernaturalem ope virtutis infusæ toties indiget excitatione supernaturali ; ergo ad omnem actum salutarem indiget gratia actuali excitante.

R. 1. Dato et non concesso quod requiratur excitatio supernaturalis ad habitum supernaturalem, distinguo ultimum consequens : ergo ad omnem actum salutarem indiget homo præmotione physica supernaturali, *transeat ;* ergo ad omnem actum salutarem indiget homo gratia actuali excitante, proprie dicta, de qua loquimur in propositione, *nego*.

Et sane oportet accurate hæc duo distinguere ne sit æquivocatio magna in hoc nomine : *gratia actualis*. Loquimur in propositione de gratia actuali proprie dicta, nempe de illo auxilio speciali quod consistit in duplici motione instinctiva Spiritus Sancti, tum in intellectu, tum in voluntate, cujus motionis terminus est actus indeliberatus intellectus et actus indeliberatus voluntatis (v. suprà, n. 283). Talis motio est vere gratia actualis, est nempe *auxilium*, addens vires naturalibus viribus hominis, et revera *indebitum*. Sed præmotio physica seu formalis applicatio, quæ requireretur ad hoc ut habitus supernaturalis transiret in actum, non esset auxilium *novum* addens vires, sed esset aliqua entitas quæ exigeretur connaturaliter ad habitus infusos, sicut in ordine naturali requiritur præmotio physica (v. suprà, n. 269) ; quæ tamen nihil addit potentiæ operativæ in formali ratione virtutis operativæ : requiritur unice ut actus, aliunde factus necessarius, actu egrediatur e facultate. Ad rem Card. Billot: « Verumtamen etiam atque etiam considerandum est quod etsi prædictum motionis genus [h. e. motio quæ formaliter esset applicatio ad actum supernaturalem eliciendum per habitum supernaturalem] utpote infra fines ordinis supernaturalis inventum, pro gratiæ adjutorio habeatur, nulla tamen

ratione dici unquam poterit *speciale* actualis gratiæ auxilium. Comprehenditur enim, ut præmissum est, in ambitu motionum quibus Deus creaturas omnes, singulas pro gradu et ordine et conditione sua, ad proprios applicat actus, et ex consequenti non debet computari ut aliquid condivisum a dono gratiæ habitualis, sicut nec computatur correspondens motio naturalis ut donum speciale superadditum dono naturæ et propriarum facultatum ejus » (1).

2. Ut melius intelligatur responsio nostra, consideremus qua ratione tum Thomistæ, tum Molinistæ (qui et quatenus admittunt concursum *mere simultaneum*) conveniant in hac propositione : requiritur gratia actualis ad singulos actus salutares in homine justo ; licet conveniant quoad verba, dissentiunt omnino quoad rem.

Etenim ideo tenent Thomistæ requiri gratiam actualem ad singulos actus salutares in justo, quia tenent ad singulos actus salutares requiri *prædeterminationem physicam ad ipsam electionem salutarem :* hæc prædeterminatio est, secundum illos, entitas quæ efficit ut actus salutaris eliciatur ab habitu infuso, hæc est excitatio quam exigunt. Suprà, n. 275 et 315, rejecimus hanc sententiam et consequenter rejicimus hanc gratiæ actualis necessitatem quæ ex prædicta sententia requiritur.

Molinistæ nullo modo admittunt prædeterminationem physicam ad ipsam electionem salutarem, imo rejiciunt omnem præmotionem physicam ad actum (v. suprà, n. 275) ; attamen necessariam ducunt excitationem *habitus* supernaturalis ut eliciatur actus salutaris et hanc excitationem ponunt in ipsa gratia excitante, nempe in actu indeliberato tum intellectus, tum voluntatis. Hæc autem opinio non videtur nobis logice posse componi cum systemate prædictorum auctorum, et quidem duplici ex capite. Etenim a/ si Deus non agit *in ipsam potentiam operativam* creaturæ, aliis verbis, si Deus non præmovet ipsam facultatem ad actum, quomodo potest præmovere seu excitare *habitum* ad actum ? Habitus supernaturalis, de quo agimus, est accidens inhærens facultati, illamque intrinsece et habitualiter inclinans ad aliquam speciem actuum moralium ; sed habitus non est facultas operativa, nec ipsa proprie elicit actum ; tantum elevat facultatem elicientem actum, ita ut nisi Deus præmoveat ipsam facultatem ad suam *operationem,* non potest *habitum* excitare ad actum (2). b/ Sed prædicti auctores censent illam habitus supernaturalis excitationem, quam exigunt, consistere in ipso actu indeliberato intellectus et voluntatis. Sed iterum hoc assertum non importat conclusionem quam statuere volunt. Etenim prædicti actus (qui, secundum sententiam S.

(1) *De gratia,* p. 112.
(2) V. suprà, n. 240.

Thomæ, eliciuntur *donis Spiritus Sancti,* non habitibus infusis (1) ut suprà, n. 251-254, exposuimus) movent *intentionaliter* (v. suprà, n. 285) ad consensum, sed non *physice determinant* consensum et consequenter non physice excitant ipsum habitum ad actum consensus, eo vel magis quod dissensus potest sequi loco consensus. Igitur excitatio, quæ propria est gratiæ excitanti proprie dictæ, est prævia actui consensus et est in alio ordine, nec afficit ipsum habitum supernaturalem, in sua physica entitate, prout consideratur ut realiter distinctus a voluntate. Quando vero homo, excitatus intentionaliter a gratia excitante, *consentit,* hic consensus elicitur a voluntate quæ est intrinsece elevata, in ordine ad talem actum eliciendum, per habitum infusam correspondentem : et ideo actus a tali voluntate elicitus est intrinsece supernaturalis : nulla ut videtur *specialis excitatio* requiritur ad *habitum* ipsum, ut suum exerceat influxum : ille influxus connaturaliter habetur ex ipsa præsentia habitus in voluntate.

3. Tandem respondemus objectioni directe :

Dist. Maj. Habitus... indiget excitatione distincta ab excitatione quæ requiritur ad actum, *nego ;* eadem excitatione, *transeat ;*

Nego min.

Explico. Difficultas tota nititur, ut videtur, in confusione qua habitus infusus assimilatur facultati operativæ (2) ; hæc autem duo essentialiter differunt : facultas enim operativæ est potentia essentialiter ordinata ad *operationem eliciendam ;* habitus vero operativus est qualitas, subjectata in facultate operativa et disponens hanc ad *bene* vel *male* operandum ; in casu nostro, habitus est qualitas per se infusa, intrinsece elevans facultatem ad actus *intrinsece supernaturales* eliciendos (3); non igitur habitus et facultas sunt duæ potentiæ operativæ, quæ singulae indigent moveri ad operationem ; sed omnis motio quæ prærequiritur ad operationem est ponenda *in ipsa facultate,* non in habitu.

Ideo negamus *minorem,* qua asseritur requiri excitationem habitus quæ sit in eodem ordine cum ipso habitu : hoc jam non

---

(1) Suprà n. 280, p. 262, dictum est : « In homine justificato, secundum plures theologos, actus indeliberati eliciuntur ab ipsis donis Spiritus Sancti vel a virtutibus infusis » : hoc ultimum dicebatur propter theologos qui non admittunt realem distinctionem inter dona Spiritus Sancti et virtutes infusas. Tenemus autem in homine justificato actus indeliberatos elici sub instinctu divino a donis Spiritus Sancti.

(2) Quando habitus per se infusi considerantur in ordine ad gratiam sanctificantem, dicuntur se habere ad gratiam sanctificantem, sicut potentiæ operativæ ad animam humanam : hæc comparatio bona est hoc sensu quod gratia sanctificans est principium remotum actionum supernaturalium et habitus infusi sunt principia proxima eorum, quemadmodum anima humana est principium remotum, et facultates operativæ sunt principia proxima operationum humanarum. Sed hæc comparatio nequit ita urgeri ut consideretur tanquam *ejusdem essentiæ tum* anima et gratia sanctificans, tum habitus infusi et potentiæ operativæ. V. suprà, n. 119, 240.

(3) Cf. Card. BILLOT, *De virtutibus infusis,* p. 35.

sequitur, si non requiritur excitatio ad habitum, qua talem. Tota quæstio est de præmotione ad *actum*. Confirmatur sententia ex doctrina circa *meritum*, v. infrà, n. 380.

B. *Ex assertis Patrum et Conciliorum.*

340. 2) ex assertis Patrum et conciliorum.

1. S. Augustinus dicit : « Sicut oculus corporis etiam plenissime sanus, nisi candore lucis adjutus, non potest cernere ; sic homo etiam plenissime justificatus, nisi æterna luce justitiæ divinitus adjuvetur, recte non potest vivere » (1).

R. Ex his verbis nequit deduci necessitas gratiæ *actualis* ad *singulos actus salutares* in justo : nam S. Augustinus l. c. loquitur directe de necessitate gratiæ *ad vitanda peccata*, ut ex contextu patet : « Ipse autem Deus, cum per mediatorem Dei et hominem Jesum Christum, spiritualiter sanat ægrum vel vivificat mortuum, id est, justificat impium, et eum ad perfectam sanitatem, hoc est ad perfectam vitam justitiamque perduxerit, non deserit nisi deseratur, ut pie semper justeque vivatur. Sicut enim oculus... (v. suprà). Sanat ergo Deus, non solum ut deleat quod peccavimus sed ut præstet etiam ne peccemus «. Docet igitur S. Augustinus hominem etiam justificatum indigere auxilio Dei ut perseverare possit in justitia, ut non peccet, sed non docet ad singulos actus salutares requiri novam gratiam actualem. Ad metaphoram quod attinet de candore lucis, non necessario restringitur ad gratiam *actualem* prout hæc opponitur gratiæ habituali, sed potius videtur significare influxum continuatum ab externo requisitum, non aliquod speciale ac novum auxilium ad singulos actus visionis ; ita etiam admittimus influxum quemdam a Dei providentia homini justificato concessum ut possit non peccare, quin ille influxus importet novam gratiam excitantem ad singulos actus salutares.

2. Zozimus Papa dicit : « Quod ergo tempus intervenit, quo ejus non egeamus auxilio ? In omnibus igitur actibus, causis, cogitationibus, motibus adjutor et protector orandus est. Superbum est enim, ut quidquam sibi humana natura præsumat, clamante, Apostolo : *Non est nobis colluctatio adversus carnem...* (*Ephes.*, VI, 12) » (2).

R. Zozimus docet nos indigere continuo auxilio Dei, non determinans naturam hujus auxilii : quam assertionem omnino admittimus. Imo concedimus à Zozimo doceri nos egere auxilio *gratiæ*, *generice* sumptæ, ad omnes actus salutares : sed non dicit Summus Pontifex hominem justificatum indigere nova gratia actuali, proprie dicta, ad singulos actus salutares.

3. Cœlestinus I dicit : « Quod ita Deus in cordibus hominum atque in ipso libero operetur arbitrio, ut sancta cogitatio, pium

(1) *De natura et gratia*, c. 26, n. 29.
(2) *Enchir.*, n. 135.

consilium omnisque motus voluntatis ex Deo sit, quia per illum aliquid boni possumus, sine quo nihil possumus » (1).

R. Iterum hîc docetur necessitas gratiæ, generice sumptæ, ad singulos actus salutares ; non vero necessitas auxilii actualis, proprie dicti, in homine justificato (2). In similibus documentis ab Ecclesia catholica contra Pelagianos et Semi-pelagianos docetur necessitas alicujus auxilii interni ad omnes actus salutares, etiam inculcatur omne bonum opus esse ultimatim Deo providenti attribuendum, non vero solis viribus naturalibus liberi arbitrii : sed non distincte fit sermo de essentia auxilii quod ad singulos actus salutares prærequiritur. V. suprà, n. 43.

4. In concilio Arausicano II declaratur : « Adjutorium Dei etiam renatis ac sanctis semper est implorandum, ut ad finem bonum pervenire vel in bono possint opere perdurare » (3).

R. In hoc canone nihil aliud docetur quam necessitas gratiæ ut justi possint perseverare, v. suprà, n. 331, nec sermo est de necessitate auxilii actualis ad singulos actus salutares justorum.

5. Concilium Tridentinum : « Christus Jesus, tamquam caput in membra et tamquam vitis in palmites in ipsos justificatos jugiter virtutem influit, quæ virtus bona eorum opera semper antecedit et comitatur et subsequitur et sine qua nullo pacto Deo grata et meritoria esse possent » (4).

R. Concilium hîc docet, ut ex contextu patet, homines justificatos, præcise quia sub influxu Christi opera sua bona faciunt, plene satisfacere legi divinæ et vere mereri vitam æternam. Affirmatur Christi influxus in omnibus actibus salutaribus justorum; ille vero influxus, ut ex comparatione elucet, videtur intelligendus de *gratia habituali,* nempe de principio habituali vitæ supernaturalis a quo derivantur actus salutares, sicut ab influxu habituali vitis in palmites procedunt fructus vitis ; qui influxus habitualis etiam antecedit, comitatur et subsequitur omnia opera meritoria. Si quis censeat hîc potius agi de gratia generice sumpta, non contradicam; sed in hac hypothesi sequitur non posse in testimonio citato inveniri assertionem quod auxilium gratiæ actualis, proprie dictæ, prærequiratur ad omnes actus salutares justorum.

6. Preces liturgicae, ut videtur, inculcant necessitatem gratiae actualis ad singulos actus salutares justorum : v. gr. « Actiones nostras... aspirando praeveni et adjuvando prosequere, ut cuncta

---

(1) *Enchir.*, n. 135.

(2) Eadem est responsio ad can. 9 concilii Arausicani II ; « Divini est muneris cum et recte cogitamus et pedes nostros a falsitate et injustitia continemus ; quoties enim bona agimus, Deus in nobis atque nobiscum, ut operemur, operatur ». *Enchir.*, n. 182.

(3) *Enchir.*, n. 183.

(4) Sess. VI, c. 16. *Enchir.*, n. 809.

nostra oratio et operatio a Te semper incipiat et per Te cæpta finiatur (V. suprà, n. 49) » — « Deus... vota nostra, quae praeveniendo aspiras, etiam adjuvando prosequere » (Or. Dom. Resurrectionis).

R. a) Etiamsi Ecclesia explicite postularet auxilium gratiæ actualis, proprie dictum, ad singulas actiones salutares non sequeretur *necessarium* esse illud auxilium ad singulos actus : licet non requiratur, potest tamen peti ad majus bonum.

b) In illis precibus videtur orare Ecclesia ut omnis fidelium operatio sit bona et salutaris, adeoque fiat tota sub influxu Dei ; sed non docet Ecclesia in quo consistat ille influxus.

341. *Hominem justificatum non posse per totam vitam vitare omnia peccata venialia explicatur.*

PROPOSITIO QUARTA. *Homo, etiam justificatus, non potest per totam vitam omnia peccata venialia vitare, absque privilegio speciali* (1).

Hæc propositio est de fide saltem ecclesiastica et fuit definita in concilio Tridentino : « Si quis dixerit hominem semel justificatum posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de beata Virgine tenet Ecclesia : A. S. » (2).

Explicatur.

Docetur hîc impossibilitas vitandi omnia peccata venialia. Cunctis autem theologis consentientibus hæc impossibilitas non physica est sed *moralis,* proveniens ex maximis difficultatibus, quas nemo absque speciali privilegio superat : impossibilitas respiciens omnem hominem in statu naturæ lapsæ etiam justum et sanctum.

Est autem impossibile vitare peccata venialia : a) omnia, etiam *subrepticia,* quae scil. committuntur absque perfecta deliberatione ; nam ad vitandum omnia venialia plene deliberata uberrima quidem requiritur gratiarum copia, sed non privilegium, de quo hic agimus ; b) *Collective* sumpta, singula enim distributive sumpta absque privilegio vitari possunt ; c) *per totam vitam,* quæ supponitur satis longa, aut (quod, licet definitum non sit, spectata prædictæ impossibilitatis causa omnino admittendum est) per tempus moraliter diuturnum.

Dicitur demum ad omnia venialia constanter vitandum requiri *speciale privilegium,* i. e. donum tam excellens, ut secundum communem legem distributionis gratiarum non concedatur, quod proinde plane extraordinarium est. Colliges autem ex prædictis, privilegium istud habere rationem specialissimi auxilii medicinalis.

---

(1) Hujus propositionis explicationem ac demonstrationem desuminus præcipue a VAN NOORT, *De gratia,* n. 47-52.

(2) *Enchir.,* n. 833.

342. demonstratur: 1) ex S. Scriptura.

Demonstratur.

A. EX. S. SCRIPTURA.

1. Omnes homines absolute dicuntur sæpius peccare : « In multis enim offendimus omnes » (1). « Ratiocinium S. Jacobi hoc est : si tam facile cadimus in peccata, imprudenter agit qui magisterium indebite sibi arrogat, quum peccata in doctore gravius puniantur. Ex hoc v. sequens conclusio theologica eruitur : homo, etiam justus ordinario gratiæ auxilio instructus non potest, impotentia morali vitare per longum tempus omnia venialia semi-deliberata. Illa impotentia moralis est indeterminata, sc. homo habet potentiam moralem ad vitanda omnia distributive, non autem ad vitanda omnia collective » (2).

2. Omnes etiam sanctissimi, ab ipso Christo jubentur orare : « Dimitte nobis debita nostra ». Inde iterum concluditur homines etiam justos, laborare impotentia morali ad vitanda per longum tempus omnia peccata venialia. — Simul patet perfectissimam illam gratiam ad omne prorsus peccatum vitandum, quam B. Virgini collatam fuisse Ecclesia tenet, verum esse *privilegium*, exceptionem scilicet a lege et quidem exceptionem rarissimam.

343. 2) ex Traditione,

B. EX TRADITIONE.

S. Cyprianus citatis quibusdam Scripturæ eloquiis, ita concludit : « Si autem nemo esse sine peccato potest, et quisquis inculpatum se esse dixerit, aut superbus aut stultus est, quam necessaria, quam benigna est divina clementia, quæ, cum sciat non deesse sanatis quædam postmodum vulnera, dedit curandis denuo sanandisque vulneribus remedia salutaria » (3). *S. Augustinus* dicit, totam ecclesiam exhorrere pelagianos, « quia contendunt esse in hac vita vel fuisse justos nullum habentes omnino peccatum, qua præsumptione apertissime orationi dominicæ contradicunt, in omnia membra Christi : Dimitte nobis debita nostra veraci corde et quotidianis vocibus clamant » (4).

Jam antequam hæc scripsisset Augustinus, *concilium Milevitanum* II (an. 416) errorem Pelagii damnaverat can. 7: » Item placuit ut quicumque dixerit, in oratione dominica ideo dicere sanctos : *Dimitte nobis debita nostra,* ut non pro seipsis hoc dicant, quia non est eis jam necessaria ista petitio, sed pro aliis qui sunt in suo populo peccatores, et ideo non dicere unumquemque sanctorum : dimitte *mihi* debita mea, sed dimitte *nobis* debita nostra ;

---

(1) *Jac.*, III, 2.

(2) VAN STEENKISTE-CAMERLYNCK, *Commentarius in epistolas catholicas*, in h. 1. (p. 54).

(3) *De opere et eleemosynis*, n. 2.

(4) *Contra duas epistolas Pelagianorum*, L. IV, c. 10, n. 27. Cf. *De peccatorum meritis et remissione*, L. II, c. 13, n. 18.

ut hoc pro aliis potius, quam pro se justus petere intelligatur : A. S. Sanctus enim et justus erat Apostolus Jacobus, cum dicebat : *In multis enim offendimus omnes.* Nam quare additum est *omnes,* nisi ut ista sententia conveniret et Psalmo, ubi legitur : *Ne intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.*

Et can. 8. Item placuit ut quicumque ipsa verba dominicæ orationis, ubi dicimus : *dimitte nobis debita nostra,* ita volunt a sanctis dici, ut humiliter, non veraciter hoc dicatur, A. S. » (1).

S. Leo M. (Summus Pontifex an. 440-461) dicit : « In quibus [mandatis] exsequendis quia humana fragilitas plerumque lacessit et in multis per lubricum suæ infirmitatis offendit, misericors et pius Dominus remedia et adjutoria dedit per quæ veniam obtinere possimus... Nec facile cuiquam provenit tam incruenta victoria, ut inter multos frequentesque conflictus, etiamsi sit liber a morte, sit quoque immunis a vulnere » (2).

C. RATIONE *confirmatur.*

344. 3) ex ratione confirmatur.

Dogma nostrum non quidem probatur ratione sed valide suadetur : quum in omnibus, etiam justissimis, maneat prava concupiscentia, nemo liber est a repentinis motibus inordinatis. Ut igitur homo omne prorsus peccatum vitaret, deberet quoscumque motus insurgentes semper perfectissime reprimere ; sed ad hoc requiritur tanta vigilantia, tam perfecta et infatigabilis promptitudo, qualis teste experientia etiam sanctis hominibus moraliter impossibilis est. Hinc S. Thomas :

« Secundum statum quidem naturæ integræ, etiam sine gratia habituali poterat homo non peccare nec mortaliter nec venialiter... In statu autem naturæ corruptæ, indiget homo gratia habituali sanante naturam ad hoc quod omnino a peccato abstineat. Quæ quidem sanatio primo fit in præsenti vita secundum mentem, appetitu carnali nondum totaliter reparato... In quo quidem statu potest homo abstinere a peccato mortali, ut suprà [q. 74, a. 4] habitum est.

« Non autem potest homo abstinere ab omni peccato veniali propter corruptionem inferioris appetitus sensualitatis, cujus motus singulos quidem ratio reprimere potest, et ex hoc habent rationem peccati et voluntarii, non autem omnes, quia dum uni resistere nititur, fortassis alius insurgit, et etiam quia ratio non semper potest esse pervigil ad hujusmodi motus vitandos » (3).

---

(1) *Enchir.,* n. 107, 108.
(2) *Sermo 15,* c. 1 (Migne, t. 54, 174) : cit. a PESCH, *o. c.,* t. V, n. 179. V. *ibid.* alia testimonia.
(3) 1-2, q. 109, a. 8.

345. Nota: 1) de indole impotentiæ moralis vitandi peccata venialia.

Nota. 1. Moralis necessitas aliquando venialiter peccandi quum nullum actum determinate respiciat,sed solum aliquos actus indeterminate, non repugnat libertati indifferentiæ quæ supponitur in peccato etiam veniali. V. quæ suprà, n. 78 exposuimus. — « Nec mirum videri debet quod singula venialia seorsim sumpta vitare moraliter possimus, et non omnia simul : nam quo plura successive vitanda sunt eo major fit ea vitandi difficultas. Res illustrari potest exemplo correctoris, cui morali necessitate quædam menda ex semiplena advertentia effugiunt aut famulæ, quæ interdum defectu majoris vigilantiæ aliquod vas frangit, de quibus tamen nemo dicet eos non potuisse, etiam moraliter, hoc præcise mendum corrigere aut illi in specie vasculo diligentius attendere » (1).

2) de natura privilegii vitandi omnia venialia peccata.

2. Necessitas moralis aliquando peccandi venialiter provenit ex concupiscentia (v. suprà, n. 343); proinde privilegium vitandi omnia peccata etiam venialia obtinebitur vel per immunitatem a concupiscentia, vel per continuam seriem gratiarum actualium efficacium. De facto B. Maria quæ fuit immunis a peccato originali etiam fuit immunis a concupiscentia et consequenter privilegium vitandi peccata venialia videtur obtineri in ipsa per prædictam immunitatem. Igitur privilegium de quo loquimur *de facto* connectitur cum privilegio immaculatæ conceptionis. Attamen ipsa immaculata conceptio, *per se* spectata, nec physice, nec exigitive, *impeccabilem* reddit (2).

346. Finalis perseverantia est singulare Dei beneficium.

PROPOSITIO QUINTA. *Finalis perseverantia actu habita est magnum donum Dei et singulare beneficium.*

Demonstratur.

a/ Finalis perseverantia actu habita importat primo **opportunitatem mortis**, qua scilicet mors advenit tempore quo homo est in statu gratiæ sanctificantis. Atqui hæc opportunitas mortis dependet unice ab ipso Deo libere eligente talem rerum ordinem præ aliis possibilibus. Ergo perseverantia finalis quatenus importat opportunitatem mortis dependet unice ab ipsa Dei libera electione. Hæc porro libera Dei electio tanquam finem habet æternam beatitudinem electorum, ut demonstratur ubi agitur de prædestinatione.

Ergo finalis perseverantia alicujus hominis est specialis omnino benevolentiæ Dei effectus et cuilibet homini gratuitus.

b/ Finalis perseverantia, in homine qui ad plenam rationis usum pervenit, importat deinde **gratiam efficacem præ sufficiente**. Jamvero justus ex ipsa justificatione non habet jus ad gratiam *efficacem,* qua talem. Sane ex ipsa voluntate antecedente qua vult Deus omnes homines salvos fieri, gratiæ necessariæ et sufficientes conceduntur justo cuilibet, ita ut vere possit perseverare. Sed ulterius non exigit status justificationis ut Deus concedat præcise talem gratiam, quacum prævidet fore ut cooperaturus sit homo, quum ille non sit cooperaturus cum alia gratia vere sufficienti. Iterum si Deus concedit gratiam efficacem, hoc est ex speciali Dei benevolentia, et gratia efficax est etiam justo multo majus benefi-

(1) Van Noort, *o. c.*, n. 51.
(2) Cf. *Collat. Brug.*, t. VII, p. 160.

cium, quam gratia mere sufficiens. V. suprà, n. 324. A fortiori est majus omnino beneficium gratia efficax quæ conjungitur cum opportunitate mortis. Ergo etiam sub hoc respectu perseverantia finalis est effectus benevolentiæ specialis Dei et justo prorsus gratuitus.

Conclusio. Donum finalis perseverantiae quoad adultos non est una simplex gratia, nec aliqua entitas (sive habitus sive motio) specie diversa ab aliis gratiæ donis, sed est complexus plurium gratiarum internarum et bonorum externorum, inter quæ postrema est potissima mors, decreta pro eo instanti quo homo justitiam possidet.

Objectio. Si finalis perseverantia actu habita est singulare donum Dei quod non potest merito obtineri, inutilis est hominis sollicitudo ad virtutem acquirendam ; atqui perseverantia finalis actu habita est tale donum ; ergo. *347. Objectio.*

R. *Dist. antec.* Si hæc perseverantia est tale donum a libera hominis cooperatione omnino independens, *transeat* (1) ; si hæc perseverantia est dependens a libera hominis cooperatione, *nego*.

Contradist. min.

Explico.

« Perseverantia, quatenus *activa* est, cooperationem nostri liberi arbitrii omnino includit, quum in continuo vigilantiæ, orationis, pugnæ et bonorum operum exercitio consistat. Hæc omnia quidem gratia Dei præveniente et adjuvante fiunt, sed sine propria sollicita cooperatione fieri nequeunt. Unde toties ad perseverandum Scripturæ et Patres nos monent, ac fideles sine intermissione hortandi sunt, ut persistant in bono ac perseverent. Etenim, sicuti S. Bernardus verbis poëtæ ad Innocentium II scribit :

« Non bene qui cœpit, sed qui bene perstitit et qui pertigit ad metam, donatur honore coronæ » (2).

» Si vero in perseverantia ea spectas, quæ unice a Deo dependent, gratias videlicet efficaces et mortis opportunitatem, certum quidem est, *de condigno* hominem magnum perseverantiæ donum mereri non posse. Sed potest tamen justus illud emereri impetratione orationis, sicuti ait S. Augustinus : *Hoc ergo donum suppliciter emereri potest* (3). Suppliciter igitur ac sine intermissione oremus, ad donum illud perseverantiæ obtinendum, sicuti nos hortatur Dominus dicens : « Vigilate et orate, ut non intretis in ten-

---

(1) Dico *transeat* et non *concedo :* quia etiam in illa hypothesi remaneret verum quod omnis sollicitudo hominis ad virtutem acquirendam esset bona, saltem quatenus removet malum.

(2) *Epist. I ad Innoc. II.*

(3) *De dono Perseverantiæ,* c. 6. n. 10.

tationem » (1) ; « Petite et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum » (2). Firmiter enim confidere possumus, Deum bonum ac misericordem perseverantiam orantibus esse daturum » (3).

348. De cognoscibilitate finalis perseverantiæ.

Nota. De finalis perseverantiæ cognoscibilitate declaravit concilium Tridentinum : « Si quis magnum illud usque in finem perseverantiæ donum se certe habiturum absoluta et infallibili certitudine dixerit, nisi hoc ex speciali revelatione didicerit: A. S. » (4).

Theologi indicant quædam *signa prædestinationis,* quæ etiam sunt finalis perseverantiæ signa, ex quibus potest homo conjecturalem et *probabilem,* non certam (5), cognitionem habere de sua finali perseverantia. « Inter quæ signa præcipua enumerantur hæc : studium constans puritatis conscientiæ, affectus ad orationem, conformitas cum voluntate divina in rebus adversis, misericordia in pauperes, devotio erga B. Virginem, amor sponsæ Christi, quæ est Ecclesia » (6).

Non raro dicitur : « qualis vita, mors ita ». Verum est adagium quatenus significat homines qui bene vixerunt, qui habitualiter in statu gratiæ sunt, etiam sancte esse morituros : vita enim est aliqua via ad terminum. Attamen sæpissime Deus ex magna misericordia concedit ut homines qui per majus vitæ suæ spatium in statu peccati mortalis degerunt, convertantur sincere in periculo mortis (7): hoc plerumque evenit hominibus qui servaverunt *fidem,* in qui aliunde occasionem habent recipiendi sacramenta. Hoc experientia constat et sic confirmatur quod docuit concilium Tridentinum : « Fides est humanæ salutis initium, fundamentum et radix totius justificationis » (8). Inde concludimus quanti sit momenti ut homines fidem catholicam retineant, proindeque quantum sit delictum illorum qui, sive docti sive indocti, allaborant ad fidem in animabus evertendam, ac quantum sit sacerdotibus officium docendi populum veritates revelatas, tuendique principia fundamentalia in quibus nititur fides (9).

---

(1) *Matth.*, XXVI, 4.
(2) *Jo.*, XVI, 24.
(3) JUNGMANN, *De gratia,* n. 90.
(4) *Enchir.*, n. 826.
(5) Inde differentia notanda inter cognoscibilitatem finalis perseverantiæ, et cognoscibilitatem status justificationis ; qua de re v. suprà, n. 199.
(6) EINIG, *De Deo uno et trino,* p. 116.
(7) Caveamus igitur ne adagium prædictum proponamus tamquam reguiam generalem et memores simus quod *Deus omnipotentiam suam parcendo maxime et miserando manifestat.* Cf. *Orat. Dom X post Pentec.*
(8) Sess. VI, c. 8. *Enchir.,* n. 801.
(9) Non semel asseruit *Leo XIII* mala moralia in individuis, perturbationesque in societatibus, nostra ætate, habere originem in falsis doctrinis ubique sparsis e quibus factum est ut fides apud multos defervuerit vel extincta fuerit : cf. encyclica «Æterni Patris » (1879) in *Acta Leonis XIII,* Brugis, Desclée, T. 1, p. 89 ; encyclica « Exeunte jam anno », 1888, *ibid.*, t. III, p. 198-199 ; allocutio « Multi e segnalati » (1898), *ibid.*, t. V. p. 228 — Eadem intuens PIUS X, gravissimum urget officium, quod animarum pastoribus incumbit, instruendi populum in doctrina sacra : cf. encyclica « Acerbo nimis » (1905), in *Collat. Brug.*, t. X, p. 337 ss. Monitis Summi Pontificis apprime concordant instructiones ILLmi AC REVmi WAFFELAERT : cf. allocutiones synodales, notatim a. 1897. (*Collat. Brug.*, t. II, p. 425) ; a. 1903 (*ibid.*, t. VIII, p. 414). Cf. MAHIEU, *Probatio charitatis,* p. 577 ss.

PRACTICUM SCHOLION.

349. Ex gratiæ donis collatis elucet Dei beneficentia ac hominis justificati dignitas **cui respondeat** *gratitudo, spiritus orationis, generositas.*

1. Deus quum elevaverit humanum genus ad beatitudinem omnino supernaturalem (quæ consistit in operatione intellectus quæ, *quoad ipsam substantiam actus* est supernaturalis) voluit ut homo conscius de hoc fine ad illum tenderet modo proportionato huic : inde Deus *revelavit* destinationem hominis aliasque veritates, necnon curavit ut per Ecclesiam conservaretur incorruptum credendarum veritatum depositum ac diffunderetur ; sed præter illa beneficia homini externa, voluit Deus *interna* addere dona, nova scilicet operandi principia, et quidem tum *habitualia* quibus homo et in essentia animæ (v. suprà, n. 120) et in intellectu ac voluntate, intrinsece elevatur ad eliciendos actus entitative supernaturales (v. suprà n. 226 ss.), tum *transeuntia* quibus homo simul elevatur ac impellitur ad bonum salutare eligendum (v. suprà, n. 255 ss.).

Ex illa intima ac prorsus indebita homini communicatione naturæ divinæ, necnon divinæ cognitionis ac amoris, splendide elucet tum Dei beneficentia ineffabilis tum hominis justificati dignitas ; cui respondeat, a parte nostra, profunda gratitudo, spiritus orationis, ac generositas in cooperando gratiæ.

« Agamus ergo dilectissimi, inquit S. Leo M., gratias Deo Patri per Filium ejus in Spiritu Sancto : qui propter multam caritatem qua dilexit nos misertus est nostri, et dum essemus mortui peccatis convivificavit nos Christo, ut essemus in ipso nova creatura novumque figmentum. Deponamus ergo veterem hominem cum actibus suis, et adepti participationem generationis Christi, carnis renuntiemus operibus. Agnosce, o Christiane, dignitatem tuam : et divinæ consors factus naturæ. noli in veterem vilitatem degeneri conversatione redire. Memento, cujus corporis et cujus capitis sis membrum (1). Reminiscere, quia erutus de potestate tenebrarum, translatus es in Dei lumen et regnum » (2).

« Unde vides quam celsum est ac sublime quod divina gratia efficimus, quantopere ad cooperandum divinæ gratiæ quamque efficaciter id nos excitare debet. Oremus quotidie, nos saltem sacerdotes, Spiritum Sanctum, gratiarum distributorem munificum, omnisque sanctitatis auctorem, ut animus noster, non tantum ab omni peccati labe sit purgatus et immunis, sed et ab omni affectu mere humano sit vacuus, ita ut nullus sit actus noster deliberatus nisi operante ac cooperante divina gratia supernaturali, sitque mens nostra atque voluntas instrumentum Deo continuo conjunctum intime et aptissime ad nostram propriam aliorumque sanctificationem ac salutem » (3).

« Sancta igitur sit apud omnes consuetudo precandi : mens, animus, vox precentur ; unaque simul ratio vivendi consentiat ut videlicet per legum divinarum custodiam perennis ad Deum ascensus vita nostra videatur » (4).

---

(1) Omnis influxus gratiæ nobis profluit a Christo tamquam a capite : cf. *Collat. Brug.*, t. XIV, p. 225 ss.

(2) S. LEO, *Serm. 1 in Nativitate Domini*, in fine.

(3) ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, *Meditationes theologicæ in Collat. Brug.*, t. VII, p. 501.

(4) LEO XIII, encyclica « Exeunte jam anno ». *Acta Leonis XIII*, t. III, p. 198.

350. Simul cum interno gratiæ influxu requiritur externum Ecclesiæ regimen.

2. Internus Dei influxus per gratiam iis qui christianæ perfectioni operam dant, nec superfluum nec minus utile esse facit externum Ecclesiæ magisterium (1), et externum animarum regimen, quoad omnes animas sive collective in societate sive singillatim spectatas ; Deus enim vult ut homines per magisterium Ecclesiæ addiscant veritates credendas et in horum perfectiori cognitione dirigantur ; etiam ut ab illis, qui jurisdictionis potestate donati sunt, regantur per leges et consilia in exercitio virtutum ; etiam ut singulæ animæ a proprio conscientiæ directore edoceantur de via sequenda (2). Etenim « Spiritus Sancti admonitiones et impulsiones plerumque, non sine quodam externi magisterii adjumento ac veluti comparatione, persentiuntur... Accedit præterea quod qui perfectiora sectantur, hoc ipso quod ineunt intentatam plerisque viam, sunt magis errori obnoxii, ideoque magis quam ceteri doctore ac duce indigent (3).

351. Gratia non destruit naturam.

3. Gratia *non destruit* naturam sed illam *perficit :* imprimis non destruit facultates operandi naturales, sed intrinsece elevat illas in quibus residet, et est principium, simul cum gratiis actualibus, perfecti, in ordine morali, exercitii omnium facultatum naturalium : nulla enim est vera perfectio moralis ad quam, pro variis adjunctis personarum et temporum, non moveat gratia ; præterea nulla est qualitas naturaliter acquisita, sive ars sit, sive scientia, quæ non possit inservire excercitio virtutum supernaturalium (4), nec ulla est inclinatio naturalis determinata ad quam non ordinatur aliqua virtus specialis supernaturalis (5) ; tandem, licet gratia gratum faciens, h. e. gratia sanctificans et dona ei annexa, per se non destruat, nec imminuat concupiscentiam, tamen exigit gratias ac-

---

(1) Cf. LEO XIII, *Litteræ apostolicæ de Americanismo,* in *Collat. Brug.*, t. IV, p. 197. Ad magisterium externum, propter intimam ac necessariam cum ipso connexionem, reduci potest theologia universim sumpta, cujus studium et cognitio acquisita est occasio exercendarum supernaturalium virtutum. Cf. MAHIEU, *o. c.*, p. 45, 257, 446; et *Collat. Brug.*, t. XIV, p. 524 ; DE POULPIQUET. *Le dogme principe d'unité dans l'Eglise et de vie religieuse individuelle,* in *Revue du clergé français,* 1910, t. 63, p. 143 ss. — Ut sacerdos ad captum populi doctrinam de supernaturali justificatione et de variis gratiæ donis exponat, utiliter leget : LAMBRECHT, *Verklaring van den Mechelschen Catechismus,* Gent, 1882, 2de d., bl. 796 ; DE WEERDT, *Onderwijzingen over de christelijke leering.* Mechelen, 1905. 1ste d., 208 ; TERRIEN, *La grâce et la gloire ;* SCHEEBEN, *De heerlijkheden der goddelijke genade,* in 't vlaamsch vertaald door eenen priester uit het bisdom Brugge. Rousselare, 1897 ; MAHIEU, *Het brood des levens,* 4de uitgave, Brugge, 1921, bl. 1-34 ; ID., *Le pain de vie,* Bruges, 1908, p. 9-51 ; JANVIER, *La grâce* (Conférences de Notre-Dame de Paris. Carême 1910).

(2) Cf. S. FRANÇOIS DE SALES, *Introduction à la vie dévote,* 1e p. ch. 4 (Œuvres, t. III, p. 22).

(3) LEO *XIII, o. c.,* in *Collat. Brug.*, t. IV, p. 197 s.

(4) Damnata est hæc Michaëlis de Molinos propositio : « Activitas naturalis est gratiæ inimica, impeditque Dei operationes et veram perfectionem ; quia Deus operari vult in nobis sine nobis ». *Enchir.*, n. 1224. Cognitio quæ vocatur *psychologia Sanctorum,* tamquam proprium objectum habet influxum *gratiæ* in facultatibus et operationibus Sancti. Cf. *Collat. Brug.*, t. XI, p. 669-670. In præsenti Providentiæ ordine non datur sanctitas, proprie dicta, nisi per gratiam.

(5) Cf. S. THOMAS, II-II, Q. CVIII, a. 2.

tuales, quibus adjuvatur homo ad vincendam concupiscentiam, et consequenter removet plus vel minus id quod impedit naturalem ordinem in exercitio virium naturæ nec non rectam earum evolutionem et incrementum : ita ut, indirecte perficiatur natura *in suo ordine* per gratiam gratum facientem, directe autem et formaliter elevetur ad perfectionem ipsi *indebitam*.

Non raro tamen quasi *contrariæ* opponuntur natura et gratia. In L. III *de Imitatione Christi,* legitur caput caput 54, cujus titulus est *de diversis motibus naturæ et gratiæ,* et cujus initium : « Fili, diligenter adverte motus naturæ et gratiæ, quia valde *contrarie* et subtiliter moventur » : deinde multa exhibet Auctor objecta ad quæ natura, et eorum contraria ad quæ movet gratia.

Quod ut intelligamus, notemus naturam hîc considerari prout *concupiscentiæ* subjectam, e qua oriuntur multi *inordinati* motus quos reprimere et impedire debet homo, etiam ut ad perfectionem ipsi debitam attingat : non igitur natura, ut sic, et gratia sunt contraria ; sed natura, quatenus subjicitur naturali defectui qui vocatur concupiscentia (1).

(1) Cf. BAINVEL, *Nature et surnaturel,* p. 162 ss.

PARS TERTIA

DE MERITO

352. Connexio rerum.

Connexio rerum. Gratia sanctificans, virtutes infusæ, dona Spiritus Sancti, gratiæ actuales, traduntur omnes ad hoc ut homo salutaria edat opera, nempe ut mortuus peccato vivat Deo in Christo Jesu Domino nostro (1) et tandem recipiat coronam justitiæ quam reddet Dominus iis qui diligunt adventum ejus (2).

Quum exposuerimus quæ naturam diversarum gratiarum spectant et actuum qui sunt physici effectus gratiæ, remanet ut consideremus connexionem salutaria opera inter et cœlestem mercedem, et discamus quo sensu hanc potuerit Apostolus vocare *justitiæ* coronam, seu quomodo opera nostra valeant MERERI æternam beatitudinem. Inde aliquis potius *moralis* effectus gratiæ apparebit (3). De ratione meriti supra, n. 155 egimus; remanet ut successive *existentiam* meriti demonstremus, deinde disseramus de *conditionibus* requisitis ad actum meritorium, tandem de *objecto* meriti.

353. Errores.

Sed imprimis aliquid dicemus de *erroribus* qui doctrinæ catholicæ sunt oppositi.

Luther,

1. Doctrinam catholicam de merito vehementer impugnavit Lutherus (4): docebat enim omnia opera humana esse per se indifferentia, nec ullum esse melius alio, imo solam fidem habere rationem boni, solamque infidelitatem, rationem mali (5); ulterius progrediens dicebat opera hominis justificati omnia esse ex sese peccata et tantum justis *non imputari* a Deo propter fidem justificantem: talia proponebat quia secundum ipsum homo erat essen-

---

(1) Rom. VI, 11.

(2) *Tim.*, IV, 8. Legatur compendiosa expositio de donis supernaturalibus in LEONIS XIII encyclica « *Divinum illud* », cf. *Collat. Brug.*, t. II p. 370 ss.

(3) « Effectus (gratiæ) sunt tum illi qui per propriam gratiæ efficientiam ab ea procedunt, ideoque *physici* vocantur, tum qui, licet in seipsis res sint veræ atque physicæ, morali tamen potius procedunt modo, atque *morales* vocantur. Physici gratiæ effectus sunt actus nostri supernaturales. Morales effectus sunt satisfactio, impetratio, meritum ». EINIG, *De gratia*, p. 189.

(4) Cf. KROGH-TONNINGH, *De gratia Christi et de libero arbitrio*, p. 83-86.

(5) En quædam Lutheri asserta : « Sufficit, quod agnovimus per divitias gloriæ Dei agnum, qui tollit peccatum mundi : ab hoc non avellet nos peccatum, etiamsi millies, millies uno die fornicemur aut occidamus ». « Esto peccator et pecca fortiter, sed fortius fide et gaude in Christo ». — « Ita vides, quam dives sit homo Christianus sive baptizatus, qui etiam volens non potest perdere salutem suam, quantiscumque peccatis, nisi nolit credere. Nulla enim peccata eum possunt damnare nisi sola incredulitas ». Cit. ap. KROGH-TONNINGH, *o.* c., p. 83 s.

tialiter corruptus per peccatum originale et orbatus libertate indifferentiæ (1).

Hæretici posteriores ab illa sententia discesserunt et jam quidem a tempore Melanchtonis (1497-1560): in cujus « Apologia » (*Conf. Aug.* Art. III, 73 s.) legitur: « Hîc addimus etiam de præmiis et de merito: docemus operibus fidelium proposita esse promissa et præmia. Docemus bona opera meritoria esse, non remissionis peccatorum, gratiæ aut justificationis, sed aliorum præmiorum corporalium et spiritualium in hac vita et post hanc vitam, quia Paulus inquit: Unusquisque recipiet mercedem juxta suum laborem. Erunt igitur dissimilia præmia propter dissimiles labores. At remissio peccatorum similis et æqualis est omnium » (2).

De Molinos,

2. *Michaël de Molinos* etiam impugnavit, saltem indirecte, doctrinam catholicam de merito, quatenus negabat animabus vitæ internæ faciles esse operationes, etiam virtuosas, ex propria electione et activitate (3); etiam quatenus dicebat: « Non debet anima cogitare nec de præmio, nec de punitione, nec de paradiso, nec de inferno, nec de morte, nec de æternitate » (4).

Kant,

3. *Kant* (v. suprà, n. 27) de moralitate actuum sententiam proposuit quæ omnino incompossibilis est cum catholica doctrina de merito. Censet enim moralitatem actus in hoc consistere quod sit conformis dictamini rationis humanæ *autonomæ* (independentis scilicet ab omni lege ab extrinseco proposita) ita ut homo in tantum agat *recte* seu *sancte* in quantum *formaliter* et *unice* intendit conformitatem suæ actionis cum dictamine suæ rationis. Licet felicitas exspectari possit ut sequela virtutis, non tamen potest ut *finis intendi* (5).

acatholici hodierni.

4. Nostris diebus non pauci *acatholici* tenent inhonestum esse hominique indignum ut agat intuitu præmii obtinendi vel vitandæ pœnæ (6): quæ objectio ex professo refutatur in tractatu de spe, ubi ostenditur honestas amoris concupiscentiæ (7), et in tractatu de pœnitentia ubi exponitur honestas attritionis (8). Cum doctrina catholica de merito etiam incompossibile est id quod docent defensores « moralitatis independentis », h. e. independentis prorsus a Deo, tamquam Legislatore, et consequenter Remuneratore bonorum ac Vindice malorum (9).

354. Doctrina catholica.

Contra Protestantium errores concilium Tridentinum definivit homines justificatos operibus bonis, quæ per Dei gratiam fiunt, vere mereri augmentum gratiæ, vitam æternam et ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia discesserint, consecutionem atque etiam gloriæ augmentum.

---

(1) V. suprà, n. 17.
(2) Apud KROGH-TONNINGH, *o. c.*, p. 86.
(3) *Enchir.*, n. 1255.
(4) *Enchir.*, n. 1227.
(5) Cf. REINSTADLER, *Elementa philosophiæ scholasticæ*, t. II, p. 344 ss ; CLOD. PIAT, *La morale du bonheur*, Paris, 1910, p. 150 ss.
(6) Cf. PIAT, *o. c.*, p. 191, 237, ubi hæc opinio refutatur ; BITTREMIEUX, *Onafhankelijke en christene zedenleer*, (Geloofsonderricht) Brugge, 1908, p. 44.
(7) Cf. BOUQUILLON, *De virtutibus theologicis*, n. 346 ss. THEOLOG. MECHLIN., *De virtutibus*, n. 50 ; BILLOT, *De virtutibus infusis*, thes. 27, p. 358 ss.
(8) Cf. H. LAHOUSSE, De Sacramento pœnitentiæ, Brugis, 1894, n. 59 s.; DE SAN, *De Pœnitentia*, Brugis, 1899, n 628-654 ; BILLOT, *De Sacramentis*, t. II, thes. 14.
(9) Cf. *Revue pratique d'apologétique*, t. I, p. 63, 159, 317, t. II, p. 97 ; *Collat. Brug.*, t. XIII p. 28 ss ss.

Concilii Tridentini textus est hic: « Bene operantibus, usque in finem et in Deo sperantibus proponenda est vita æterna, et tanquam gratia filiis Dei per Christum Jesum misericorditer promissa, et tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus et meritis fideliter reddenda ... Cum enim ille ipse Christus Jesus tanquam caput in membra et tanquam vitis in palmites, in ipsos justificatos jugiter virtutem influat, quæ virtus bona eorum opera semper antecedit et comitatur et subsequitur, et sine qua nullo pacto Deo grata et meritoria esse possent; nihil ipsis justificatis amplius deesse credendum est, quominus plene illis quidem operibus, quæ in Deum sunt facta, divinæ legi pro hujus vitæ statu satisfecisse, et vitam æternam suo etiam tempore, si tamen in gratia decesserint, consequendam, vere promeruisse censeatur ... Ita neque propria nostra justitia tanquam ex nobis propria statuitur, neque ignoratur et repudiatur justitia Dei. Quæ enim justitia nostra dicitur, quia per eam nobis inhærentem justificamur, illa eadem Dei est, quia a Deo nobis infunditur per Christi meritum. Neque vero illud omittendum est, quod licet bonis operibus, in sacris Litteris usque adeo tribuatur, ut etiam qui uni ex minimis suis potum aquæ frigidæ dederit, promittat Christus eum non esse sua mercede cariturum, et Apostolus testetur, id quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternæ gloriae pondus operari in nobis; absit tamen, ut christianus homo in se ipso vel confidat vel glorietur, et non in Domino, cujus tanta est erga omnes homines bonitas, ut eorum velit esse merita, quæ sunt ipsius dona » (1).

« Si quis dixerit hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita; aut ipsum justificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam et Jesu Christi meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, non vere mereri augmentum gratiæ, vitam æternam et ipsius vitæ æternae, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum: A. S. » (2).

Caput I.

DE EXISTENTIA MERITI.

355. Justos vere mereri demonstratur:

PROPOSITIO. *Justi per bona opera vere merentur apud Deum.*

Hæc propositio est de fide divina et definita fuit in concilio Tridentino. V. suprà, n. 345.

Demonstratur.

I) ex S. Scriptura,

A. Ex S. Scriptura.

Si gloria æterna nobis in S. Scriptura exhibetur ut proprie dicta merces seu retributio pro operibus bonis hominis justi et quidem ut merces proportionata illis operibus, eo ipso docetur opera bona justi esse vere meritoria gloriæ æternæ ejusque augmenti. Atqui in S. Scriptura nobis exhibetur gloria æterna ut talis. Ergo.

Probatur minor quoad primam partem:

a) Gloria æterna dicitur *merces, bravium, corona justitiæ:*

(1) Sess. VI, c. 16. *Enchir.* n. 809-810.
(2) Can. 32. *Enchir.*, n. 842.

« Gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis » (1). « Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit » (2).

Est ergo gloria æterna merces laborum, quos fideles pro Christo suscipiunt. — Ita etiam apostolus Paulus scribit: « Nescitis, quod ii qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium ? Sic currite, ut comprehendatis. Omnis autem qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet, et illi quidem, ut corruptibilem coronam accipiant: nos autem incorruptam. Ego igitur sic curro, non quasi in incertum: sic pugno, non quasi aërem verberans. Sed castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne forte, cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar » (3). Existentia meriti de condigno affirmatur a S. Paulo dicente: « id enim quod in praesenti est momentaneum et leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur (κατεργάζεται = efficit et producit) nobis » (4): quatenus bene, sicut oportet, sustinemus tribulationem transitoriam et levem, eatenus obtinemus merito mercedem quae est gloria aeterna: haec porro gloria superat absque mensura in ratione boni et felicitatis id quod est mali et cruciatus in tribulatione terrestri. Quum vero ipse gentium Doctor ad finem cursus sui fere pervenisset, ad Timotheum scribit: « Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex: non solum autem mihi, sed et iis qui diligunt adventum ejus » (5).

b) Bona opera justi exibentur ut titulus propter quem conceditur gloria æterna. Christus enim Judicem supremum exhibet ut ferentem hanc sententiam; Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi: esurivi *enim* et dedistis mihi manducare... » (6).

Probatur minor quoad secundam partem: scilicet gloriam æternam exhiberi ut dandam majorem vel minorem secundum mensuram operum bonorum.

a) Christus enim sese exhibet sub parabola hominis qui servos suos magis vel minus remunerat secundum quod magis vel minus operati sunt. Ita in parabola de *talentis* et in parabola de *mnis* et de *civitatibus* (7).

---

(1) *Matth.*, V, 12.
(2) *Matth.*, XIX, 29.
(3) *1 Cor.*, IX, 24.
(4) *2 Cor.*, IV, 17, Cf. *Rom.*, VIII, 18.
(5) *2 Tim.*, IV, 8.
(6) *Matth.*, XXV, 34 ss.
(7) *Matth.*, XXV, 14 ss.; *Luc.*, 11 ss.

b) Hæc veritas etiam continetur in hoc quod S. Paulus docet directe de ministris seu prædicatoribus Evangelii: « Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem » (1). Videtur his verbis universale enuntiari principium quod Apostolus applicat prædicatoribus. Si vero diceretur affirmatio Apostoli non nisi prædicatores spectare, tunc deduceretur nostra propositio tamquam conclusio, propter paritatem rationis.

356. 2) ex Traditione.

B. Ex Traditione.

S. Ignatius : « Sinite me ferarum cibum esse, per quas Deum consequi licet » (2). « Placete illi [Christo] cui militatis, a quo et stipendia fertis...; deposita vestra sint opera vestra ut accepta vestra digne reportetis » (3). — *S. Justinus :* « Edocti a prophetis pœnas et supplicia et bonas remunerationes pro meritis cujusque actionum irrogari, verum id esse confirmamus » (4). — *S. Irenæus:* « Bonus agonista (S. Paulus) ad incorruptelæ agonem adhortatur nos, uti coronemur et pretiosam arbitremur coronam, videlicet quæ per agonem nobis acquiritur, sed non ultro coalitam. Et quanto per agonem nobis advenit, tanto est pretiosior » (5). — *S. Cyprianus:* « Præceptis ejus (Dei) et monitis obtemperandum est, ut accipiant merita nostra mercedem » (6). Hortatur matronam ad bonum, dicens: « ut pervenire ad videndum Deum possis, dum Deum et operibus et moribus promereris ». Et infrà: « Præcepta ille [Christus] nobis dedit, quid facere servos suos oporteret instruxit, operantibus præmium pollicitus et supplicium sterilibus comminatus, sententiam suam protulit, quid judicaturus sit ante prædixit » (7). — *S. Augustinus:* « Vita æterna est totum præmium, cujus promissione gaudemus, nec præmium potest præcedere merita priusque homini dari quam dignus est. Quid enim hoc injustius et quid justius Deo ? Non ergo debemus poscere præmia, antequam mereamur accipere » (8). —

Concilium Arausicanum II docet operibus bonis, dummodo ex gratia fiant, hominem mereri præmium; gratiam vero non esse objectum meriti sed præcedere omne meritum (9). *Concilium Lateranense* IV (a. 1215) declarat: « Non solum autem virgines et continentes, verum etiam conjugati, per rectam fidem et operationem bonam placentes Deo, ad æternam merentur beatitudinem

(1) *1 Cor.*, III, 8.
(2) *Ad Rom.*, IV 1.
(3) *Ad Polycarp.*, VI, 2.
(4) *Apol. 1*, n. 43.
(5) *Adversus Hæreses*, L. IV, c. 37.
(6) *De unitate Ecclesiæ*, n. 15.
(7) *De opere et eleemosynis.*
(8) *De moribus Ecclesiæ catholicæ*, L. I, c. 25, n. 47.
(9) « Nullis meritis gratiam prævenientibus debetur merces bonis operibus, si fiant, sed gratia quæ non debetur præcedit, ut fiant ». *Enchir.*, n. 191.

pervenire » (1). *Concilii Tridentini* definitionem suprà retulimus, n. 354.

C. EX RATIONE THEOLOGICA.

357. 3) ex ratione theologica.

1. Ex ipso dogmate de *judicio,* deducitur existentia meritorum, quippe quæ præsupponuntur ad rationem judicii.

« Constat profecto ex revelatione, Deum judicium instituere de hominibus, tum particulare post mortem uniuscujusque, tum universale in fine mundi. Sed *si nullum est meritum vel bonum piorum vel malum impiorum,... quomodo Deus judicabit mundum* (2) ? Ergo ipsa doctrina de judicio, quo boni et mali propter opera sua discriminantur, supponit bona merita justorum et mala impiorum » (3).

2. *Confirmatur* ratione convenientiæ (4).

a/ *Ex parte Dei:* in nullo regno bene instituto princeps indifferens est, utrum subditi bene vel male agant, sed præmiis et pœnis propositis subditos a malo avertere et ad bonum inducere conatur. Quum igitur hic agendi modus naturæ hominis valde accommodatus sit, censendus est Deus tali modo cum hominibus agere velle (5).

b) *Ex parte hominis.* Tum in ordine naturali tum in ordine supernaturali homo habet *dominium* actuum suorum; ergo potest liberum Deo obsequium præstare. Quamvis autem hoc obsequium Deo debeatur, homo tamen de suo aliquid confert ad Deum glorificandum. Ergo convenit ut Deus ex parte sua bonum *retribuat.*

Objectiones.

358. Objectiones.

1. Legitur in Evangelio: « Quum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite : servi inutiles sumus » (6). Atqui servi inutiles non merentur apud dominum. Ergo nec homines, saltem per opera obligatoria, merentur apud Deum.

R. *Dist. Maj.* In citato textu « servi inutiles » designant illos qui non faciunt id quod debent facere, *nego;* designant illos qui non faciunt ultra id quod debent facere, *conc.*

Contrad. min. Servi *inutiles,* hoc sensu quod non faciunt id ad quod obligantur, non merentur, *conc.;* servi *inutiles,* hoc sensu quod non faciunt ultra id quod debent facere, non merentur, *nego.*

Explico. Christus in loco citato docet homines, quando adim-

---

(1) *Enchir.*, n. 430.
(2) S. AUGUSTINUS, epist, 214 ad Valentinum, n. 14.
(3) JUNGMAN, *De Gratia,* n. 350.
(4) Cf. *Pesch, o. c.,* t. V. n. 392.
(5) Ex sola naturali ratione *demonstratur* certo dari *sanctionem* legis naturalis, nempe *pœnam,* quæ transgressoribus legis naturalis debetur ; item illos consequi ultimum finem, qui fideliter legem custodierunt usque ad exitum vitæ. Tamquam probabile ostenditur finem ultimum esse *mercedem* operum bonorum et felicitatem ultimam esse operibus proportionatam.
(6) *Luc.*, XVII, 10.

pleverint omnia præcepta divina, semetipsos considerare debere ut servos inutiles, nempe ut servos qui nihil aliud præstiterunt quam id ad quod tenebantur, et consequenter non attulerunt domino ultra id ad quod plenum jus habebat (1).

Ex hoc non sequitur homines per bona opera, licet obligatoria, non mereri mercedem apud Deum. Non igitur Christus negat meritum operum bonorum, sed inculcat humilitatem.

« Scopus Domini citato loco est iste, ut discipulos ad humilitatem incitet, et præcipue eos moneat, ut caveant ab omni jactantia et præsumptione propter opera sua bona. Vitium enim quorumdam hominum est, ut dum implent ea quæ Deus præcepit, credant, se Deum vehementer obligare. Veluti computant et enumerant Domino bona operá sua, ac si Deus magno sibi honori esse existimare debeat, quod ipsi ei serviant, et teneatur eis ex rigore justitiæ animum habere valde gratum. Ut igitur talem superbiam, ad quam Judæi, semper de observantia legis gloriantes, inclinabant, a discipulis suis averteret, Salvator similitudine utitur servi, qui quando mandata domini implevit, inde non potest inani modo gloriari et prætendere a domino propterea multam gratiam sibi deberi » (2).

2. Si Christus omnibus meritus est vitam æternam, hanc homines non possunt mereri, atqui Christus omnibus hominibus meritus est vitam æternam; ergo.

R. *Dist. antec.* Si Christus omnibus meritus est vitam æternam dependenter a gratia singulis applicanda et a cooperatione adultorum, *nego;* si Christus meritus fuisset vitam æternam omnino independenter a gratia et a cooperatione, *conc.*

Contrad. min.

Explico. Deus qui humanum genus elevaverat ad finem supernaturalem, in altera vita consequendum, primo homini, tamquam principio generis humani propagandi dederat gratiæ dona (3), quibus homo cooperari debebat. Sed primus homo peccando amisit gratiam et sibi et omnibus ex ipso nascituris (4); inde ab hominibus auferebatur omne principium vitæ supernaturalis et proinde medium necessarium obtinendi finem ultimum. Christus meritus est ut gratiarum complexus iterum concederetur hominibus et consequenter ut homines gratia sanctificante, donisque habitualibus donati ac gratia actuali adjuti possent obtinere æternam beatitudinem. Sed adulti debent gratiæ cooperari: non inviti enim, nec inscii finem ultimum attingere valent, sed *recte* operando ac libere (5). Igitur sicut meritum Christi non abstulit necessitatem bo-

---

(1) Cf. KNABENBAUER, *Commentarius in Evangelium secundum Lucam,* p. 482.
(2) JUNGMANN, *o. c.,* n. 352.
(3) Cf. *Collat. Brug.,* t. IX, p. 375 ; DE BAETS, *De ratione ac natura peccati originalis,* Gandæ, 1899, p. 19 ss.
(4) Cf. *Collat. Brug.,* t. II, p. 509.
(5) Christus ipse necessitatem cooperationis docuit promulgando obligationem *cre-*

norum operum ad consecutionem ultimi finis, ita nec abstulit illis operibus rationem meriti, sed dedit id quo fierent meritoria. Nec meritum quod inest operibus hominum minuit meritum Christi, quum non nisi ex merito Christi valeant homines mereri, et eorum merita sint *effectus meriti Christi* (1).

Nota. Infantes baptizati recipiunt æternam beatitudinem non ut mercedem, quum non possint mereri illam, sed ut hæreditatem ad quam positive ordinantur per gratiam tamquam adoptivi filii Dei.

3. Si homo posset ex condigno mereri gloriam, Deus ex justitia teneretur illam retribuere et consequenter fieret debitor respectu hominis; atqui hoc ultimum repugnat; ergo.

R. *Dist. antec.* Constitueretur *absolute et simpliciter* debitor, *nego;* constitueretur *hypothetice et secundum quid* debitor, *conc. Contrad. min.*

Explico. Creatura quum totaliter a Deo dependeat tum in essendo, tum in operando, non potest absolute et simpliciter jus habere erga Deum; sed supposita ipsius Dei ordinatione ac promissione qua vult remunerare opera bona creaturæ, tunc hypothetice erit Deus debitor respectu creaturæ, sed tantum *secundum quid:* quia Deus primarie est sibimetipsi debitor (et sensu metaphorico) quatenus promissioni suæ necessario stat, et deinde quia ipse Deus creaturæ gratis concedit id quo creatura possit jus habere ad mercedem (2).

CAPUT II.

DE CONDITIONIBUS MERITI.

ARTICULUS Ius. **Conditiones meriti de condigno.**

359. Connexio rerum.

Prænotandum. In capite præcedenti demonstravimus hominem justum vere mereri operibus bonis coram Deo, et licet concilium Tridentinum non definiverit verum meritum, quod affirmat, esse meritum *de condigno, tamen* de hoc merito communiter intelligunt theologi declarationem concilii (3).

---

dendi et aliorum operum bonorum. « Sic enim Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret ; ut omnis *qui credit in eum*... habeat vitam æternam ». *Jo.*, III, 16. Cf. *Matth.*, XIX, 17, S. Paulus etiam docuit necessitatem cooperationis cum gratia et gratiam ordinari ut bene operemur ; « Ipsius enim factura sumus in Christo Jesu in operibus bonis [h. e. ad opera bona] ». *Ephes.*, II, 10. V. suprà, n. 44 et n. 224. Cf. JUNGMANN, *o. c.*, n. 353.

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. XI, p. 86.

(2) Cf. TERRIEN, *La grâce et la gloire*, t. II, p. 23 ; ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, *De justitia*, t. I, n. 12 ; S. THOMAS, *Sum. Theol.* 1, q. 21, a. 1 ad 3. — Controvertitur inter theologos utrum Christus potuerit *ex rigore justitiæ* satisfacere et mereri. Cf. BILLOT, *De Verbo Incarnato*, thes. 51, qui negativam tenet sententiam ; FRANZELIN, *De Verbo Incarnato*, thes. 47, qui affirmativam propugnat.

(3) Ideo communiter rejicitur opinio Durandi (in II, dist. 27, q. 2) qui negat dari meritum de condigno.

Proinde inquirimus de conditionibus meriti de condigno, et primo quidem ex parte Dei, secundo vero ex parte subjecti operantis et tertio ex parte ipsius operis meritorii.

§ I.

Conditio ex parte Dei.

360. Requiritur acceptio Dei,

Ex parte Dei requiritur *acceptio,* nempe oportet ut Deus velit opera nostra habere ut meritoria, seu velit æternam salutem vel aliud bonum dare formaliter ut *mercedem* (1). « Independenter quidem a divina promissione, opera illa sunt in actu primo meritoria, seu proportionata sunt præmio; sed ut certum sit, ejusmodi præmium iisdem retribui, necessaria est Dei promissio. Per se enim Deus non obligatur mercedem ullam operibus hominum reddere: sed accedente promissione, quia sanctus est, verax et fidelis, seipsum devincit, ut juxta proportionem operum justo judicio præmium hominibus largiatur » (2). Continetur in S. Scriptura expressio promissionis divinæ de mercede danda operibus bonis: « Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam gloriæ quam repromisit Deus diligentibus se » (3).

Nota. Ut videtur non requiritur a parte Dei *promissio formalis* retribuendi, quæ esset distincta ab ipsa ordinatione Dei qua nos reddit consortes divinæ naturæ et ideo concedit gratiæ dona ut opera nostra sint intrinsece proportionata cum ultimo fine obtinendo (4).

§ II.

Conditiones ex parte subjecti operantis.

361. Requiritur status viæ.

1. *Requiritur* **status viæ**, *qui de facto habetur quamdiu homo vivit hac in terra.*

Prænotandum. Si agitur de præmio essentiali, de ipsa visione beatifica, evidens est prærequiri statum *viæ* ut homo hoc mereatur: eo enim ipso quod homo adipiscitur illam beatitudinem, ponitur in statu *termini:* nam visio Dei intuitiva est ultimus finis.

Per se, seu ex natura rei, non repugnat ut homo possit in statu termini mereri *augmentum gloriæ* vel *accidentalem* gloriam; attamen « etsi aliqui Theologi olim docuerint, posse beatos et animas

---

(1) « Meritum et merces ad idem referuntur ». S. THOMAS, 1-2, q. 114, a. 1.
(2) JUNGMANN, *De gratia,* n. 371
(3) *Jac.,* I, 12.
(4) Cf. TERRIEN, *o. c.,* p. 23 ; VAN NOORT, *De gratia,* n. 202 ; BILLUART, *De gratia,* diss. VIII, a, 1 in fine (t. III, p. 193).

purgatorii quidquam aliis, aut sibi ipsis accidentale aliquod præmium mereri, sententia tamen jam communis, post d. Thomam (1), id negat » (2). De facto nunc duratio status merendi eadem est ac duratio vitæ hominis hac in terra: hæc limitatio provenit ab ipsius Dei ordinatione quæ tamen naturis rerum bene accommodata est.

362. De fide est hominem non posse mereri post mortem visionem beatificam.

ASSERTUM I. *Status merendi* **visionem beatificam** *limitatur ad durationem hujus terrestris vitæ.* Hoc est *fide* tenendum.

« Sacrosancta Romana ecclesia dicit et prædicat... illorum animas, qui post sacrum baptisma susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam, quæ post contractam peccati maculam, vel in suis manentes corporibus, vel eisdem exutæ, sunt purgatæ, mox in cœlum recipi. Illorum autem animas, qui in mortali peccato vel cum solo originali decedunt, mox in infernum descendere pœnis tamen disparibus puniendas » (3).

363. Homo non potest post mortem mereri sibi augmentum gratiæ et gloriæ essentialis;

ASSERTUM II. *Certum est hominem non posse post mortem sibi mereri* **augmentum gratiæ ac gloriæ essentialis;** *et saltem probabilius nihil posse mereri post mortem.*

Demonstratur 1ª Pars *ex S. Scriptura.*

« Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis *(τὰ ἰδιὰ τοῦ σώματος)* prout gessit sive bonum sive malum » (4). Hîc docet S. Paulus : omnes homines, (tam ii qui vivent tempore ultîmi judicii, quam ii qui jam mortui erunt), ante tribunal Christi manifestabuntur quales fuerunt: ut unusquisque retributionem recipiat eorum quæ fecit *dum in corpore mortali erat,* præmium nempe aut pœnam, prout bonum vel malum operatus sit. Apostolus exhibet præmium cœleste tamquam aliquid pro unoquoque determinatum et proportionatum operibus quæ fecit *tempore vitæ terrestris:* supponit homines, qui ante ultimum judicium mortui erant, *non meruisse* augmentum præmii cœlestis post mortem: secus præmium non proportionaretur seu vere mensuraretur operibus quæ facta fuerunt tempore mortalis vitæ. Illud cœleste præmium includit imprimis ipsam intuitivam Dei visionem, quum sit essentia beatitudinis supernaturalis; hæc autem dicitur dari secundum opera hujus vitæ: ergo post hanc vitam non jam occasio datur merendi augmentum visionis beatificæ, nec consequenter augmentum gratiæ quum hæc duo sibi invicem correspondeant necesse sit.

---

(1) Cf. in *Libr. Sent.*, III, dist. 18, q. 1, a. 2 ad 2 ; *Sum. Theol.* 1, q. 72, a. 9.
(2) MAZZELLA, *De gratia,* n. 1153, cf. SUAREZ, *De gratia,* L. XII, c. 15, n. 1-2.
(3) *Confessio Michaelis Paleologi. Enchir.,* n. 464 : V. etiam n. 530. Quoad demonstrationem hujus theseos, v. JUNGMANN, *De novissimis,* n. 156. Notemus de fide etiam esse illos, qui in statu mortalis peccati moriuntur, non jam posse de peccato mortali pœnitere et veniam obtinere. De quadam opinione illi veritati opposita, cf. P. BERNARD ap. D'ALES, *Dict. apol. de la foi cath.,* art. *Enfer,* col. 1381, 1398.
(4) *2 Cor.,* V 10.

Confirmatur ex ratione.

In ipsa humana natura invenitur valida *ratio cur tempus merendi non protrahatur ultra hujus vitæ tempus.* Homo enim est substantialiter unum, est compositum: illud ens debet mereri cœleste præmium: inde, dissoluto composito humano, *connaturaliter* cessat tempus merendi. Quod ut melius intelligatur considerari oportet humanam voluntatem, ex natura sua, immobiliter adhærere fini cui adhæret in instanti mortis: inde consentaneum est omnino ut *statim* post mortem actu conjungatur cum ipso Deo, si meritus sit illum finem possidere, nisi obstent pœnæ luendæ: consequenter etiam connaturale est ut gradus perfectionis illius conjunctionis proportionetur meritis hujus vitæ et postea non augeatur.

364. nec, ut videtur, quodlibet præmium.

Probatur 2ª Pars *ex S. Scriptura.*

Sed ut videtur, ulterius possumus ex textu allato suprà deducere **nullum dari meritum** *post hanc vitam* nequidem ad accidentale præmium. Et sane Apostolus hîc considerat cœlestem mercedem *integram,* qualis hæc erit unicuique post resurrectionem corporum in ultimo judicio, statuitque illud præmium proportionari operibus in corpore factis. — In hoc sensu interpretatur *S. Augustinus* textum: « Cur autem dictum est, *secundum ea quæ per corpus gessit* hominem judicandum, quum gerantur multa solo animo, non per corpus nec per ullum corporis membrum? Quid est ergo *secundum ea quæ per corpus gessit,* nisi secundum ea, quæ gessit eo tempore, quo in corpore fuit, ut *per corpus* intelligamus *per corporis tempus?* Post corpus autem nemo erit in corpore nisi resurrectione novissima, non ad ulla præmia comparanda sed ad recipienda pro bonis meritis præmia, pro malis luenda supplicia » (1).

Nullum dari meritum post mortem *confirmatur* ex illis S. Scripturæ locis quibus monemur tempus hujus vitæ dari ad salutariter agendum, ultra hoc vero non esse tempus operandi sed quiescendi et fruendi: « Me oportet operari..... donec dies est: venit nox, quando nemo potest operari » (2). Nox est tempus mortis: sententia autem est generalis; morte adveniente, jam nemo potest operari; inde concluditur: nemo tunc potest personaliter agere in ordine ad salutem obtinendam vel ad beatitudinem augendam.

Ad strenue operandum opera salutaria adhortatur Apostolus et distinguit tempus seminandi, nempe in hac vita, et tempus metendi, nempe in altera vita: « Quæ enim seminaverit homo hæc et metet. Quoniam qui seminat in carne sua, de carne et metet corruptionem: qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam. Bonum autem facientes, non deficiamus: tempore enim suo mete-

(1) *De Praedestinatione Sanctorum,* c. 12, n. 24. Cf. CORNELY, *Commentarius in epistolam ad Corinthios alteram,* p. 154.
(2) *Jo.* IX, 4.

mus non deficientes. Ergo dum (i. e. quamdiu) tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei »(1).

Confirmatur ex ratione.

Tandem conveniens est ut *post resurrectionem* non concedatur homini tempus merendi quodcumque præmium: nam si adhuc daretur facultas merendi, hæc in æternum concedenda foret, quum nulla esset ratio illam coarctandi ad determinatam durationem; præterea status resurrectionis est status homini indebitus, qui se habet tamquam complementum ultimum felicitatis (vel infelicitatis) perfectæ et jam immutabilis.

2. Requiritur **status gratiæ**.

365. Status gratiæ requiritur.

a/ Hoc constat ex *S. Scriptura:* « Sicut palmes non potest ferre fructum nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis » (2). Intima et perfecta unio cum Christo hîc docetur prærequiri ad omne opus justi salutare et proinde meritorium hæc autem unio includit saltem gratiam sanctificantem. V. suprà, n. 101 ss. et n. 340.

b/ Hoc constat etiam *ex doctrina Ecclesiæ*, præsertim ex damnatione plurium propositionum *Baii,* qui negabat dignitatem supernaturalem justicatione et gratia conferri homini, et censebat effectum gratiæ esse tantum ut hominis natura corrupta acquireret illam ethicam rectitudinem, qua indiget ut bona sit. Hinc etiam existimabat purum figmentum illam adoptionem filiorum quam cæteri theologi tenebant nec intelligebat novum quemdam valorem convenire operibus ex gratia factis (3).

Damnatæ fuerunt sequentes propositiones (4): « Pelagii sententia est: opus bonum, citra gratiam adoptionis factum, non est regni cœlestis meritorium ». — « Sentiunt cum Pelagio, qui dicunt esse necessarium ad rationem meriti, ut homo per gratiam adoptionis sublimetur ad statum deificum ». — Non solum statuit Ecclesia non esse *Pelagii* doctrinam quæ asserit necessitatem gratiæ sanctificantis ad meritum; sed ulterius positive statuit rationem meriti provenire ex gratia sanctificante, damnando sequentes propositiones: « Opera bona, a filiis adoptionis facta, non accipiunt rationem meriti ex eo quod fiant per spiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei, sed tantum eo quod sint conformia legi, quodque per ea præstatur obedientia legi ». — « Ratio meriti non consistit in eo, quod, qui bene operantur habeant gratiam et inhabitantem Spiritum Sanctum, sed in eo solum quod obediunt divinæ legi ».

c/ Demonstratur ex *ratione theologica.*

a. In præsenti Providentiæ ordine, omnis homo qui caret gratia sanctificante est peccati (saltem originalis) reus et consequenter

(1) *Gal.* VI, 10.
(2) *Jo.*, XV, 4.
(3) Cf. JUNGMANN, *De gratia*, n. 363. V. suprà, n. 19.
(4) *Enchir.*, n. 1012, 1017, 1013, 1015.

pœnæ æternæ; ideoque nequit in hoc statu operari ita ut jus acquirat ad præmium seu beatitudinem æternam : ergo requiritur gratia tamquam *removens prohibens,* removens nempe peccatum.

β. Ut meritum sit condignum debet esse quædam æqualitas vel saltem proportio inter opus et præmium, nempe quædam æqualitas inter valorem operis et valorem mercedis. Jamvero valor operis *obsequii* dependet imprimis à dignitate personæ operantis: honor enim eo est major quo excellentior est ipse honorans: ideoque opera Christi sunt infiniti valoris in ratione obsequii quia procedunt a persona dignitatis infinitæ, nempe divinæ. Quum creatura sit naturaliter *serva* respectu Dei, obsequium ejus non proportionatur alicui bonò quod est *ipsius Dei proprium.* Ut ergo homo possit mereri de condigno vitam æternam oportet ut ipsius natura elevetur et fiat *particeps divinæ naturæ:* tunc homo tamquam *filius* adoptivus Dei facere potest opera quæ sunt *in eodem ordine* cum visione beatifica, et quorum valor obsequii est proportionatus *ipsi unioni* cum Deo, quæ ut præmium datur (1).

Nota. Munus omnino proprium *gratiæ sanctificantis* in reddendo *meritoria* opera nostra est in hoc quod personam agentem facit *deiformem, Deo gratam,* Ejusque *filium adoptivum,* conferendo scilicet personae dignitatem omnino specialem, vi cujus specialis valor honorificus inest operibus quibus obsequium præstat Deo — Illa dignitas est secundum quid infinita, simpliciter vero et entitative finita (2).

Charitatis autem munus proprium in ratione meriti est in hoc quod ipsa *ordinat* opus ad Deum, ut amotum tamquam amicum super omnia dilectum.

Notandum quod, homo sine gratia sanctificante nequit mereri de condigno vitam seu gloriam æternam, non potest etiam sine illa gratia mereri augmentum gloriæ; insuper, qui nondum est sanctificantem gratiam assecutus, nequit ejusdem augmentum mereri. Tandem « sequitur eum qui non potest mereri de condigno vitam æternam, nihil aliud de condigno mereri posse. Nam quidquid mereri possumus de condigno præter vitam æternam, id est præter beatitudinem essentialem, vel est aliquid accessorium ad illam, ut est in universum omnis gloria accidentalis; vel est aliquid prærequisitum, seu conducens ad consecutionem illius, ut est omnis gratia, quæ in statu viæ datur. Nemo autem potest mereri accessorium ad vitam æternam, nisi hanc etiam possit mereri, quia accessorium sequitur principale; et sicut non fit, vel datur quasi per se, sed *confit,* ut ita dicam, seu datur ut consequens vitam æternam, ideo non cadit sub meritum, nisi ut consequens ad meritum illud » (3).

---

(1) Cf. S. THOMAS, in *Libr. Sent.* II, Dist. 27, q. 1, a. 5, ad 3; BELLARMINUS, *De Justificatione,* L. V. c. 12, n. 14 ; JUNGMANN, *o. c.,* n. 362 ; MAZZELLA, *o. c.,* n. 1157 ss. ; PESCH, *Tractatus dogmatici,* T. V. n. 416 ; TERRIEN, *La grâce et la gloire,* T. II, p. 22 ; BILLOT : *De Sacramentis,* t. II, p. 97.

(2) *Collat. Brug.,* t. XI, p. 24.

(3) MAZZELLA, *o. c.,* n. 1159.

§ III.

Conditiones ex parte ipsius operis.

366. *Requiritur ut opus sit 1) moraliter bonum,*

Ut opus possit esse meritorium de condigno requitur ut sit *bonum moraliter, liberum, supernaturale.* In his tribus statuendis conditionibus conveniunt theologi ; dissentiunt vero circa ulteriorem explicationem *supernaturalitatis* requisitæ : circa quam plures moventur quæstiones, quas indicabimus, postquam exposuerimus tres conditiones suprà nominatas.

1. **Bonum moraliter** debet esse opus meritorium. Etenim « apud Deum, qui sanctus est, nihil præmio dignum esse potest, quod non sit bonum et rectum. Debet vero esse bonum ratione objecti, finis et circumstantiarum, juxta tritum illud axioma : *Bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu* » (1).

Nota. Ut meritorius sit actus non requiritur ut sit *supererogatorius,* h. e. non obligatorius ; imo actus præceptus potest esse magis meritorius quam alius (2). — Nec requiritur aliqua specialis *duratio* actus, nec etiam aliquis gradus *intensitatis ;* sed alia est quæstio utrum actus *remissi,* h. e. actus minus intensi quam est gradus virtutis infusæ jam possessæ, et a qua eliciuntur, obtineant STATIM augmentum gratiæ et virtutum. De hac quæstione, v. suprà, n. 277 ss.

367. *2) liberum,*

2. **Liberum** esse debet, et quidem libertate *indifferentiæ* seu *electionis* (3). Loquimur de illa libertate qua voluntas ipsa effective *specificat* actum suum, quatenus nempe vult UNUM PRÆ ALIO : quod est *eligere.* Per hoc fit voluntas proprie et simpliciter *domina* actus sui et per hoc etiam est actus ipsi *imputabilis.* — Jamvero actus, ut sit meritorius debet esse liber, libertate electionis: nam merces, formaliter ut talis, est bonum quod ab uno datur tamquam *compensatio* pro bono quod præstitit alius (4) : si persona, libere agens, elegit actum in obsequium vel utilitatem alterius personæ, illa persona agens præstitit aliquid quod est *suum,* et cujus est *domina* seu de quo disponere quasi valeat, inde ratio est cur alia persona aliquod bonum *retribuat,* compensando bonum præstitum; si vero persona agens non ipsa elegit, nec consequenter *determina-*

---

(1) JUNGMANN, *De Gratia,* n. 365. Opus quà meritorium, est necessario bonum et consequenter sub omni respectu bonum. Alia est quæstio utrum idem *physicus* actus possit esse simul moraliter bonus, (ac consequenter meritorius), et moraliter malus (ac consequenter demeritorius). Cf. BOUQUILLON, *Theologia moralis fundamentalis,* 2a Edit., n. 359, n. 272.

(2) Cf. MAZZELLA, *o. c.,* n. 1147 ; HURTER, *Compendium theologiæ dogmaticæ,* t. III. n. 227.

(3) Cf. ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, *Meditationes theologicæ,* in *Collat. Brug.,* t. V, p. 586 ss.

(4) Cf. ID., *ibid.,* p. 592.

vit ipsa actum suum, tunc ille actus determinatus fuit vel ab ipsa natura agentis, vel a gratia in natura, estque physice necessarius: ideo illius actus non est *domina* persona agens, nec præstat aliquid suum, de quo disponere valeat, nec ipsi potest dari aliquid tamquam *retributio* seu *compensatio* (1).

Damnata est hæc Jansenii propositio: « Ad merendum et demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione » (2). Secundum hoc tenendum est homini, saltem in statu naturæ lapsæ, qui est status nunc vigens, requiri *libertatem a necessitate* ut possit mereri: hæc autem libertas a necessitate nequit aliter intelligi hîc quam de libertate *electionis*.

Libertatem indifferentiæ requiri ad actum meritorium docent S. Thomas et S. Bonaventura.

S. Thomas (3) dicit : « Licet anima Christi esset determinata ad unum secundum genus moris, scilicet ad bonum, non tamen erat determinata ad unum simpliciter: poterat enim hoc vel illud facere et non facere: et *ideo libertas* in eo remanebat *quæ requiritur ad merendum* (4).

S. Bonaventura, posita hac objectione: « Meritum est a voluntate deliberativa: sed ubi est deliberatio, ibi est collatio; ubi autem hæc est, ibi est temporis successio: ergo non videtur, quod meritum Christi potuerit esse a suæ conceptionis principio », respondet S. Doctor: « Quamvis secundum *processum naturæ* deliberatio indigeat successione et tempore; tamen secundum *plenitudinem gratiæ et gloriæ* possibile est ipsi animæ in instanti discernere, quod alias non posset facere sine continuo et tempore. Et sic per *deiformitatem gloriæ* intellectus potest simul plura intelligere, quamvis per *naturam* non intelligatur nisi unum solum simul et semel. Et quia anima Christi erat in plenitudine gratiæ et gloriæ hinc est quod non indigebat mora temporis ad discernendum, quid eligendum, quid amandum, quid odiendum » (5). Censet igitur S. Bonaventura ad meritum requiri voluntatem *deliberativam* quæ est voluntas *eligendi* (6).

---

(1) Posset Deus statuere dare alicui gloriam, aut tale, vel tale bonum, posito tali actu necessario. Tunc vero prædictus actus non haberet rationem *meriti* sed nudæ conditionis, qua posita ponitur quod sub illa promittitur. Unde nec gloria, aut illud aliud bonum haberet in hoc casu propriam rationem *mercedis seu præmii*, sed omnino gratuiti beneficii. Cf. SALMANTICENCES, Tractatus XVI, Disp. I, dub. 2, § 2.

(2) *Enchir.*, n. 1094.

(3) Angelicus Doctor in *Libr. Sent.*, III, Dist. 18, q. 1, a. 2. ad 5 videtur asserere non requiri libertatem electionis ad meritum ; sed quidquid sit de sensu hujus loci, certe in aliis, quos indicamus infrà et qui inveniuntur in operibus posterioribus, explicite dicit requiri ad meritum libertatem electionis.

(4) *De Veritate*, q. 19. a. 6, ad 1 ; cf. *De Malo*, q. 6. a. unic ; *Sum. Theol.*, 1, q. 22, a. 2 ad 5 ; 1-2, q. 21, a. 4 ad 2. Etiam in *Summa theologica*, 3, q. 18 a. 4, ad 1 explicite docet S. Thomas fuisse in Christo libertatem *electionis* : « Voluntas Christi licet sit determinata ad bonum, non tamen est determinata ad hoc vel ad illud bonum. Et ideo pertinet ad Christum *eligere* per liberum arbitrium confirmatum in bono sicut ad beatos.

(5) In III, dist. 18, a. 1, q. 1 ad 3 (t. III, p. 382).

(6) Propter difficultatem explicandi in Christo libertatem electionis, nonnulli olim theologi (quorum quosdam referunt SALMANTICENSES, l. c.), censuerunt ad meritum non absolute requiri libertatem electionis : hanc etiam sententiam nuper propugnavit cl. DE BAETS, in opusculo *De libera Christi obedientia*, Lovanii, 1905. Cf. *Collat. Brugenses.*, t. XII, p. 512.

368. 3) supernaturale.

3. **Supernaturale** debet esse opus meritorium: primo, quia in præsenti Providentiæ ordine nulla datur operatio vere et simpliciter salutaris, quin sit supernaturalis (1) ; secundo, quia nullus actus est intrinsece proportionatus mercedi supernaturali quin et ipse sit supernaturalis, actus autem meritorius de condigno debet esse proportionatus mercedi.

« Actus autem cujuscumque rei non ordinatur divinitus ad aliquid excedens proportionem virtutis quæ est principium actus: hoc enim est ex institutione divinæ providentiæ ut nihil agat ultra suam virtutem. Vita æterna est quoddam bonum excedens proportionem naturæ creatæ. Et ideo est quod nulla natura creata est sufficiens principium actus meritorii vitæ æternæ, nisi superaddatur aliquod supernaturale donum, quod *gratia* dicitur » (2).

Supernaturalitas porro operationis duo complectitur, quorum primum est ut operatio *eliciatur* principio supernaturali, secundum ut *referatur* aliquo modo ad Deum ut finem supernaturalem.

In his duobus statuendis conveniunt theologi omnes, sed controversia est in ulteriori explicatione de modo quo obtinetur supernaturalitas requisita: qua de re agemus in articulo II.

369. Quantitas meriti differt:

Corollarium. *Actus salutares possunt esse magis vel minus meritorii* (3). Cæteris paribus actus fit magis meritorius secundum quod ipsi magis insunt sequentes rationes:

secundum supernaturalem dignitatem personæ operantis.

1. *Dignitas supernaturalis* personæ agentis. Licet illa ratio non admittatur ad omnibus theologis, recte tamen assignari videtur. Etenim valor honorificus operis obsequiosi mensuratur dignitati *personæ* honorantis : ideo bona opera, elicita in humana Christi natura, infiniti sunt valoris in ratione meriti et satisfactionis, quia eliciuntur a *persona divina,* quæ infinitæ est dignitatis (4) : ergo quo major est gradus gratiæ sanctificantis, quo insignitur anima alicujus, eo magis honorifica Deo, et consequenter eo magis meritoria, erunt opera ejus bona.

Hoc confirmatur hac consideratione quod gratia sanctificans est id unde provenit *condignitas* operis meritorii ad præmium (5). Quo perfectius habetur principium, eo etiam, cæteris paribus, perfectius obtinetur effectus formalis ab illo dependens (6).

---

(1) V .supra, n. 43.

(2) S. THOMAS, in *Sum. Theol.,* 1-2, q. 114, a. 2.

(3) Cf. S. THOMAS, in *Libr. Sent.* II, dist. 29, q. 1, a. 4; in *1 Cor.,* cap. III lect. 2; *Quodlibetum* VI, a. 11 ; *Sum. Theol.,* 1, q. 95, a. 4; 1-2, q. 24, a. 3; 2-2, q. 88, a. 6; SUAREZ. *De gratia,* L. XII, c. 20 ss.; TERRIEN, *o. c.,* t. II, p. 63 ss.; SCHIFFINI, *De gratia,* n. 385 ss.; MÜLLENDORF, *Das Masz des Verdienstes in den einzelnen Werken,* in *Theologisch-praktische Quartal-Schrift* (Linz) 1909, p. 43, 301.

(4) Cf. *Collat. Brug.,* t. VI, p. 28, 526, t. XI, p. 22 s.

(5) Cf. suprà, n. 365 et infrà, n. 379.

(6) Quæri potest utrum in homine, in quo est gratia sanctificans, meritum ejus operum augeatur ex supernaturali dignitate diversa a gratia sanctificante, v. gr. ex dignitate matris Dei, vel ex dignitate summi Pontificis. Videtur negandum : quia per has dignitates non fit homo formaliter gratus Deo : prædictæ enim dignitates sunt dona gratis data, non gratum facientia.

secundum gradum libertatis.

2. *Libertatis gradus* in eliciendo actu. Etenim conditio meritorii actus est libertas, quatenus hæc importat dominium agentis in suum proprium actum (1): quo igitur perfectius liber est actus eo magis *de suo dat* agens et consequenter magis meretur. — Inde *passiones* quæ *præcedunt* seu *præveniunt* judicium rationis et ipsam electionem voluntatis, sicut minuunt libertatem, ita etiam minuunt meritum (2). Aliter est judicandum de passionibus quæ consequuntur judicium rationis et electionem voluntatis, ut statim dicemus.

secundum speciem bonitatis moralis.

3. *Species bonitatis moralis* quæ inest actui. Inter virtutes et bonos actus datur differentia secundum nobilitatem vel excellentiam quam *ex essentia sua* habent : nempe quo magis accedit virtus ad attingendum ultimum finem eo est nobilior ex specie sua : ideo virtutes theologicæ sunt præstantiores virtutibus moralibus ; inter theologicas, major est charitas ; inter morales virtutes, major est religio. Inde actus, cæteris paribus, erit eo magis meritorius quo procedit ab excellentiori virtute. — Hîc notandum in eodem actu inesse posse varias species bonitatis moralis, secundum quod actus elicitus ab una virtute imperatur ab alia, vel ab aliis (3). « Unde actus inferioris virtutis est melior et magis meritorius ex hoc quod imperatur a superiori virtute, cujus actus fit per imperium; sicut actus fidei vel spei melior est, si imperetur charitate. Et ideo opera aliarum virtutum moralium (puta jejunare, quod est actus abstinentiæ, et continere, quod est actus castitatis), sunt meliora et magis meritoria si fiant ex voto; quia sic jam pertinent ad divinum cultum, quasi quædam Dei sacrificia » (4). Ex his sequitur a/ opera virtutum, ex sese non magna, evadere posse valde meritoria si fiant ex imperio charitatis, præsertim ex actu ferventi charitatis (5); b/ valde utilem esse ad meritum augendum illam praxim qua sæpe in die offeruntur Deo per charitatem operationes bonæ.

secundum intensitatem virtutis in actu.

4. *Intensitas* virtutis in actu. Sicut aliæ virtutes sunt, ex specie bonitatis moralis, superiores aliis, ita unius ejusdemque virtutis sunt actus præstantiores aliis actibus: hoc autem provenit, ut videtur, ex duplici capite: primo, ex *objecto* quod attingitur actu virtutis; secundo, ex promptitudine seu fervore voluntatis elicientis actum: v. gr. cæteris paribus, elargitio magnæ quantitatis pecuniæ ad sublevandam proximi miseriam est perfectior actus misericordiæ quam parva eleemosyna; etiam, cæteris paribus, prompta et hilaris

---

(1) Cf. suprà, n. 367.
(2) Cf. S. THOMAS, *De Veritate*, q. 26, a. 7; *Sum. Theol.*, 1-2, q. 24, a. 3.
(3) Imperari hic significat procedere *ex influxu actus* alius virtutis.
(4) S. THOMAS, *Sum. Theol.*, 2-2, q. 88, a. 6.
(5) Qua de re lege S. FRANCISCUM SALESIUM, *Traité de l'amour de Dieu*, L. XII, c. 5 et 6 ; cf. etiam *Collat. Brug.*, t. XII, p. 168 ss.

elargitio est perfectior quam elargitio absque illa circumstantia (1). Ratio autem horum est quia opus, quo magis est *virtuosum* eo etiam fit magis Deo obsequiosum, Eique magis placens, consequenter majori præmio dignum. — Inde animadverte *passiones,* quæ *consequuntur* judicium rationis et electionem voluntatis, posse augere meritum, passiones enim possunt esse adjutorium ad melius agendum: inde quando homo ex judicio rationis eligit affici aliqua passione ut promptius operetur, cooperante appetitu sensitivo, tunc ille actus evadit magis bonus moraliter, magisque meritorius (2).

370. Ulterior explicatio

Adnotatio. 1/ Actus fortitudinis, patientiæ, longanimitatis sunt, cæteris paribus, eo magis meritorii quo versantur circa majorem timorem vel audaciam, circa majorem tristitiam, circa majorem diuturnitatem in sustinendo vel aggrediendo: non autem dici recte potest illos actus esse eo magis meritorios quo versantur circa majora mala; mala sunt materia *remota* illarum virtutum (3); et eadem mala objective considerata non sunt pro omnibus individuis occasio ejusdem tristitiæ, timoris, etc. : nam, pro diversitate complexionis, alii multo magis dolent, timent, quam alii de eodem malo.

a) de malo in quantum est materia remota actus meritorii,

2/ Hæc ratio augmenti meriti, quæ provenit ex ipso objecto virtutis, nempe ex materia proxima circa quam versatur actus, non est confundenda cum *difficultate* quam experitur agens in opere bono: hæc difficultas non est *per se* ratio augmenti meriti: hæc enim difficultas provenire potest ex defectu ipsius operantis quatenus laboriosum et difficile ipsi est id quod non prompta voluntate facit, et talis labor minuit meritum (4). Sed *per accidens* difficultas potest esse occasio majoris meriti, quando scilicet homo tendit majori attentione et majori voluntatis conatu in id quod est difficile. Inde non recte dicitur opera eo esse magis meritoria quo sunt agenti magis laboriosa et difficilia: difficultas enim *ratione sui* non auget meritum, sed tantum ratione majoris bonitatis moralis, cujus est *occasio.*

b) de difficultate in opere,

3/ Non augetur meritum actus *ex mera ejusdem externa executione.* Etenim tota *bonitas moralis* operis exterioris derivatur in illud ex boni-

c) de externa executione operis.

---

(1) Quum materia proxima *fortitudinis* sit timor et audacia ex periculis; *patientiæ* tristitia moderanda ; *longanimitatis* diuturnitas in sustinendo adversa vel pericula mortis (cf. ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, *De Virtutibus Cardinalibus,* p. 41 ss., p. 102 ss.), quo majores sunt timores et audaciæ, tristitia, diuturnitas in tolerandis malis, eo etiam magis meritorii sunt actus illarum virtutum : pariter quo majori fiunt promptitudine et fervore.

(2) Cf. S. THOMAS, *Sum. Theol.,* 1-2, q. 24, a. 3, ad 1. — Nec refert quod passio de se tendat ad præpediendam ex parte saltem, discretionem mentis. Nam, ut præclare dicit *S. Thomas :* « In opere virtutis necessaria est et electio et executio. Ad electionem autem requiritur discretio : ad executionem vero ejus, quod jam determinatum est, requiritur promptitudo. Non autem requiritur ut homo, actualiter in executione operis existens, multum circa opus meditetur ; hoc enim... potius officeret quam prodesset : sicut patet in citharædo, qui multum impediretur, si ad tactum singularum chordarum cogitationem apponeret ; et similiter scriptor, si in formatione singularum litterarum cogitaret. Et inde est quod passio electionem præveniens impedit actum virtutis, in quantum impedit judicium rationis, quod necessarium est in eligendo : postquam vero puro judicio rationis jam electio est perfecta, passio sequens plus prodest quam noceat ; quia si in aliquo turbet judicium rationis, facit tamen ad promptitudinem executionis ». *De Veritate,* q. 26, a. 7, ad 3.

(3) Cf. ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, *o. c.,* l. c.

(4) Cf. S. THOMAS, *Sum. Theol.,* 1-2, q. 114, a. 4, ad 2.

tate interioris actus voluntatis. Non igitur hæc bonitas augetur nisi augeatur bonitas ipsa interioris actus voluntatis. Atqui eatenus augetur meritum operis præstiti, quatenus ponitur augeri ejus bonitas moralis; ergo ex mera executione externa operis interni non augetur meritum; inde posito semel actu interno, ejus meritum remanet, etiamsi postea impediatur ejus executio (1). Attamen executio externa potest esse *occasio* meriti augendi, quatenus est occasio augmenti bonitatis moralis actus interni: nempe actus externus potest esse occasio qua multiplicantur actus interni, etiam qua redduntur intensiores (2).

ARTICULUS II. **Ulterior explicatio de supernaturalitate requisita ad actus meritorios de condigno.**

371. Actus meritorii singuli non debent fieri gratia actuali, proprie dicta.

1. *Ad singulos actus meritorios de condigno non requiritur, ut videtur, gratia actualis, proprie dicta.*

Quia tenemus, ut suprà, n. 338, exposuimus, non requiri gratiam actualem ad singulos actus supernaturales in homine justificato, consequenter dicimus non requiri gratiam actualem ut iidem actus sint meritorii.

372. nec elici a charitate,

2. *Actus ut sint meritorii non debent* elici *ab ipsa charitate.*

Hæc est communis theologorum sententia (3). Et sane, actus eliciti ab aliis virtutibus infusis sunt moraliter boni, liberi, entitative supernaturales et Deo præstant obsequium: nulla igitur adest ratio negandi meritorios esse actus elicitos a virtutibus infusis diversis a charitate.

373. nec imperari a charitate.

3. *Actus ut sint meritorii non debent* imperari *a charitate.*

Prænotandum. Hîc loquimur de *imperio* consistente in hoc quod actus elicitus charitatis *causat* actum alterius virtutis: v. gr. homo ex amore Dei eligit facere et facit actum religionis: hic ultimus actus est imperatus a charitate, elicitus a religione. Dicimus, in asserto demonstrando actus, ut sint meritorii, non necessario dependere in suo *exercitio* ab actu charitatis præcedente (4).

Demonstratur.

Etenim homo justificatus, regulariter saltem loquendo (5), usum

---

(1) Tamen executio operis potest aliud offerre bonum, distinctum a merito : v. gr. orationi inest vis *impetratoria,* operi omni pœnali vis *satisfactoria :* si quis serio proponit et statuit se oraturum, se satisfacturum, meretur ; tamen sine executione operis non impetrat, nec satisfacit.

(2) SCHIFFINI, *o. c.,* n. 388.

(3) Cf. SUAREZ, *o. c.,* L. XII, c. 8, n. 9.

(4) De imperio et dominio voluntatis physico, quoad exercitium actus, cf. SCHIFFINI, *Institutiones philosophicæ in compendium* n. 663.

Illud imperium est omnino aliud *ab ordinatione* qua per charitatem homo se et omnia sua semel in Deum retulit. Illa ordinatio requiritur ad meritum ut infrà dicemus, et secundum hanc dicuntur a S. Thoma actus meritorii *imperari* a charitate (1-2, q. 114, a. 4). Assertum quod hîc propugnamus non est oppositum doctrinæ S. Thomæ. Cf. SCHIFFINI, *De gratia,* n. 370, p. 647.

(5) Dicitur : regulariter saltem loquendo, ut abstrahamus a casu possibili, sed extraordinario, quo aliquis, in infantia baptizatus, postea inter infideles vel in silvis

rationis adeptus, fide cognoscet primum esse mandatum diligendi Deum super omnia; huic præcepto si satisfacit (1), actu charitatis se et omnia sua de facto in Deum supernaturaliter ordinat; si vero non satisfacit præcepto, mortaliter peccat (2). Porro homo qui semel sese ad Deum ordinaverit charitate, et nullo peccato mortali hanc relationem retractaverit, quando ponit aliquam actionem moraliter bonam, hæc actio implicite refertur in Deum quia homo semel pro semper se et sua ad Deum ordinavit tamquam ad ultimum finem vitæ suæ; et ad hunc finem, semel intentum charitate, natura sua referuntur omnes fines aliarum virtutum e quibus eliciuntur varii actus moraliter boni in homine. — Quum igitur omnes actus moraliter boni natura sua referantur vere in Deum et charitate referantur supernaturaliter ad verum finem ultimum, nihil jam deest quominus vere cedant in obsequium Dei quatenus est Auctor ordinis supernaturalis, et proinde sint vere meritorii.

Prædictum argumentum sic exponitur a S. Thoma:

« Ad hoc quod aliquis actus sit meritorius in habente charitatem, non requiritur quod actu referatur in Deum; sed sufficit quod actu referatur in aliquem finem convenientem, qui habitu refertur in Deum... Sed constat quod ille qui charitatem habet, se et omnia sua ordinavit in Deum, cui inhæret ut ultimo fini. Ergo quidquid ordinat vel ad se vel ad aliud quodcumque sui, meritorie agit, etiam si actu de Deo non cogitet; nisi impediatur per aliquam inordinationem actus, qui non sit referibilis in Deum. Sed hoc non potest esse quin peccatum sit, saltem veniale. Ergo omnis actus habentis charitatem vel est meritorius vel est peccatum; et nullus est indifferens » (3).

374. *Objectio.*

Objectio. Omne meritum vitæ æternæ simul incrementi charitatis meritum est; atqui charitas non augetur nisi per actus qui *ex ipsa* procedunt; id enim omnibus habitibus commune est. Ergo illa opera meritoria sunt vitæ æternæ, quae vel sunt actus charitatis eliciti, vel saltem imperati.

R. Conc. Maj.

Nego min. — Ad rationem additam, distinguo: id commune est om-

---

relictus, quum ad usum rationis pervenerit non cognosceret debito modo præceptum charitatis, et nec actum faceret charitatis, nec peccaret : quo de casu variæ possunt moveri quæstiones, etiam connexæ cum quæstione de merito. Cf. *Collat. Brug.*, t. II, p. 184 ss. — In sententia quam propugnamus, loquimur de homine qui semel *actum* charitatis *elicuit ;* de hoc etiam constanter loquitur S. Thomas.

(1) Variis modis potest actu exerceri charitas, v. gr. operando ut placeam Deo, vitando peccatum *quia* displicet Deo ; orando ut sanctificetur nomen Dei, ut fiat ejus voluntas, gaudendo de perfectionibus divinis, optando ut nemo offendat Deum, etc. Cf. BOUQUILLON, *De Virtutibus theologicis,* n. 454 ; BUCCERONI, *Institutiones theologiæ moralis,* Ed. 2a, Romæ, 1893, n. 381.

Cf. BOUQUILLON, *o. c.,* n. 453.

(3) *De Malo,* Q. II, a. 5, arg. 11 quod approbat S. Thomas; idem docet in *Libr. Sent.,* II, D. 40, q. 1, a. 5 ; *De caritate,* a. 11, ad 2. Sententiam hanc propugnant CAPREOLUS, in II, D. XL, a. 1. CAJETANUS, in 1-2, q. 8, a. 3 ; SOTO, *De natura, et gratia,* L. III, c. 4 ; PIGNATARO, *De Gratia,* p. 486 ; TERRIEN, *o. c.,* p. 26 qui et alios auctores citat. Refert etiam testimonia valde notanda trium auctorum qui in *scriptis asceticis* illi doctrinæ omnino adhærent : sunt nempe S. IGNATIUS, *Exercitia spiritualia,* 1a hebdom., examen consc., gener. ; LUDOVICUS GRANATENSIS, *La guide des pécheurs,* L. I, c. 14 ; S. FRANCISCUS SALESIUS, *Traité de l'amour de Dieu,* L. XI, c. 4, L. XII, c. 8.

nibus habitibus *naturalibus* seu *acquisitis, concedo;* hoc commune est etiam habitibus *infusis,* nego.

Nego consequens.

Explicatur. Major ab omnibus admititur: quum enim charitas sit ipsa *tendentia* ad Deum tanquam *ad ultimum finem,* oportet ut gradus vitæ æternæ, scilicet visionis Dei beatificae, quae est ipsa possessio ultimi finis, proportionetur gradui *charitatis ;* præterea charitas semper proportionatur gratiæ sanctificanti et visio Dei beatifica semper proportionatur *gratiæ sanctificanti:* hæc enim animam reddit participem naturæ divinæ et *ideo* radicaliter capacem visionis intuitivæ.

Quoad distinctionem adductam, facile perspicitur ejus ratio: nam habituum naturalium seu acquisitorum actus ipsi sunt *causa physica efficiens* tum habitus, tum ejusdem augmenti: actuum enim repetitione et gignitur et augetur habitus naturalis: inde ex actu elicito ab uno habitu non augetur alius habitus realiter distinctus a primo.

Sed virtutum infusarum causa physica efficiens non est *actus* (1), sed solus Deus: qui est causa efficiens physica tum infusionis, tum augmenti habitus.

« Virtutes, ait *S. Thomas,* intenduntur in quantum subjectum reducitur magis in actum ipsarum per actionem agentis causantis eas. Unde sicut virtutes acquisitæ augentur ex actibus per quos causantur, ita virtutes infusæ augentur per actionem Dei a quo causantur » (2). Porro nihil impedit quominus Deus *intuitu unius actus* augeat omnes virtutes infusas simul; imo propter connexionem ad invicem omnium virtutum infusarum, hæc revera simul semper augentur a Deo, secundum communem theologorum sententiam (3).

Adnotatio. Objectio quam solvimus est argumentum quo utitur *Bellarminus* ad confirmandum sententiam asserentem *bonum opus non esse meritorium vitæ æternæ, nisi ex charitate procedat:* quam sententiam sic explicat: « Quamvis non desint gravissimi auctores, qui sentiant, omne opus bonum hominis justi, et habitu charitatis præditi, vitæ æternæ meritorium esse: nobis tamen probabilius videtur ad meritum exigi ut opus bonum, vel tunc, cum fit, *imperetur a charitate,* atque in Deum ut finem supernaturalem et ultimum referatur : vel certe nascatur ab actu imperato a charitate atque in Deum ante relato, quod est *virtute,* non actu in Deum *referri* » (4).

— Notemus bene Bellarminum, quando loquitur de actu imperato a charitate, intelligere actum qui procedit ex *influxu permanente* alicujus *actus* charitatis; non est ergo sermo de imperio de quo loquitur S. *Thomas* dicendo quod « aliæ virtutes *imperantur a charitate* » (5).

375. Explicatur quo sensu actus ut sint meritorii debeant referri in Deum.

4. *Actus ut sint meritorii debent in Deum referri ut videtur* **virtua-**

---

(1) Actus supernaturalis, in homine justificato, est *dispositio* ad augmentum et etiam causa *meritoria,* quæ, non physice, sed *moraliter* influit. V. suprà, n. 208, 213.

(2) *De Virtutibus in communi,* a. 11.

(3) ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, *De Virtutibus cardinalibus, Tract.,* I, Introductio, n. 20 ; SCHIFFINI, *De Virtutibus infusis,* n. 34. Hîc dicimus omnes infusas virtutes augeri *simul,* non dicimus *omni actu* elicito ab una virtute hanc virtutem aliasque augeri. Sed tenemus quod suprà, n. 211 ss., propugnavimus : scilicet non actu augeri virtutem infusam nisi per actum *intensiorem.* Ita, v. gr. si actus religionis elicitur intensior, augetur actu virtus infusa religionis, et concomitanter omnes aliæ virtutes. Si nullus intensior actus elicitur, nulla virtus actu augetur.

(4) *De justificatione,* L. V, c. 15, n. 8, n. 12.

(5) *Sum. Theol.,* 1-2, q. 114, a. 4. Cf. *Collat. Brug.,* t. XII, p. 323.

liter, *sensu quo S. Thomas intelligit hoc vocabulum, non eo sensu quo hoc vocabulum intelligunt theologi recentiores.*

Prænotandum. Imprimis consideremus oportet, alium esse modum loquendi de hac re apud *S. Thomam,* alium apud *posteriores theologos,* nominatim diversam esse significationem locutionis: relatio *virtualis.*

A posterioribus theologis distinguitur quintuplex *relatio* in Deum:

a/ habitualis, quæ consistit in sola existentia habitus charitatis in supposito, quando aliquod bonum opus operatur;

b/ actualis, quæ consistit in actu charitatis actualiter movente ad actum alterius et illum in finem suum, Deum propter se dilectum, ordinante;

c/ objectiva, quæ consistit in actu charitatis olim elicito et nunquam retractato, qui tamen non amplius virtute durat, qua moveat ad agendum;

d/ virtualis, quæ consistit in actu charitatis olim elicito et adhuc permanente non quidem in se (sic enim esset actualis) sed *virtute* in alio actu ad quem movet vel quo mediante movet ad alium actum (1);

e/ connaturalis, quæ non nascitur ex *præcedenti actu* sed ex *necessaria connexione* inter aliquam *virtutem* et *virtutem charitatis:* consistit in naturali inclinatione actus alicujus virtutis in finem charitatis (2).

S. Thomas distinguit relationem *habitualem, actualem, virtualem.*

Habitualis relatio est totius hominis et omnium suarum facultatum in Deum ordinatio per gratiam sanctificantem et charitatem, quæ sunt habitus animæ inhærentes: sic remanet homo habitualiter ordinatus ad Deum etiam dum dormit et nihil operatur, etiam dum peccat venialiter (3).

Actualis relatio habetur quando homo cogitando de Deo hîc et nunc ordinat ad Deum suam operationem.

Virtualis adest relatio ex hoc ipso quod homo, *habitualiter* ad Deum *conversus* per charitatem, *agit* aliquid quod est *moraliter bonum:* hæc actio, sine ulla alia conditione, est virtualiter relata in Deum. Unde, secundum S. Thomam, virtualis relatio non supponit aliquem actum charitatis præcedentem *ex cujus influxu* procedat,

---

(1) Exemplo res declarari potest : Si quis statuat ire Romam, mediaque ad hunc finem adhibet, in hunc etiam finem refert omnes actus suos qui ad illum finem conducunt. Unde quando parat sarcinas et alia itineri inservientia, in his actibus virtualiter manet illa prima intentio, etiamsi actu non cogitet de faciendo itinere. Si vero aliquid agat, cum hoc fine non connexum, puta comedere, bibere, non facit illos actus ex fine eundi Romam.

(2) Cf. SUAREZ, *De Gratia,* L. XII, c. 9, n. 1 ; MAZZELLA, *De Virtutibus infusis,* n. 1341 ; HURTER, *Compendium Theologiæ dogmaticæ,* T. III, n. 229.

(3) Cf. S. THOMAS, *De caritate,* q. unic., a. 11, ad 3 ; *Sum. Theol.,* 2-2, q. 14, a. 8.

seu a quo, saltem mediate, *dependeat* illa actio quæ dicitur virtualiter relata, sed virtualis relatio habetur ex hoc solo quod *finis operis*, intentus ab agente, tendat, natura sua, ad finem ultimum.

Audiamus S. Doctorem: « Omnia actu referre in Deum, non est possibile in hac vita, sicut non est possibile quod semper de Deo cogitetur : hoc enim pertinet ad perfectionem patriæ; sed quod omnia *virtute* referantur in Deum, hoc pertinet ad perfectionem caritatis ad quam omnes tenentur. Ad cujus evidentiam considerandum est, quod, sicut in causis efficientibus virtus primæ causæ manet in omnibus causis sequentibus; ita etiam intentio principalis finis *virtute* manet in omnibus finibus secundariis : unde quicumque actu intendit aliquem finem secundarium, virtute intendit finem principalem; sicut medicus, dum colligit herbas, actu intendit conficere potionem, nihil fortassis de sanitate cogitans; virtualiter tamen intendit sanitatem, propter quam potionem dat. Sic igitur cum aliquis se ipsum ordinat in Deum, sicut in finem, in omnibus quæ propter se ipsum facit manet virtute intentio finis ultimi, qui Deus est; unde in omnibus mereri potest, si caritatem habet » (1).

Hisce præmissis dicimus : actus, ut sint meritorii, debent referri in Deum implicite, h. e., *virtualiter*, secundum quod intelligitur a S. Thoma hoc vocabulum: hæc autem virtualis relatio duo importat, nempe *habitualem ordinationem* hominis ad Deum per charitatem, ac *operationem* cum intentione finis operis qui sit referibilis in Deum. Hoc porro idem statuit ac sententia modernorum qui tenent non requiri nisi relationem *connaturalem*.

Ratio autem hoc admittendi est quia, cæteris suppositis conditionibus, quando adest virtualis relatio, suprà ad mentem S. Thomæ explicata, jam nihil in actione videtur deficere a vero obsequio præstando Deo: consequenter nihil deest ut opus sit meritorium (2).

376. Ad actus meritorios non requiritur ut homo frequenter referat explicite opera in Deum.

Corollarium. Secundum exposita homo qui semel fecit actum charitatis perfectæ, ideoque se suaque omnia in Deum retulit, quamdiu per mortale peccatum illam non retractavit ordinationem, *meritoria* reddit omnia opera sua moraliter bona. Igitur ut operationes bonæ acquirant rationem meriti non requiritur ut homo frequenter offerat explicite Deo omnia opera sua (3).

---

(1) *De caritate*, q. unic., a. 11, ad 2. — « On le voit par ce passage, les termes *ordination, relation virtuelle* n'ont pas chez S. Thomas le sens qui leur est donné par les théologiens plus modernes. Chez ces derniers, l'acte *virtuellement* rapporté à la gloire de Dieu, fin de la charité, doit dépendre, médiatement au moins, d'un acte antérieur de charité tellement qu'il ne serait pas, si l'influence de cet acte antérieur faisait totalement défaut. Pour S. Thomas, il suffit à la relation virtuelle que la fin particulière, objet de l'acte, s'harmonise avec la fin dernière et que *l'agent* demeure *habituellement* ordonné vers cette fin de la charité ». TERRIEN, *La grâce et la gloire*, T. II. p. 47, note 2.

(2) Non sufficit *habitualis* relatio quia cum illa potest homo nihil agere : qui vero nihil agit, non meretur ; imo, remanente habituali relatione, potest homo peccare venialiter ; peccando autem nemo meretur. Ad rem S. THOMAS : « Habitualiter refert in Deum et qui nihil agit, nec aliquid actualiter intendit, ut dormiens ; sed virtualiter aliquid referre in Deum est agentis propter finem ordinantis in Deum. Unde habitualiter referre in Deum non cadit sub præcepto ; sed virtualiter referre omnia in Deum cadit sub præcepto caritatis ; cum hoc nihil aliud sit quam habere Deum ultimum finem ». *De caritate*, a 11, ad 3. Cf. *De malo*, q. 2, a. 5, obj. 11 cum sol ; *Collat. Brug.*, t. XII, p. 170 ss.

(3) Cf. S. THOMAS, in II, dist. 40, q. 1, a. 5, ad 6.

Non tamen inutilis est censenda illa piorum hominum praxis qua initio uniuscujusque diei opera sua offerunt ad Dei gloriam in unione cum Christi meritis (1).

377. *Actus meritorii non debent procedere ex motivo supernaturali.*

5. *Ut videtur, actus ut sint meritorii non debent procedere ex* **motivo supernaturali.**

1. Nam inter ambitum objectivum virtutum infusarum sunt etiam omnes actus qui ad observationem levis mere naturalis spectant et qui, solo naturalis rationis lumine, ut honesti cognoscuntur. Hoc enim videtur docere S. Paulus scribendo: « De cætero, fratres, quæcumque sunt vera, quæcumque pudica, quæcumque justa, quæcumque sancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate » (2) : igitur ab operatione *salutari* hominum justificatorum nullus actus quomodocumque ut honestus apprehendatur, excluditur: consequenter omnes actus moraliter boni elici possunt ab aliqua virtute infusa.

Quod etiam ratione theologica probatur: etenim Deus volendo ut homo possit semper et in omni operatione morali tendere, modo proportionato, ad ultimum finem supernaturalem, diversas infudit virtutes quarum unaquæque correspondet alicui virtuti quæ naturaliter acquiri potest; proinde singulæ virtutes infusæ ordinantur ad eliciendos omnes actus bonos qui continentur in ambitu virtutis acquisitæ correspondentis; et sane theologi, ut determinent quinam sint actus qui ad talem vel talem virtutem *infusam* pertineant, respiciunt imprimis ad ipsum finem operis, qui naturali lumine rationis cognoscitur et inde deducunt specialem rationem honestatis quæ tali actui convenit. V. gr. ut statuatur quinam sint actus pertinentes ad temperantiam stricte dictam, inquiritur quomodo regulandæ sint illæ operationes præcipuæ delectabiles, quæ requiruntur ad conservationem individui et ad conservationem speciei ; regula autem suprema hæc est: ut fiant illa opera delectabilia eo modo ut attingant finem proximum et proprium ad quem ex sese ordinantur a Deo *auctore naturæ:* quare, v. gr. homo recte et virtuose agit quando *usu rationabili* sumit cibum ut servetur sanitas (3): igitur tales actus pertinent ad ambitum objectivum virtutis infusæ *abstinentiæ* et hæc virtus ordinatur ad tales actus eliciendos.

Hoc posito, si homo justificatus recte sumit cibum, intuitu solius servandæ sanitatis, nihil aliud cogitando, hic actus connaturaliter elicietur virtute infusa, eritque supernaturalis et meritorius. — Ad rem SCHIFFINI: « Cum virtus moralis acquisita non necessario dif-

(1) *Collat. Brug.*, t. XII, p. 172 ; *Nouvelle Revue théologique*, 1909, t. 41, p. 564 : in eodem articulo ostenditur, saltem probabile esse actiones nostras, ut *honestæ* sint, non esse in Deum referendas explicite vel *virtualiter* si hoc vocabulum sumitur sicut usurpatur plerumque a theologis hodiernis.

(2) *Philip.* IV, 8.

(3) Cf. ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, *De Virtutibus cardinalibus*, L. III, De Temperantia, n. 11 ss., n. 31.

ferat a correspondente virtute infusa ex parte objecti materialis et ex parte motivi objectivi, ut suo loco ostensum est (n. 206), quoties homini justificato offertur quidquam agendum ex motivo objectivo virtutis acquisitæ, jam constituitur in actu proximo agendi etiam ex virtute infusa. Et ideo nihil mirum si tunc eliciatur actus non mere naturalis, sed ex potentia corroborata per virtutem infusam supernaturalem » (1).

2. Nec requiri videtur ut homo hunc finem operis, cujus intuitu vere movetur ad agendum, explicite referat ad finem supernaturalem, sive ad aliquod bonum supernaturale acquirendum, sive ad aliquam rationem honestatis *fide,* hîc et nunc, apprehensam (2): v. gr. non requiritur ad opus meritorium ut homo volendo sumere cibum ad sanitatem servandam ulterius hanc sanitatem ordinet ad laborandum in salutem animarum; vel fide apprehendat Dei esse voluntatem ut manducet ad sanitatem servandam. Et sane, secundum illa quæ suprà, n. 373, diximus, hic finis implicite refertur ad finem supernaturalem ad quem homo, actu charitatis, se et omnia sua ordinavit. Ad rem PESCH: « Fides ad hoc imprimis requiritur ut homo possit habere intentionem finis supernaturalis et versus eum moveatur. Ergo in singulis operibus eatenus fides efficaciam habere necesse est, ut homo gradiatur intra viam et non faciat gressus extra viam. Ad hoc autem opus non est in singulis operibus elici actum fidei aut renovari intentionem finis supernaturalis. Sed sicut is qui peregrinationem instituens in longinquam civitatem, ab initio firmum propositum elicit illuc eundi et vi hujus propositi tamdiu procedit in itinere, quamdiu actum contrarium vel explicite vel implicite non posuerit, ita Christianus, qui semel elicuit firmum propositum actibus suis acquirendi vitam æternam, tamdiu ex hoc proposito agit, quamdiu illud non revocat neque negative, neque positive, neque explicite, neque implicite, qualis revocatio adest in omni gravi peccato. Si vero revocavit, nova conversio ad finem requiritur » (3).

Nota. Sententia quam propugnamus videtur omnino conformis menti S. Thomæ (4) et S. Bonaventuræ (5). Hanc propugnat Vasquez (6), rejicit vero Suarez (7).

---

(1) *De Gratia,* p. 660. Idem docent TERRIEN, *La grâce et la gloire,* t. II, p. 61 s. ; PIGNATARO. *De Gratia,* p. 460, 472 ; card. BILLOT, *De Gratia,* p. 261 ss.

(2) Concedimus quod de facto fideles, qui recte agunt, ordinario ex motivo, saltem remoto, desumpto ex fide agunt : nam cognitio de honestate actuum plerumque apud ipsos dependet a fide. Cf. TERRIEN, *o. c.,* p. 62. — Praeterea secundum ordinarium cursum vitae moralis hominum requiritur frequens exercitium virtutum theologicarum, nominatim fidei, ut homines perseverent in statu justificationis.

(3) *O. C.,* t. V, n. 408.

(4) In II, dist. 38, q. 1, a. 1 ad 4.

(5) In II, dist. 41, a. 1, q. 3 ad 6 (in fine) (T. II, p. 946).

(6) In 1-2, dist. 217, c. 6 ss. Non videtur admittenda hujus auctoris opinio de natura et influxu gratiæ requisito ad opus salutare.

(7) *De gratia,* L. XII, c. 10, n. 19, 28. — Cf. *Collat. Brug.,* t. XII, 259 ubi ulterior datur explicatio de propositione.

6. *Judicium practicum, ex quo procedit actus voluntatis meritorius, debet esse entitative supernaturale.*

378. Judicium practicum ex quo procedit actus meritorius debet esse supernaturale.

Judicium practicum quo discernitur aliquid hîc et nunc esse agendum vel omittendum (1) est positiva dispositio ad ipsum actum salutarem, consequenter debet esse supernaturale. V. suprà, n. 52.

Illud judicium, in homine justificato (de quo solo hîc sermo est quum agatur de merito *de condigno*) elicitur virtute infusa prudentiæ (2).

379. Quo modo ratio meriti dependeat tum a gratia sanctificante, tum a charitate.

Scholion. 1. Si quæratur qua formali ratione influat tum gratia sanctificans tum charitas in actu meritorio, respondemus : *a gratia sanctificante* provenit formaliter *condignitas* operis : v. suprà, n. 365 ; a charitate provenit formaliter *relatio operis in Deum :* charitas enim est virtus quæ tendit in ultimum finem sub ratione ultimi finis et ideo omnes alias virtutes ordinat ad finem suum (3). Quia per charitatem homo semetipsum et omnia sua refert ad Deum ut ad finem simpliciter ultimum, ideo omnes actus aliarum virtutum referuntur in Deum per charitatem : quia finis proprius aliarum virtutum est per se, natura sua, subordinatus fini proprio charitatis. Ad rem S. Thomas : « Et hinc etiam apparet quomodo charitas sit motor omnium virtutum ; inquantum scilicet importat actus omnium aliarum virtutum. Omnis enim virtus vel potentia superior dicitur movere per imperium inferiorem ex eo quod actus inferioris *ordinatur ad finem* superioris, ipsa imperat actus omnium virtutum et ex hoc dicitur motor earum » (4).

Inde concludimus meritum vitæ æternæ primario pertinere ad charitatem, ad alias autem virtutes secundario, secundum quod eorum actus a charitate ordinantur in Deum (5).

380. In homine justificato omnis actus humanus est vel meritorius vel demeritorius.

2. Ex dictis de conditionibus requisitis ad meritum de condigno, concludimus in homine justificato omnem actum moraliter bonum esse et supernaturalem et meritorium. — Imo quum censeamus nullum actum humanum esse *in individuo* moraliter indifferentem adhæremus sententiæ S. Thomæ docentis : « *Habentibus charitatem omnis actus* [*humanus*] *est vel meritorius vel demeritorius* (6) ». Loquimur de homine qui saltem semel elicuit actum charitatis per-

(1) Illud judicium non est actus fidei, quæ, proprie loquendo, est in intellectu *speculativo*. Cf. S. THOMAS, *De veritate*, q. 24, a. 4 ; 1, q. 14, a. 16 ; SCHIFFINI, *De gratia*, n. 372 ss.

(2) Cf. *Collat. Brug.*, t. XII, p. 397, t. VI, p. 409.

(3) Cf. S. THOMAS, 2-2, q. 26, a. 1 ad 1, q. 24, a. 8 ad 3.

(4) *De charitate*, a. 3. — Eadem ratione charitas est *forma virtutum :* cf. TERRIEN, *o. c.*, t. II, p. 20 ss.; ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, *Annotationes de virtutibus theologicis*, introd., n. 3 ; *De virtutibus cardinalibus*, n. 19 ; *Collat. Brug.*, t. VI, p. 410 ; card. BILLOT, *De virtutibus infusis*, p. 386 ss.

(5) Cf. card. BILLOT, *De gratia*, thes. XX, p. 258.

(6) DE MALO, q. 2, a. 5 ad 7. Cf. CAPREOLUS, in II, dist. 40, a. 1 (t. IV, p. 454 ss.) ; CAJETANUS, in 1-2, q. 8, a. 3 ; SOTO, *De natura et gratia*, L. III, c. 4 ; TERRIEN, *o. c.*, t. II, p. 26 ; *Collat. Brug.*, t. XII, p. 13-21 ; card. BILLOT, *De Gratia*, p. 260 ss.

fectæ. Salmanticenses ultro progrediuntur et statuunt : « Hominem existentem in gratia prius quam actum charitatis formalem eliciat, mereri, per omnes actus suos moraliter bonos, vitam æternam de condigno, adeoque pro nullo casu admittendum esse in illo actum bonum qui meritorius non sit, quamvis opposita sententia sit sat probabilis etiam in via D. Thomæ » (1).

381. Conditiones meriti de congruo.

ARTICULUS IIIus. **De conditionibus meriti de congruo.**

Quum actus meritorius de congruo (v. suprà, n. 155) non habeat rationem æqualitatis cum præmio, ideo non requirit statum gratiæ in operante (v. suprà, n. 379) ; nec etiam supponit promissionem ex parte Dei, nititur liberalitati divinæ.

Ex parte vero operis ipsius requiruntur *bonitas moralis, libertas indifferentiæ, supernaturalitas :* quoad hoc ultimum, requiritur in homine non justificato ut influxu gratiæ actualis ponatur actus, quum nullus actus mere naturalis habeat, in præsenti Providentiæ ordine, positivum valorem in ordine salutis : v. suprà, n. 163. Priores conditiones requiruntur propter eamdem rationem quæ spectat meritum de condigno : v. suprà, n. 366-368.

382. Utrum meritum de congruo sit distinguendum in fallibile et infallibile.

Nota. 1/ Non pauci auctores meritum de congruo distinguunt in *fallibilem* et *infallibilem*. Hæc distinctio, ut videtur, caret solido fundamento. Unicum quod tradunt auctores exemplum actus meritorii de congruo *infallibili* est actus charitatis perfectæ eliciti a peccatore, cui actui, dicunt, promisit Deus infusionem gratiæ sanctificantis. Quæ explicatio non recta videtur nam actus charitatis perfectæ est per se ratione sui, *ultima dispositio* exigens infusionem gratiæ (v. suprà, n. 183); ibi non adest ratio *meriti de congruo*. — Prædictus actus qui est ultima dispositio ad gratiam sanctificantem infundendam est *meritorius de condigno* vitæ æternæ, ut dicit S. Thomas: « Praeparatio hominis ad gratiam [sanctificantem] habendam quædam est simul cum ipsa infusione gratiæ [hæc præparatio est actus charitatis perfectae, v. suprà, n. 186], et talis *operatio* est quidem meritoria, sed non gratiæ, quæ jam habetur, sed *gloriæ*, quæ nondum habetur » (2).

Notula de S. Bonaventura.

2/ S. Bonaventura quoad modum loquendi differt a S. Thoma et plerisque theologis circa meritum de condigno: rationem meriti de condigno restringit et extendit rationem meriti de congruo. Ita dicit hominem justificatum non posse mereri *de condigno augmentum* gratiæ. Triplex meritum de congruo distinguit (3).

---

(1) *Tractatus XVI*, disp. 4, dub. 6. *Collat. Brug.*, t. XII, p. 21. Card. BILLOT, *De Gratia*, p. 266 ss. propugnat omnes actus moraliter bonos, in homine justo, etiam prius quam actum charitatis formalem eliciat, esse meritorios de condigno vitae aeternae.

(2) 1-2, p 112, a. 2 ad 1. Cf. PESCH, *o. c.*, n. 420 ss.

(3) In II, dist. 27, a. 2, q. 2. V. scholion editorum (t. II, p. 665). Ibi dicit S. Bonaventura : « Peccator per bona opera in genere facta extra charitatem, meretur de congruo primam gratiam ». Agitur de prima gratia *sanctificante*, et bona opera in genere sunt opera bona facta sub influxu gratiæ actualis. V. suprà, n. 258.

CAPUT III.

DE OBJECTO MERITI.

383. Homo nequit mereri sibi primam gratiam.

In antecedentibus necessario locuti jam sumus de objecto meriti : remanet ut quædam determinemus circa id quod homines secundum diversa adjuncta possint vel sibi vel aliis mereri.

1. *Homo non potest sibi mereri primam gratiam.*

Homo enim adultus nequit per opera mere naturalia sibi mereri, ne de congruo quidem, *gratiam primam actualem,* uti suprà, n. 163-164 demonstravimus.

Nec homo potest *de condigno* sibi mereri *gratiam sanctificantem ;* hoc definivit concilium Tridentinum : « Gratis justificari ideo dicimur quia nihil eorum, quæ justificationem præcedunt, sive fides sive opera, ipsam justificationis gratiam promeretur » (1). Ratio est quia, uti suprà, n. 365 vidimus, gratia sanctificans prærequiritur ad condignitatem meritorii actus, proinde non potest ipsa esse id quod de condigno meretur homo.

384. Justus potest de condigno mereri sibi augmentum gratiæ et gloriæ.

2. *Homo justus mereri potest de condigno augmentum gratiæ ac consequentis gloriæ.*

Hoc de fide est : v. definitionem suprà, n. 354 et explicationem suprà, n. 208 (2).

Suprà, n. 211, exposuimus controversiam circa quæstionem utrum omnes actus supernaturales, etiam *remissi,* obtineant de facto augmentum gratiæ et gloriæ. Sententiam negativam ut probabiliorem propugnavimus: ita tenemus quod si homo, hac in vita, non facit actus ferventiores nunquam habebit augmentum gratiæ (3).

385. et ipsam gloriam.

3. *Homo justus per bona opera meretur de condigno gloriam cœlestem.*

Hoc sequitur ex modo diverso quo concilium Tridentinum (l. c.) loquitur de gloria et de gratia. « De gratia enim solum dicit nos posse mereri ejus *augmentum* ... contra vero docet nos posse mereri gloriam, consecutionem gloriæ, augmentum gloriæ. Primum membrum significat acquisitionem juris ad gloriam, secundum actualem adeptionem gloriæ. Cum vero tertium membrum ut distinctum proponatur, concilium videtur aperte docere nos non solum gloriæ *augmentum* sed *ipsam primam gloriam* posse mereri » (4). Nec obstat quod gloria prima sit debita gratiæ sanctificanti: adultus justificatus potest obtinere gloriam etiam alio titulo, nempe merito.

Inde tenemus quod homo adultus per ipsum actum contritionis

---

(1) *Enchir.,* n. 801. Cf. S. THOMAS, 1-2, q. 114, a. 5.

(2) Cf. S. THOMAS, 1-2, q. 114, a. 8.

(3) Haec sententia arridet etiam Illmo JANSSENS, O. S. B., *De Gratia,* p. 497. Cf. card. BILLOT, *De gratia,* p. 277, 279.

(4) PESCH, *o. c.,* t. V., n. 420. Huic sententiæ contradicunt DE LUGO, *De Incarnatione,* disp. 6, sect 3, p. 386, n. 59 s ; DE RIPALDA, *o. c.,* disp. 89.

perfectæ, quo justificatur, meretur de condigno *gloriam* ipsam (seu primam gloriam) nempe vitam æternam (1).

386. Nequit homo sibi mereri de condigno gratias efficaces.

4. *Homo justus non potest mereri de condigno gratias efficaces præ sufficientibus, nec perseverantiam finalem.*

Hæc sententia est theologice certa.

a/ Quoad gratias *efficaces*, nec Deus bene operantibus formaliter promisit gratias efficaces, nec justi opera bona *per se* ordinantur ad illud præmium : etenim gratia efficax est principium operis salutaris et una operatio bona non ordinatur ad aliam operationem tamquam ad terminum ejusdem. Inde apparet differentia inter gratiam habitualem et gratiam actualem : per opera salutaria potest homo mereri de condigno augmentum gratiæ, quia augmentum habitus est connaturaliter terminus operationis quæ elicitur per habitum; sed altera operatio non est connaturaliter terminus prioris operationis (2). Præterea ipsa *efficacia* gratiæ dependet tum ab hominis libero arbitrio, tum a Dei proposito : sed non potest homo, per operationem unam acquirere jus ad actum electionis *determinatum* subsequentem : nam ipsa libertas electionis immunis remanet; nec potest homo sibi acquirere jus ad hoc ut Deus eligat unum auxilium præ alio.

387. nec perseverantiam finalem.

b/ Quoad perseverantiam finalem. Hæc importat tum gratiam efficacem præ mere sufficienti, tum opportunitatem mortis (v. suprà, n. 346); atqui, ut statim diximus, nequit homo mereri de condigno actualem gratiam, quà hæc est efficax; nec potest homo mereri de condigno opportunitatem mortis; hoc iterum est aliquid ad quod nulla operatio per se ordinatur, et quod unice dependet a libera Dei electione.

Nota. Finalis perseverantia potest *impetratione* obtineri. Nullum enim est verum bonum quod non possit esse objectum impetrationis efficacis, efficacia enim orationis est universalis : « Omnia, quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis. » (3). Perseverantiam obtineri posse precibus docent S. Cyprianus (4) et S. Augustinus (5).

---

(1) CASAJOANA, *o. c.*, vol. IV, disq. IV, n. 165, p. 653 s.

(2) Inde etiam apparet nullum dari *meritum de condigno ad gratias actuales*, etiam abstractione facta ab hoc quod sint efficaces vel mere sufficientes. Homo justificatus habebit auxilia sufficientia ut possit perseverare, sed ex Dei benignitate, non ex merito hominis. V. suprà, n. 334.

(3) *Matth.*, XXI, 22.

(4) *De oratione dominica*, c. 6, n. 10, c. 7, n. 15, c. 16, n. 39.

(5) *De dono perseverantiæ*, c. 2, n. 3. — Quidam auctores dicunt justum posse *de congruo* mereri donum perseverantiæ : aliquo sensu hoc dici potest, quatenus Deo misericordi convenit ut intuitu bonorum operum det perseverantiam. Sed quia homo ne de congruo quidem potest mereri primam gratiam efficacem, quæ est initium perseverantiæ activæ, ideo non potest, ne de congruo quidem, mereri integrum donum perseverantiæ. Cf. PESCH, *o. c.*, t. V, n. 427.

388. *Objectio ex « magna promissione » Cordis Jesu.*

Objectio. In « magna promissione » SS. Cordis dicit Christus se daturum esse perseverantiam finalem omnibus illis qui devote S. Communionem acceperint feria VI, quæ prima occurrit in mense, per novem menses continuos (1) : ergo potest homo per praxim indicatam mereri finalem perseverantiam.

R. Nego consequentiam et consequens quatenus hic non necessario admittatur *meritum* respectu finalis persevantiæ.

Primo quidem non potest esse sermo de merito *de condigno:* ut statim demonstravimus ex ipsa natura rei. Præterea in ipsis verbis Christi, quibus promissionem exprimit, exhibetur perseverantiæ finalis concessio ut speciale donum ex benignitate et misericordia Christi, ut effectus protectionis specialis Christi.

Deinde non constat hîc agi de merito *de congruo.* Non enim omnino constat de significatione prædictæ promissionis, cujus inter catholicos proponuntur tres interpretationes (2) : a/ quidam censent hîc nihil, proprie loquendo, *promitti* a Christo, sed tantum indicari prælaudatam praxim tamquam ex se ipsa valde utilem ad salutem, quin tamen illi fuerint annexæ speciales gratiæ efficaces; b/ alii tenent hîc vere promitti perseverantiam finalem, sed non soli praxi novem communionum, sed indeterminatæ praxi accipiendi S. Synaxim: nempe in « magna promissione », secundum illam sententiam, Christus idem dixisset ac id quod olim dixit: « Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam » (3). Secundum hanc interpretationem habetur quidem promissio, sed non *specialis* promissio. c/ Alii admittunt « magnam promissionem » esse *promissionem* proprie dictam et quidem *specialem* ita ut homines, qui per novem menses continuos, feria VI prima in singulis mensibus, bene communicaverint, obtineant perseverantiam finalem (4).

Ad præsentem nostram quæstionem de merito, nulla est difficultas in prima et secunda interpretatione: nulla tunc agnoscitur praxi novem communionum ratio *meriti* circa finalem perseverantiam. Sed nec in tertia interpretatione videtur admittenda ratio meriti *de congruo:* quia si hæc praxis sola inspicitur non videtur adesse illa ratio *convenientiæ* ut intuitu illius praxis concedat Deus perseverantiam finalem. Unde videtur potius admittenda ratio *impetrationis:* quod consonat verbis Christi dicentis se ex excessiva misericordia cordis sui et ex mero amore se daturum esse perseverantiam finalem his qui per novem continuos menses, feria VI prima, s. communionem acceperint.

389. *Homo potest de congruo mereri sibi uberiores gratias actuales etiam efficaces.*

5. *Homo justus, et etiam peccator, quatenus actualibus gratiis cooperatur, potest de congruo mereri uberiores gratias actuales etiam efficaces* (5).

In operibus enim bonis supernaturalibus sive justi sive peccatoris habentur omnes conditiones, quæ ad meritum de congruo

---

(1) De hujus promissionis authentia, v. *Collat. Brug.*, t. II, p. 220 ss., 334 ss. ; VERMEERSCH, *Pratique et doctrine de la dévotion au Sacré Cœur*, Tournai, 1908, t. II, p. 209 ss. ; 6e édit., Tournai, 1922, p. 137 ss.

(2) Cf. VERMEERSCH, *o. c.*, p. 217 ss.

(3) *Jo.*, VI, 55.

(4) Hanc interpretationem tuetur cl. P. VERMEERSCH, *o. c.*, p. 226 s., illamque defendit, et recte ut videtur, contra objectionem desumptam ex concilio Tridentino definiente neminem habere posse *absolutam infallibilem* certitudinem de propria perseverantia. V. suprà, n. 348.

(5) JUNGMANN, *De gratia*, n. 376.

requiruntur ut obtineantur uberiores gratiæ etiam efficaces ; etenim hominis cooperatio, præsertim generosa, instinctibus Spiritus Sancti est Deo benigno et misericordi quasi titulus ut uberiora et efficacia concedat auxilia.

390. Quid de reparatione post lapsum.

Nota. A/. Controvertitur inter auctores utrum homo possit mereri de congruo *reparationem post lapsum.* 1/ Absque dubio nequit homo in statu peccati mortalis constitutus, mereri de congruo primam gratiam actualem in ordine ad conversionem; v. suprà. n. 160 ss. ; sed primæ gratiæ, prorsus gratuitæ, cooperando potest homo de congruo mereri ulteriores gratias.

2/ Sed quæritur utrum homo justus, dum versatur in statu justitiæ, possit per opera sua bona mereri de congruo reparationem post lapsum. Hoc videtur negandum: nam omne meritum de congruo, quod justi operibus bonis inest, videtur præcipue ordinari ad hoc ut obtineat a Deo gratias uberiores etiam efficaces; quodsi homo non meritus est de congruo auxilia quibus vitasset peccatum mortale, nec meritus est de congruo auxilia illa quæ requiruntur ut resurgat a statu peccati.

S. Thomas in *Summa theologica* (1), explicite docet hominem non posse mereri (sive de condigno sive de congruo) reparationem post lapsum: ad excludendum meritum de congruo dicit quod homo in statu peccati mortalis constitutus nequit supernaturale auxilium a Deo accipere tamquam *mercedem,* nempe status peccati mortalis est status in quo homo est positive aversus a Deo et in quo est objectum iræ divinæ: porro nequit in hoc statu homo consequi aliquam mercedem a parte Dei. Attamen S. Thomas, in *Commentario in epistolam ad Hebræos* (2), videtur admittere hominem posse de congruo mereri reparationem post lapsum, quia Deus non obliviscitur boni operis et dilectionis antea habitæ.

S. Bonavenura (3) dicit quod homo in statu gratiæ existens potest, orando ac petendo a Deo reparationem si caderet, hanc mereri de congruo.

391. et de bonis temporalibus.

B/. S. Thomas dicit: « Si *temporalia bona* considerentur *prout sunt utilia ad opera virtutum,* quibus perducimur in vitam æternam, secundum hoc directe et simpliciter cadunt sub merito sicut et augmentum gratiæ et omnia illa quibus homo adjuvatur ad perveniendum in beatitudinem post primam gratiam » (4). Igitur censet S. Thomas bona temporalia quatenus sunt utilia ad exercitium virtutis posse esse objectum meriti de condigno sicut *augmentum gratiæ.*

Bona temporalia *secundum* se considerata non sunt objectum meriti *de condigno,* sed meriti *de congruo* quatenus « homines moventur a Deo ad aliqua temporaliter agenda, in quibus suum propositum consequuntur, Deo favente » (5). « Hinc juxta mentem D. Thomæ non tantum justi,

---

(1) 1-2, q. 114, a. 7.

(2) In cap. VI, lect. 3.

(3) In II, dist. 28, dub. 2 (t. II, p. 691).

(4) 1-2, q. 114, a. 10. Non ideo dicendum bona temporalia habere rationem gratiæ actualis. V. suprà, n. 283, 290.

(5) *Ibid.* Hoc meritum, quod respicit bona temporalia, secundum se considerata, non est meritum simpliciter, sed meritum secundum quid et non pertinet ad ordinem gratiæ, sed ad ordinem naturæ : sic, ut videtur, recte dicitur peccatores quandoque hac in terra propter opera bona naturalia remunerari per bona temporalia. Ad rem Cajetanus : « Sicut bonum est duplex, simpliciter et secundum quid, ita meritum. Et merito simpliciter, quod est meritum gratiæ, respondet bonum simpliciter ; merito

verum etiam peccatores possunt, per opera moraliter bona, de congruo mereri bona temporalia » (1).

392. Homo justus potest de congruo mereri aliis ea quæ potest sibi mereri et etiam primam gratiam.

6. *Homo justus potest de congruo mereri aliis eadem quæ potest mereri sibi et etiam primam gratiam.*

Nullus purus homo (excipitur Christus, ut infrà dicetur), potest *de condigno* mereri aliquid alteri; quia meritum de condigno, quod est meritum proprie dictum, est opus mercede retribuendum (2), inde merces danda est illi qui opus fecit et in proportione cum valore ipsius operis ; adeoque meritum de condigno ita operanti proprium est ut illud nunquam possit cedere alii (3).

Sed homo, simul ac de condigno meretur sibi, potest sua opera bona Deo offerre ut Deus concedat ex benignitate aliis bona, et convenit Deo ut intuitu bonorum operum oblatorum ab illis qui amici sunt ejus, elargiatur aliis dona. Ad rem S. Thomas : « Quia homo in gratia constitutus implet Dei voluntatem, congruum est secundum amicitiæ proportionem ut Deus impleat hominis voluntatem in salvatione alterius, licet quandoque possit habere impedimentum ex parte illius cujus aliquis sanctus justificationem desiderat » (4). Quod S. Thomas hîc dicit de prima gratia obtinenda alteri, potest propter paritatem rationis dici de aliis donis gratiæ et etiam de bonis temporalibus, inquantum *salutaria* sunt. — Ille operum bonorum justorum valor secundum quem titulus sunt quo Deus ex benignitate concedat dona aliis, nititur in illa bonorum inter membra Ecclesiæ communicatione, quæ vocatur *communio Sanctorum* et describitur a Leone XIII his verbis : « Nihil est enim aliud sanctorum communio... nisi mutua auxilii, expiationis, precum, beneficiorum communicatio inter fideles vel cœlesti patria potitos, vel igni piaculari addictos, vel adhuc in terra peregrinantes, in unam coalescentem civitatem cujus caput Christus, cujus forma caritas » (5).

392bis. De Sanctorum meritis in nostram utilitatem.

In *liturgicis* orationibus saepe a Deo postulamus nobis auxilium *meritis* et *precibus* Sanctorum. Ita v. gr., in Canone Missae : « Communicantes et memoriam venerantes in primis gloriosae

---

secundum quid respondet bonum secundum quid, scilicet temporale bonum secundum se... Quemadmodum in merito simpliciter invenitur prima radix ordinatio divina per gratiæ donum et secunda liberum arbitrium ; ita in merito secundum quid invenitur ordinatio divina non per gratiam, quia non est aliquid excedens naturam, sed per propositum consequendi illud temporale ; et liberum arbitrium operans pro consecutione illius. Ut sic sit meritum secundum quid hominis apud Deum proportionaliter sicut meritum simpliciter ; et merces ab eodem reddatur, qui tanta bonitate affluit, ut etiam inter malas nostras voluntates gaudent se ordinare opera quæ remuneret. » In 1-2, q. 114, a. 10.

(1) Nota ad Summam theologicam cum notis Nicolai, Sylvii, Billuart, Drioux. Parisiis 1885, t. III, p. 599.

(2) V. suprà, n. 155.

(3) Apparet hîc differentia inter meritum et satisfactionem : homo potest satisfacere *pro alio*, loco alterius, non potest mereri loco alterius.

(4) *Sum. Theol.* 1-2, q. 114, a. 6.

(5) *Encyclica* « Miræ caritatis », in *Collat Brug.*, t. VII, p. 386.

semper Virginis Mariae... et omnium Sanctorum tuorum quorum *meritis precibusque* concedas ut in omnibus protectionis tuae muniamur auxilio ».

Similis formula recurrit in multis orationibus ad aliquem Sanctum directis. V. gr. « Deus qui beatum Nicolaum Pontificem innumeris decorasti miraculis : tribue, quaesumus : ut ejus meritis et precibus a gehennae incendiis liberemur » (1). « Deus... concede propitius ut... gloriosis meritis et precibus omnium Sanctorum cruci fideliter adstantium intercedentibus, passionis tuae effectum felicem consequamur (2). — Quandoque sermo fit de *suffragantibus meritis* (3), quandoque de *meritis et intercessione* (4), quandoque ita dicitur : « Sanctissimae Genitricis tuae Sponsi, quaesumus, Domine, meritis adjuvemur : ut quod possibilitas nostra non obtinet, ejus nobis intercessione donetur » (5) quandoque de solis meritis explicita fit mentio : « Preces populi... clementer exaudi ut B. meritis adjuvemur » (6).

In illis orationibus, per nomen *merita* designantur, ut videtur, merita proprie dicta Sanctorum, nempe opera eorum salutaria quibus meriti sunt *de condigno* gradum gratiae et gloriae, quo fruuntur in coelo. Etenim in illis orationibus breviter recolitur doctrina Ecclesiae de eo quod Sancti agunt in nostram utilitatem. Jamvero illa doctrina redit ad hoc: Sancti, in coelo, a Deo nobis deprecantur bona, praesertim supernaturalia ; precibus autem Sanctorum inest specialis vis impetratoria, specialis efficacia ad impetrandum nobis bona, adeoque potentes sunt Sancti ad adjuvandum nos. Jamvero illa potentia ad obtinenda nobis bona, illa efficacia precum provenit ex sanctitate illorum, ex ardenti erga Deum amore, ex intima cum Illo amicitia et unione : quae procedunt *ex meritis* Sanctorum : quippe qui operibus meritoriis de condigno, hac in terra peractis, obtinuerunt continuo augmentum gratiæ et gloriæ, ita ut pervenerint ad illum gradum quo fruuntur in coelo : igitur *merita* proprie dicta Sanctorum sunt revera titulus quo preces illorum efficaces sunt apud Deum, ad obtinendum nobis bona : adeoque rite a Deo auxilium petimus *meritis et precibus* Sanctorum, vel eorum *suffragantibus meritis,* vel *meritis* tantum, quatenus sunt titulus quo efficaciter adjuvant nos Sancti.

Quod talis sit sensus illarum orationum confirmatur ex quibusdam orationibus. V. gr. « Exaudi, quaesumus, Domine, preces nostras, quas in beati Leonis Confessoris tui atque Pontificis solemnitate deferimus : et, qui tibi digne meruit famulari, ejus intercedentibus meritis nos absolve peccatis » (7). Nempe, S. Leo,

---

(1) *Mis. Rom.* die 6a Dec.
(2) *Mis. Rom.* Fer. VI post dom, Passionis.
(3) *Mis. Rom.* die 29a Jan., die 6a Junii, die 19a Octobr.
(4) *Mis. Rom.* die 6a Febr., 22a Apr., 24a Apr.
(5) *Mis. Rom.,* die 19a Martii.
(6) *Mis. Rom.,* die 16a Jan., 27a Maii ; secr. Missæ « Intret » de plur. martyr.
(7) *Mis. Rom.,* die 11a Aprilis ; v. etiam die 2a Maii ; etiam orat. Missae « Sacerdotes tui » de Conf. Pont.

hac in terra, *meruit* digne famulari Deo, scilicet meritoriis operibus, seu *meritis de condigno* obtinuit ut digne, imo heroïce, famularetur Deo, adeoque *illis meritis intercedentibus,* nempe illis meritis, invocatis tamquam titulo exauditionis, postulamus nobis a Deo bona. — « Sancti tui, quaesumus, Domine, nos ubique laetificent : ut, dum eorum merita recolimus, patrocinia sentiamus » (1). Recolimus *merita,* h. e. meritoria opera quae Sancti, hac in terra, perfecerunt, et illa nobis ut titulus sunt quo patrocinia eorum sentiamus. — Censemus proinde, in praedictis liturgiae orationibus, agi de auxilio Sanctorum quod inest formaliter vi impetratoriae precum illorum, quae vis procedit ab illorum *meritis de condigno.*

Ne confundantur Sanctorum *satisfactiones* cum meritis. Satisfactiones, objective spectatae, sunt fructus bonorum operum qui valet ad hoc ut remittantur poenae temporales debitae peccatis. Quum Sancti fructum satisfactorium obtinuerint, qui valuit ultra id quod sibi necessarium esset ad remissionem poenarum temporalium sibi bebitarum, vel quem libere aliis concesserunt, inde constitutus est, cum satisfactionibus B. Mariae V. et ipsius Christi, thesaurus, uti dicitur, Ecclesiae : ex quo thesauro divitiae diffunduntur tum hominibus hac in terra degentibus, tum animabus Purgatorii ; illa elargitio fit nominatim per *indulgentias* (2).

393. Christus aliis meritus est de condigno salutem.

Nota. Christus, utpote constitutus a Deo caput humani generis reparandi, meritus est *de condigno* gratiam hominibus restituendam : recepit enim Christus gratiam ut ab ipso dimanaret aliis, ac omnes, qui actualem Christi gratiæ influxum recipiunt, sunt ex hoc ipso Christi saltem partialiter membra et aliquo modo pertinent ad Ecclesiam (3).

Practicum Scholion.

394. Doctrina de merito valde incitatur homo ad recte agendum et patiendum, tum intuitu præmii quod sibi obtinet,

1. Considerando nos posse per singula nostra opera mereri augmentum gratiæ et beatitudinis cœlestis, incitabimur ut *singula* opera nostra efficiamus meritoria ; irreparabiliter enim amittitur occasio acquirendi novi gradus beatitudinis si vel unum opus est malum. Præterea « si consideremus quæ et quanta sunt quæ nobis promittuntur in cœlis, vilescunt animo quæ habentur in terris... Sed ad magna præmia perveniri non potest nisi per magnos labores » (4). Quod maxime valet ad exercitium patientiæ ac for-

(1) *Mis. Rom.*, secr. missae « Statuit » de Conf. Pont.

(2) Cf. *Cod. Jur. Can.*, can. 911. — Hic non loquimur de satisfactione quatenus est formaliter compensatio pro laesione honoris illata per offensam et tendens ad ablationem reatus *culpae.* V. suprà, n. 157. Cf. card. BILLOT, *de Ecclesiae Sacramentis,* t. II, *De poenitentia,* thes. VI.

(3) Cf. S. THOMAS, *Sum. Theol.*, 3, q. 19, a. 4, q. 48, a. 1, q. 52, a. 5. — De gratia capitis in Christo, cf. *Collat. Brug.*, t. XIV, p. 225 ss.

(4) S. GREGORIUS, *Homilia 37 in Evangelia.* In *Breviario Romano* homil. de communi unius martyris.

titudinis : quæcumque enim sunt mala, sive corporalia, sive spiritualia, quæ nos affligunt, dolores hujus vitæ valde exigui sunt si comparentur futuræ gloriæ quæ aliquando nobis conferetur (1). Imo quo majus est malum, quatenus est objectum virtutis, eo majus esse potest meritum.

tum intuitu gratiarum quas aliis obtinere potest.

2. Homo justificatus non solum *sibi* potest mereri (v. suprà, n. 392), sed potest etiam *aliis* de congruo mereri gratias et bona. Inde ex charitate impelletur homo ut per sua opera bona, præsertim ferventiora, nominatim per exercitium mortificationis (2), obtineat a Deo conversionem peccatorum, perseverantiam justorum, extensionem sanctæ Ecclesiæ, etc. Inde doctrina meriti est etiam validum incitamentum zeli.

---

(1) Cf. *Rom.*, VIII, 18.
(2) Cf. MAHIEU, *Probatio charitatis*, p. 161, 417 ss., 489.

PARS QUARTA

DE DISTRIBUTIONE GRATIÆ.

Connexio rerum. Hucusque exposuimus qualis sit necessitas gratiæ, generice sumptæ, quænam sit essentia diversarum specierum gratiæ, qualis sit effectus moralis actionum quæ ex gratia fiunt : remanet ut aliquid dicamus de norma secundum quam Deus gratiam suam elargitur. *395. Connexio rerum.*

Hîc non loquemur de infantibus ; hi in tantum beatitudinem cœlestem possunt adipisci in quantum recipiunt baptisma ; et de Providentia divina, quatenus respicit collationem baptismatis, agitur in tractatu de Deo, ubi sermo fit de voluntate Dei salvifica (1). Loquimur de adultis et quæstio nostra versatur præsertim circa gratiam actualem : per hanc enim homo disponitur positive ad accipiendam gratiam sanctificantem (2) et adjuvatur ad eamdem receptam conservandam. Successive dicemus de *justis*, de *peccatoribus* qui fidem retinuerunt, de *infidelibus*.

CAPUT I.

DE GRATIA CONCESSA JUSTIS.

PROPOSITIO. *Justis omnibus dat Deus gratias vere sufficientes ut mandata Dei implere possint.* *396. Justis dantur gratiæ sufficientes ad mandata omnia servanda.*

Hæc propositio est materialiter eadem, quam suprà, n. 331, demonstravimus, nempe *omnibus justificatis dari omne quod requiritur ut possint perseverare.* Aliunde cognoscimus justificatum indigere gratia actuali, interdum saltem collata (v. suprà, n. 336) : ergo justificatis conceduntur a Deo gratiæ actuales vere sufficientes ut possint observare mandata Dei. Hinc damnata fuit propositio Jansenii : « Aliqua Dei præcepta hominibus justis, volentibus et conantibus secundum præsentes quas habent vires sunt impossibilia ; deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant » (3). Assertum proprie intelligendum est de gratia sufficiente ad vitandum peccatum *mortale,* licet indubium sit a Deo concedi gratias actuales

(1) JUNGMANN, *De Deo uno et trino,* n. 289 ss., Card. BILLOT, *De Deo,* thes. 27 ; VAN NOORT, *De gratia,* n. 84 ss. ; VAN DER MEERSCH, *De Deo uno et trino,* n. 537 ss.
(2) V. suprà, n. 177.
(3) *Enchir.,* n. 1092.

sufficientes ut justi possint vitare peccata venialia *singillatim* spectata (1).

397. **Ecclesiæ membris** *abundantiores gratiæ conceduntur quam aliis.*

Nota. Licet possint esse justi extra corpus Ecclesiæ catholicæ, illisque Deus concedat gratias vere sufficientes ut possint perseverare, tamen abundantiores et efficaciores gratias concedit Deus membris Ecclesiæ : his enim multo magis præsto est usus sacramentorum et offeruntur auxilia externa, quæ sæpissime sunt occasio qua elargitur Deus gratias actuales. Collatio gratiarum facta membris Ecclesiæ præ aliis elucet in sanctitate, quæ est nota distinctiva veræ Christi Ecclesiæ, et quæ maxime consistit in eximia perfectione illorum qui ut « sancti » coluntur (2).

Caput II.

DE GRATIA CONCESSA PECCATORIBUS.

398. Sufficientes gratiæ ad conversionem concedi peccatoribus etiam obstinatis, explicatur,

PROPOSITIO. *Deus peccatoribus fidelibus etiam obstinatis gratias sufficientes confert quibus possint pœnitentiam agere.*

Prænotandum. 1. Loquimur de peccatoribus qui fidem servaverunt. « Ex his alii sunt *communes*, ad quos etiam pertinent consuetudinarii et recidivi, ex infirmitate delinquentes, alii sunt *obstinati,* qui ex jugi gratiarum neglectu et enormitate peccatorum facti sunt mente obcæcati et corde obdurati » (3).

2. *Obstinatio* est quædam firmitas in peccato per quam aliquis a peccato reverti non possit. Obstinatio dicitur *perfecta,* quando aliquis nullo jam modo potest cooperari ad hoc quod a peccato resurgat : talis est in dæmonibus et hominibus damnatis. Obstinatio est *imperfecta* quando aliquis non de facili potest cooperari ad hoc quod de peccato exeat, quamvis hoc absolute possit.

Audiamus S. Thomam: « Obstinatio importat quamdam firmitatem in peccato, per quam aliquis a peccato reverti non possit. Quod autem aliquis non possit a peccato reverti potest intelligi dupliciter. Uno modo ita quod vires suæ non sufficiant ad hoc quod a peccato totaliter liberetur ; et sic quilibet in peccato mortali cadens, dicitur non posse ad justitiam redire. Sed ex ista firmitate in peccato non dicitur aliquis proprie obstinatus. Alio modo habet aliquis firmitatem in peccato, ita quod nec cooperari potest ad hoc quod a peccato resurgat. Sed dupliciter est hoc. Uno modo ita quod nullo modo possit cooperari; et hæc est perfecta obstinatio, qua dæmones sunt obstinati; adeo enim eorum mens est firmata in malo, quod omnis motus liberi arbitrii ipsorum est inordina-

(1) Quum non admittamus requiri gratiam actualem, proprie dictam, ad singulos actus salutares in justo (v. suprà, n. 338), consequenter non dicimus justificatis dari gratiam actualem quotiescumque urget præceptum vel oritur tentatio.

(2) Cf. De Brouwer, *De Ecclesia,* Brugis 1891. n. 364 ; Wilmers, *De Christi Ecclesia,* Ratisbonæ, 1897, n. 380 ss. ; De San, *De Ecclesia,* Brugis,, 1906, n. 210 ; Van Noort, *De Ecclesia,* Amstelodami 1909, n. 146 ; Devas, *L'Église et les progrès du monde* (Traduction Folghera), Paris, 1909, p. 182 ss. ; Hugueny, *Critique et catholique,* p. 223 ss. ; Van Crombrugghe, in *Collat. Gandav.*, 1910, t. II, p. 8 ss.

(3) Van Noort, *De gratia,* n. 90.

tus et peccatum; et ideo nullo modo se possunt ad gratiam [sanctificantem] habendam præparare, per quam peccatum dimittitur. Alio modo ita quod non de facili possit cooperari ad hoc quod exeat de peccato; et hæc est obstinatio imperfecta, qua aliquis potest esse obstinatus in statu viæ, dum scilicet habet aliquis ita firmatam voluntatem in peccato quod non surgunt motus ad bonum nisi debiles. Quia tamen aliqui surgunt, ex eis datur via ut præparentur ad gratiam » (1).

S. Bernardus obstinationem hominis adhuc in via sic describit: « Quid ergo cor durum ? Ipsum est quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec movetur precibus, minis non cedit, flagellis duratur. Ingratum ad beneficia est, ad consilia infidum, ad judicia sævum, inverecundum ad turpia, impavidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium in divina, præteritorum obliviscens, præsentia negligens, futura non providens » (2).

Obstinationis imperfectæ causa proxima est ipse homo, « tum *efficienter*, quia frequentia peccatorum generat habitus pravos, dehinc magnam proclivitatem in nova peccata, quæ, etsi vinci potest, haud facile vincitur ; tum *meritorie*, quia abusus gratiarum præcedentium meretur subtractionem uberioris gratiæ in futuro » (3).

3. Quoad notam tribuendam secundæ parti propositionis, quam enunciavimus, non conveniunt theologi. Quoad primam partem, quæ respicit peccatores communes, hæc assertio est *de fide* (4). Secundam partem, quæ respicit peccatores obstinatos, plerique habent ut *theologice certam* (5).

Demonstratur.

399. demonstratur ex S. Scriptura,

A. EX S. SCRIPTURA.

Multis enim in locis prædicatur Dei misericordia erga peccatores etiam pessimos, quæ misericordia importat ut Deus auxilia præbeat, nempe gratias actuales, quibus peccatores e statu peccati surgere queant.

« Nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua et vivat » (6). « Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in via non bona post cogitationes suas » (7). —

(1) *De veritate*, q. 24, a 11. Cf. *Sum. Theol.*, 1-2, q. 79, a. 3; ubi S. Thomas docet Deum esse causam obstinationis quia subtrahit gratiam, quæ gratiæ subtractio habet rationem pœnæ.

(2) *De consideratione*, L. 1, c. 2, n. 3. Cf. LESSIUS, *De divinis perfectionibus*, L. XIII, c. 14, n. 31.

(3) VAN NOORT, *o. c.*, n. 90.

(4) Cf. LAMBRECHT, *De gratia*, p. 116.

(5) Cf. ID., *ibid.* ; JUNGMANN, *De gratia*, n. 233 ; VAN NOORT, *o. c.*, l. c. qui, in nota, adjungit : « Spectatis conciliorum effatis et quotidiana universalis ecclesiæ prædicatione, equidem non video quare et hæc assertio ad fidem non pertineret ». Nihilominus negaverunt hanc thesim quidam theologi catholici, quos refert JUNGMANN, *o. c.*, n. 222.

(6) *Ezech.*, XXXIII, 11.

(7) *Isai.*, LXV, 2. In hoc versu auxilium quod offerre Deus dicitur populo judaïco est forsitan imprimis complexus auxiliorum externorum, nempe cura Dei quam suo populo impendit lege data, institutione theocratica, continua missione prophetarum eorumque prædicatione et adhortatione, castigationibus quoque immissis, minis propositis, datis promissis (Cf. KNABENBAUER, *Commentarius in Isaiam*, t. II, p. 480) ;

Christus dicit : « Non veni vocare justos sed peccatores ad pœnitentiam » (1). — S. Stephanus sic loquitur : « Dura cervice et incircumcisis cordibus et auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis » (2). — Longanimitas Dei impellentis peccatores obstinatos ad pœnitentiam ab Apostolo Paulo prædicatur : « An divitias bonitatis ejus et patientiæ et longanimitatis contemnis ; ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit ? Secundum autem duritiam tuam et impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ » (3).

B. EX RATIONE THEOLOGICA *confirmatur.*

400. confirmatur ex ratione theologica.

1. Nullum est peccatum vel nullus peccatorum numerus quo posito Deus deneget gratiam. « Dicere quod aliquod peccatum sit in hac vita, de quo quis pœnitere non possit, erroneum est, primo quidem quia per hoc tolleretur libertas arbitrii ; secundo quia per hoc derogatur virtuti gratiæ, per quam moveri potest cor cujuscumque peccatoris ad pœnitentiam » (4).

2. Quod de facto Deus concedat gratias peccatoribus etiam obstinatis constat ex hoc quod Deus concedit tot auxilia externa apta ad hoc ut peccator moveatur ad conversionem ; nec possumus dubitare quominus Deus etiam interna gratiæ auxilia concedat, eo vel magis quod illa interna auxilia omnino necessaria sunt ut homo salutariter agat.

401. De valore alicujus argumenti.

Nota. Non validum nobis videtur hoc argumentum: « Omni peccatori incumbit obligatio conversionis. Atqui si careret omni gratia, non posset habere hanc obligationem. Ergo non caret omni gratia ».

R. *Dist. minor.* Si careret omni gratia ex hoc quod ipse ponit obstaculum ad receptionem gratiæ actualis, proprie dictæ... *nego ;* si careret omni gratia quin ponat obstaculum ad receptionem gratiæ actualis, proprie dictæ, *conc.*

Contradist. cons.

Explicatur.

Potest enim fieri ut talis homo cogitet, etiam naturaliter de conversionis obligatione, v. gr. potest audire aliquem sibi in memoriam revocantem obligationem confessionis paschalis et fieri potest ut statim renuat hanc facere: non igitur requiruntur gratiæ actuales proprie dictæ ut homo sit vere obligatus ad conversionem et de hac etiam cogitet: potest enim homo positive nolle observare legem, quin prius supernaturaliter a Deo excitetur gratia actuali, proprie dicta, ad legem adimplendam et sic potest ponere obstaculum ad receptionem gratiæ. Attamen obligatio conversionis et necessitas gratiæ ad illam sunt ratio cur dicamus, *generatim loquendo,* a Deo concedi peccatori gratias actuales ad conversionem, licet in aliquo casu fieri possit ut aliquis homo ponat obstaculum ad ulteriores gratias actuales recipiendas et tamen remaneat obligatus ad conversionem V. suprà, n. 297, 302.

---

attamen illis omnibus certo jungebantur internæ gratiæ, quippe quæ necessariæ sunt ut homines possint salutariter adjuvari auxiliis externis.

(1) *Luc.*, V. 32.
(2) *Act.*, VII, 51. V. suprà, n. 298.
(3) *Rom.*, II, 4.
(4) S. THOMAS, *Sum. Theol.*, 3, q. 86, a. 1.

Scholion. Ex hoc quod nullus sit gradus malitiæ vel obstinationis quo posito Deus certo denegat omnem gratiam, jam dici nequit (quod a sacris oratoribus quandoque auditur), certum scilicet esse peccatorum numerum quæ Deus remittere intendit, certum gratiarum numerum quas concedere decrevit, ultra quem nihil ab ipso expectandum est : de nullo enim individuo hoc asseri potest quia Deus quandoque in ultimo instanti vitæ peccatori obstinato conversionis gratiam concedere videtur ; præterea absque ratione asseritur aliquem limitem poni ultra quem sese non extendit effectus misericordiæ divinæ ; tandem cavendum est semper ne desperatio invadat peccatoris animam. Fatendum tamen est ex lege Dei communi, uberioribus privari gratiis eos qui gratiis abutuntur eosdemque periculo æternæ damnationis exponi (1).

402. De vitando quodam asserto.

Caput III.

DE GRATIA CONCESSA INFIDELIBUS.

Infideles adulti alii dicuntur *positivi, negativi* alii. « *Positivi* sunt qui ad fidem sufficienter propositam interiori gratia invitati, eam amplecti noluerunt, aut jam susceptam iterum exuerunt : apostatæ, quibus æquiparantur hæretici formales. *Negativi* sunt, quibus Evangelium aut nullo modo aut saltem non ita prædicatum fuit, ut illud suscipere rationabiliter potuerint » (2).

403. Infideles distinguuntur positivi ac negativi.

De infidelibus positivis idem videtur dicendum quod de peccatoribus diximus, licet conversio hominis positive infidelis multo difficilior sit quam conversio ejus qui fidem servavit : nam infidelis positivus ipsum principium, a quo incipere debet præparatio ad justificationem, expulit a se, et dissolvit primam cum Deo supernaturalem unionem, quæ consistit in supernaturali cognitione Dei.

PROPOSITIO PRIMA. *Infidelibus negativis singulis Deus dat auxilium sufficiens ut possint salutem consequi.*

404. Infidelibus negativis dari auxilium sufficiens ad salutem, explicatur,

Prænotandum. Diximus *auxilium,* non *gratiam :* quia, ut videtur, fieri potest ut homo infidelis per propria ac per personalia peccata mortalia ponat obstaculum ad hoc quod recipiat a Deo gratiam actualem proprie dictam. V. suprà n. 297, 397. Notemus tamen rationem, propter quam dicimus hominem infidelem forsan non recipere gratiam, non esse quia censemus non dari gratias actuales, proprie dictas, nisi proxime ad ipsam vocationem ad fidem : v. suprà, n. 88.

Demonstratur.

405. demonstratur : I) ex S. Scriptura,

A. EX S. SCRIPTURA.

« [Deus]... vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem

(1) Ita fere TANQUEREY, *o. c., De gratia,* n. 84.
(2) VAN NOORT, *o. c.,* n. 93.

veritatis venire » (1). Si Deus vult, voluntate seria, licet conditionata, omnes homines salvos fieri, oportet ut *adultis* (2) singulis concedat id quod requiritur ut possint vitare peccatum mortale et consequenter salvos fieri (3).

406. 2) ex Traditione : a) ex Patrum assertis.

B. EX TRADITIONE (4).

1. *Ex Patrum assertis.*

Patres prædicant benignitatem ac misericordiam Dei sese extendentem ad omnes indiscriminatim, etiam ad infideles.

S. Clemens Rom. : « Sanguinem Christi intueamur, qui propter nostram salutem effusus toti mundo pœnitentiæ gratiam obtulit. Perveniamus ad omnes mundi ætates et discamus quod in omni generatione volentibus ad ipsum converti Dominus pœnitentiæ locum concesserit... licet alieni a Deo essent » (5). — *Clemens Alex. :* « Audite qui longe, audite qui prope estis : non abscondit se a quibusdam Verbum, lux communis est, lucet cunctis hominibus » (6). — S. *Joannes Chrysost.* : «Si illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, quo pacto tot homines sine lumine manent ? Neque enim omnes Christum cognoscunt. Illuminat profecto, quantum in ipso est. Si qui autem sponte sua ad hujus lucis radios aciem dirigere noluerint, non ex lucis natura in tenebris perstiterunt, sed malitia sua » (7). — *S. Augustinus :* « Non est qui se abscondat a calore ejus... Cum autem Verbum caro factum est, non permisit ullum mortalium excusare se de umbra mortis et ipsam enim penetravit Verbi calor » (8). — *Orosius,* S. Augustini discipulus : « Mea semper hæc est fidelis atque indubitata sententia, Deum adjutorium suum non solum in corpore suo, quod est ecclesia, cui specialia gratiæ suæ dona largitur, verum etiam universis in hoc mundo gentibus subministrare, non ut tu (Pelagius) asseris in solo naturali bono et in libero arbitrio generaliter universis unam gratiam contributam, sed speciatim quoque per tempora, per dies, per momenta, per ἀτόμους et cunctis singulis ministrare » (9). — Auctor operis : *De vocatione omnium gentium* (sæc. V) : « Adhibita enim semper

(1) *I Tim.*, II, 4.

(2) Non eadem est ratio de infantibus qui nec possunt nec debent *cooperari* propriæ salutí.

(3) Si vero adultus infidelis non cooperando auxilio divino peccata mortalia valde gravia ac multa commisit, non videtur repugnare quod Deus ipsi non concedat gratias actuales, proprie dictas, ac vocationem ad fidem. Alia est conditio hominis fidelis qui, generatim loquendo, habebit auxilia externa, quibuscum regulariter conjunguntur gratiæ internæ, præterea ipse peccator fidelis potest elicere actus fidei supernaturalis et sic titulum specialem habet ad recipiendas gratias supernaturales proprie dictas.

(4) Cf. VAN NOORT, *o. c.*, n. 94.

(5) *Epist. 1 ad Cor.*, VII.

(6) *Cohortatio ad Gentes*, 9.

(7) *In Joannem*, homil. 8 (alibi 7), n. 1.

(8) *In Ps. 18*, Enarrat. 1, n. 7

(9) *Liber apologeticus contra Pelagium de arbitrii libertate*, n. 19.

est universis hominibus quædam supernæ mensura doctrinæ, quæ etsi paucioribus, occultioribusque gratiæ fuit, sufficit tamen, sicut Dominus judicavit,quibusdam ad remedium, omnibus ad testimonium » (1). « Etiam nunc in extremis mundi partibus sunt aliquæ nationes, quibus nondum gratia Salvatoris illuxit, quibus tamen illa mensura generalis auxilii, quæ desuper omnibus semper hominibus est præbita, non negatur » (2).

2. *Ex Ecclesiæ documentis confirmatur.*

407. b) confirmatur ex Ecclesiæ documentis.

Damnata est hæc propositio : « Pagani, Judæi, hæretici, aliique hujus generis nullum omnino accipiunt a Jesu Christo influxum, adeoque hinc recte inferes, in illis esse voluntatem nudam et inermem, sine omni gratia sufficiente » (3). Ex illa damnatione sequitur aliquot saltem paganos recipere gratiam sufficientem, proinde non fidem esse prærequisitam ad receptionem gratiæ actualis. Hanc assertionem explicite rejecit Ecclesia damnando sequentes propositiones Quesnelli : « Nullæ dantur gratiæ nisi per fidem » (4). « Fides est prima gratia et fons omnium aliarum » (5). « Extra Ecclesiam nulla conceditur gratia » (6).

408. Infideli vitanti peccatum mortale concedi ante mortem gratiam ut possit credere et justificari, demonstratur.

PROPOSITIO SECUNDA. *Omni infideli qui vitavit peccatum mortale usque in finem vitæ concedet Deus gratiam sufficientem ut possit salutariter credere et justificari.*

Demonstratur.

Dari potest infidelitas mere negativa quæ non sit culpabilis ; præterea homo adultus non in æternum damnabitur nisi propter peccatum *mortale ac personale.* Hoc docet Pius IX : « Notum nobis vobisque est eos qui invincibili circa sanctissimam nostram religionem ignorantia laborant, quique naturalem legem ejusque præcepta in omnium cordibus a Deo insculpta sedulo servantes, honestam rectamque vitam agunt, posse divinæ lucis ac gratiæ operante virtute æternam consequi vitam, cum Deus qui omnium mentes, animos, cogitationes habitusque plane intuetur, pro summa sua bonitate et clementia minime patiatur, quempiam æternis puniri suppliciis, qui voluntariæ culpæ reatum non habeat » (7).

Quum ex altera parte habeamus tamquam *certum,* neminem posse justificari absque *fide stricte dicta* (8), concludimus Deum

---

(1) *De vocatione omnium gentium,* L. II. c. 15, n. 27.
(2) *Ibid.,* c. 17, n. 33.
(3) *Enchir.,* n. 1295.
(4) *Enchir.,* n. 1376.
(5) *Ibid.,* n. 1376.
(6) *Ibid.,* n. 1379. Notemus illis damnatis propositionibus damnari sententiam illorum qui unice propter defectum fidei nullam concedi gratiam asserebant. Concludemus igitur ipsam carentiam fidei non esse *per se* obstaculum ad omnem gratiam.
(7) *Encyclica ad episcopos Italiæ,* 10 Aug. 1863. *Enchir.,* n. 1677. Cf. S. THOMAS, *Sum. Theol.,* 2-2, q. 10, a. 1.
(8) V. suprà, n. 77. Cf. BOUQUILLON, *De Virtutibus theologicis,* n. 159 ss. ; Cf.

semper providere ut adultus qui est absque peccato mortali, possit, ante mortem actum fidei stricte dictæ supernaturaliter elicere et consequenter justificari.

409. confirmatur auctoritate S. Thomæ.

Hoc confirmatur auctoritate S. Thomæ : « Non sequitur inconveniens, posito quod quilibet teneatur aliquid explicite credere [fide stricte dicta ac supernaturali], si in silvis vel inter bruta animalia nutriatur : hoc enim ad divinam Providentiam pertinet ut cuilibet provideat de necessariis ad salutem, dummodo ex parte ejus non impediatur (1). Si enim aliquis nutritus, ductum naturalis rationis sequeretur in appetitu boni et fuga mali, certissime est tenendum quod ei Deus vel per internam inspirationem revelaret ea quæ sunt ad credendum necessaria, vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrus ad Cornelium (*Act.* 10) » (2).

410. De modo quo adulti infideles negativi possunt salvari.

Scholion. *De modo quo adulti infideles negativi possunt salvari.*

Ex dictis, distributio gratiæ respectu infidelium, ad quos ordinaria Evangelii prædicatio non pervenit, ita concipi posse videtur (3).

1. Infidelis quando ad usum rationis pervenit, ex rebus visibilibus vel consensu societatis humanæ existentiam alicujus supremi Numinis cognoscere potest, præcipuaque præcepta legis naturalis. Deus autem opportuno tempore (nisi forsan, impediatur peccato mortali hominis) auxilio tantum medicinale vel, secundum sententiam quæ nobis probabilior videtur (v. suprà, n. 88), gratia actuali, proprie dicta (h. e. supernaturali illuminatione intellectus et voluntatis inspiratione), hominem infidelem excitat ut supremum Numen agnoscat et per observationem legis naturalis colere velit.

2. Infidelis, si auxiliis illis cooperatur, accipiet auxilia uberiora

---

ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, *Annotationes* in hunc tractatum ; *Meditationes theologicæ*, in *Collat. Brug.*, t. II, p. 182 ss. ; Card. BILLOT, *De virtutibus infusis*, thes. XIX ; PESCH, *Theologische Zeitfragen*, t. V, 3 ss. ; *Prælectiones dogmaticæ*, t. VIII (De virtutibus), n. 438 ; *Collat. Brug.*, t. XI, p. 407 ; t. XV. p. 117 ; HUGON, *Hors de l'Eglise point de salut*, ch. II-IV.

(1) Impeditur autem per peccatum. Cf. S. THOMAS, *Summa contra Gentiles*, L. III, c. 159.

(2) *De veritate*, q. 14, a. 11 ad 1. Non parva est difficultas componendi hoc s. Thomae assertum cum sententia quam s. Doctor exponit in *Sum. Theol.*, 1ª-2ªe, q. LXXXIX, a. 6, ubi dicit quod homini cum usum rationis incœperit habere, occurrit cogitatio ut deliberet de seipso. Et si quidem seipsum ordinaverit ad debitum finem, per gratiam consequetur remissionem originalis peccati ; si vero non ordinet seipsum ad debitum finem, secundum quod in illa aetate est capax discretionis, peccabit mortaliter non faciens quod in se est. Videsis : BITTREMIEUX, *Die Lehre des St. Thomas über das Heil der Unglaübigen*, in « Theologie und Glaube », Paderborn, 1914 ; quae scripsi ap. VACANT-MANGENOT, *Dict de théol. cath.*, art. *Grâce*, col. 1601 ss. ; præsertim amplam dissertationem in *o. c.*, conscriptam a cl. P. HARENT. art. *Infidèles*, col. 1863-1894.

(3) Cf. VAN NOORT, *o. c.*, n. 96 ; ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, *o. c.*, in *Collat. Brug.*, t. II, p. 181.

et excitabitur ad perfectiorem Dei cognitionem desiderandam et supplici prece expetendam.

3. Infideli, faciendo quod in se est, Deus opportuno tempore conferet ipsam vocationem ad fidem, simul providendo ut veritates quæ sunt de necessitate medii credendæ proponantur. Quod facere potest Deus vel *mittendo fidei præconem,* vel, absque illo, *peculiari illuminatione intellectus* juvando infidelem ut tamquam divinitus *revelatas* cognoscat *veritates traditione populari* conservatas (1) aut *acatholicorum sermone* diffusas (2) de Dei cum hominibus communicatione, deque remuneratione a Deo præstanda bonis (v. suprà, n. 77) ; vel poterit Deus *interna revelatione* aut ministerio angelico necessaria edocere.

4. Post actum fidei theologicæ Deus concedit ulteriores gratias quibus homo pervenire potest ad actum charitatis perfectæ, includentem votum baptismi, quo elicito confertur ei gratia sanctificans (3). V. suprà, n. 177.

410bis Ulterior explicatio de modo quo adulti infideles negativi possunt salvari.

Adnotatio. Infidelis negativus, qui ad sufficientem rationis usum pervenit, non supernaturaliter convertitur ad Deum nec justificatur absque variis internæ gratiae auxiliis quae Deus distribuit, et quidem prout vult. Hoc supposito, licitum tamen est et utile ut cum debita modestia inquiratur quaenam adjuncta et quaenam Deus disposuerit media, quibus connectatur collatio gratiarum, eo vel magis quod immensa est multitudo hominum qui, tum ante nostram aetatem tum etiam nunc, orbi apparent praedicatione Evangelii facta a ministris Ecclesiae Catholicae a Iesu Christo institutae.

Porro in praedicta inquisitione, quae a multis jam saeculis praeoccupavit Patres et auctores ecclesiasticos, multæ occurrunt quaestiones, tum circa salvificam Dei voluntatem atque possibilitatem salutis infidelium, tum circa requisita ad illorum justificationem : de iliis omnibus fuse et docte scripsit nuperrime cl. P. Harent, in *Dictionnaire de Theologie catholique,* art. *Infidèles,* (col. 1726-1930).

Supposito autem quod ad justificationem et porro ad aeternam beatitudinem infidelis negativi adulti requiratur *fides stricte dicta* (4) (quod est omnino tenendum), tria assignantur media (uti suprà, n. 410, indicavimus) quibus adultus pervenire potest ad cognoscenda ea quae praerequiruntur ad actum fidei stricte dictae : illa media sunt a) praedicatio revelatae veritatis facta a ministris Ecclesiae catholicae ; circa quod est notandum posse Deum miraculoso vel saltem mirabili modo mittere quandoque praeconem ad aliquem hominem ; b) conservatio quarumdam veritatum in populorum traditionibus vel in doctrina ab acatholicis proposita ; c) interna veritatis revelatio immediate a Deo ipso facta aut mediante angelorum operatione (5). His diversis mediis Deum uti de

(1) Cf. VAN NOORT, *o. c.,* n. 96 ; ILLmus AC REVmus WAFFELAERT *o. c.,* in *Collat. Brug.,* t. II, p. 181. CAPERAN, *Le problème du salut des infidèles,* Essai théologique, p. 85 ss.

(2) Cf. HARENT, *o. c.,* col. 1912 ss.

(3) Card. BILLOT, *De Ecclesia,* t. II, p. 65 ; PESCH, *Theologische Zeitfragen,* t. V, p. 32 s.

(4) *Fides stricte dicta* est firmus et supernaturalis assensus intellectus ad veritates quasdam ut a Deo revelatas.

(5) De his tribus mediis cf. HARENT, *o. c.,* col. 1845 ss., 1912 ss.

facto in praesenti Providentiae ordine certum est ; quanam autem in mensura hoc faciat ignoratur. Inde remanet angorem animi parens problema de possibilitate salutis tot multitudinum hominum.

Opinio Emi Card. Billot.

Illius autem poblematis solutio nuperrime proposita ac propugnata fuit ab Eminentissimo Cardinali Billot, pluribus dissertationibus in periodico *Etudes* (1). In illa sententia, hoc novum proponitur quod apud populos incultos, fere omnes homines *adulti quoad aetatem* assimilandi sint, *quoad moralitatem* actuum, *infantibus,* nondum rationis usum adeptis, et proinde, quod, quando moriuntur, mittuntur sicut infantes non baptisati ad limbum ubi nullo cruciatu afficiuntur sed quadam naturali felicitate fruuntur.

Praelaudatus auctor *duas adultorum classes* distinguit, una est eorum qui ad aetatem pervenerunt usus rationis et etiam rationis usu fruuntur sed solum quoad res inferioris ordinis, non autem quoad res omnino spirituales, nominatim quoad Deum. altera vero classis est eorum qui ad plenum rationis usum perveniunt et proinde capaces sunt cognoscendi Deum necnon proprie dictam obligationem moralem, cujus cognitio praesupponit persuasionem de Deo existente. Hi adulti « spirituales » qui proinde capaces sunt committendi peccati mortalis, paucissimi sunt (2).

Hoc quidem tenendum est quod homines, ut capaces sint peccandi, cognoscere prius debent veram obligationem moralem et proinde Deum tamquam Ens Supremum ac Supremum Legislatorem. Illa tamen cognitio potest esse plus vel minus distincta et perfecta ; confusa quaedam cognitio, qualis apud rudes facile invenitur, sufficiens est ut habeatur persuasio de obligatione morali et possibilitas peccandi mortaliter.

Apud populos cultos seu civilisatos, uti dicitur, inveniuntur quidem homines quoad aetatem adulti, privati tamen cognitione de Deo et de obligatione morali : tales sunt perpetuo amentes et etiam, ut videtur, quidam ita mente debiles ut ad proprie dictam notitiam ac persuasionem de Deo existente et de obligatione morali non perveniant ; tales inveniuntur numerosiores apud quosdam populos incultos ; illos tamen multo majorem partem populationis efformare in plerisque regionibus infidelium non demonstratum est, imo negatur a quibusdam auctoribus in illa re peritis (3).

Practicum Scholion.

411. Ex doctrina exposita elucet benignitas Dei,

Impossibile nobis est magis in individuo determinare normas secundum quas Deus supernaturalia auxilia dispensat, sed sive consideretur Dei benignitas, sive effectus ejusdem in institutis tot

---

(1) A 20a Octobris 1919 et deinceps.

(2) En quomodo R. P. Harent, *o. c.*, col. 1891 compendio illam distinctionem exponit : « Le cardinal Billot... donne des précisions utiles sur le sens du mot *adulte*. D'abord, et cela va sans dire, il y a des personnes qui sont adultes quant à l'âge, quant au développement physique sans être adultes quant au développement de l'esprit, de la *raison*. Mais surtout il y a dans la raison elle même... la raison *inférieure,* qui s'exerce sur les choses temporelles, arts, industrie, sciences n'intéressant que la vie d'ici-bas ; et la raison *supérieure* qui s'ouvre sur les choses divines, transcendantes, éternelles, et tout particulièrement sur Dieu et sur sa loi en tant que règle obligatoire des actions humaines. Cette distinction... qu'il ne faut pas entendre comme de deux facultés diverses, mais seulement comme de deux *fonctions* d'une seule et même faculté est prise de saint Augustin... ».

(3) Emi Card. Billot opinio nitide exponitur ejusque argumenta rite ponderantur in periodico *L'ami du Clergé,* 1924, n. 5, p. 73-78.

mediis quibus conferri potest gratia, concludemus magna cum largitate Deum effundere dona ad salutem promoventia : « Misericors et miserator Dominus, longanimis et multum misericors... non secundum peccata nostra fecit nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis » (1).

necessitas cooperandi gratiæ

At quum gratiam Dei etiam negligere et abjicere possimus, sedulo attendendun est ut cooperemur, *ne in vacuum gratiam Dei recipiamus* (2).

ac orandi,

Quamquam pro infinita benignitate sua Deus etiam non petentibus multa concedit bona, memores tamen simus uberiores et efficaciores gratias non nisi petentibus, quærentibus et pulsantibus dari. Quapropter sine intermissione orationi instemus (3).

necnon recipiendi SS. Eucharistiam.

Tandem ab ipso Deo instituta sunt media, scilicet sacramenta, quibus præcipue supernaturalia confert dona: inde ut in sacerdotibus vita supernaturalis omnis crescat nullum est efficacius medium quam digna celebratio sacrificii Missæ (4) ; ut Christifideles pleniorem sanctificationem acquirant non datur fons uberior quam susceptio SS. Eucharistiæ (5).

Mater divinæ gratiæ, ora pro nobis.

---

(1) *Psalm. 102,* 8 ss.
(2) Cf. *2 Cor.,* VI, 1.
(3) Cf. JUNGMANN, *De gratia,* n. 249, n. 332 s.
(4) Cf. ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, *Collat. Brug.,* t. V, p. 369 ss. ; VAN DEN BERGHE, *Ordo Missæ,* Brugis, 1900.
(5) Cf. Decretum de quotidiana SS. Eucharistiæ sumptione, in *Collat. Brug.,* t. XI, p. 213 ss. ; MAHIEU, *Het brood des levens,* 2de deel ; ID., *Le pain de vie,* 2e Partie.

APPENDIX

DE BEATA MARIA VIRGINE

omnium gratiarum mediatrice (1).

412. Diversa ratione Maria dici potest gratiarum mediatrix:

STATUS QUAESTIONIS.

Suprà, n. 148 ss., de gratiæ *causis* egimus, diversasque enumeravimus secundum Concilii Tridentini declarationem. Licet in ea non fiat mentio de causalitate quæ tribuenda foret B. Mariæ Virgini in elargienda gratia, tamen doctrina catholica tenet Matrem Dei suam habere partem in collatione gratiæ.

a) quatenus nobis dedit fontem omnis gratiae,

Et sane omnes Catholici fide credunt quod Maria, quia et quatenus fuerit mater Incarnati Verbi, nobisque dederit illum ut Salvatorem nostrum, ideo etiam, *mediante illo,* dedit omnia supernaturalia dona quæ a Salvatore, tamquam a fonte omnis gratiæ, diffusa sunt, adeoque vere est *spiritualis mater* omnium hominum qui et quatenus participes sunt supernaturalis vitae a Christo manantis.

b) quatenus ipsa promeruerit nobis gratias;

Præterea ad fidem pertinere videtur quod Maria speciali ratione, libere patiendo seseque etiam offerendo cum Christo in cruce patiente ac moriente, cooperata est ad ipsum opus quo proprie consummata est ipsa generis humani redemptio. Quapropter pro illa cooperatione vere est Maria *coredemptrix* et illius cooperationis valor apud Deum importat quod Maria nobis *de congruo meruit* ea quæ Christus *de condigno* meruit (2).

c) quatenus cooperatur actualiter in distribuendis gratiis.

Tandem plerique saltem theologi docent Mariam etiam habere partem in *distribuendis gratiis,* quatenus scilicet Maria, nunc in cœlo, Christo-homini vere et actualiter cooperatur in obtinendis

---

(1) Circa hanc quaestionem prodierunt varia opera inter quae citanda sunt: LÉPICIER, *Tractatus de B. M. V.*, Parisiis, 1912 ; TERRIEN, *La Mère de Dieu et la mère des hommes*, 2e P., Paris, 1902 ; DE LA BROISE, *La Sainte Vierge*, Paris, 1904 ; VAN CROMBRUGGHE, *Tractatus de B. M. V.*, Gandae, 1913 ; BAINVEL, ap. D'ALÈS, *Dictionnaire apologétique de la foi catholique*, art. *Marie*, col. 285 ss. ; GODTS, *La Corédemptrice*, Bruxelles, 1920 ; DE LA BROISE et BAINVEL, *Marie Mère de Grâce*, Paris, 1921 ; PESCH, *Die sclige Jungfrau Maria die Vermittlerin aller Gnaden*, Freiburg, i. Br., 1923 ; variae dissertationes in *Handelingen van het vlaamsch Maria-Congres*, Brussel, 1922, et in *Mémoires et rapports du Congrès Marial*, Bruxelles, 1922 ; LEBON, *La bienheureuse Vierge Marie médiatrice de toutes les grâces*, in *La Vie diocésaine*, 1921 ; LAMIROY, *De B. M. V. mediatrice omnium gratiarum*, in *Collat. Brug.*, t. XXI, p. 487 ss.; BLONDIAU, *Marie Médiatrice de toutes les grâces*, in *Collat. Namurc.*, t. XVI, p. 193 ss.; NAULAERTS, *de Maria Mediatrice*, in *La Vie diocésaine*, 1922 ; VAN CROMBRUGGHE, *de universali B. Mariae in re salutis mediatione*, in *Collat Gandav.*, 1923, t. X, p. 220 ; Dom Idesbald VAN HOUTRYVE, O. S. B., *La médiation de Marie dans la liturgie*, in *La Vie diocésaine*, 1922.

(2) Non auderemus affirmare hanc ultimam assertionem esse *de fide*.

omnibus gratiis quas Deus confert hominibus, adeoque est *princeps largiendarum* gratiarum *ministra*. Hæc est assertio quæ hîc examinanda proponitur.

413. Illud munus Mariae competere est assertio ad catholicam doctrinam pertinens.

Prædictum munus in distribuendis gratiis Matri Christi competere docebant a multo tempore omnes fere theologi tamquam opinonem valde probabilem, vel assertionem quæ pie credi potest; a pluribus jam annis non pauci censent idem esse a Deo revelatum, utpote formaliter implicite contentum in veritatibus explicite revelatis, proindeque esse definibile tamquam dogma fidei catholicæ (1).

Quin valeamus de hoc ferre judicium, conabimur magis determinare cujus naturæ sit influxus quem tribui potest Matri Christi in distributione gratiarum et indicare quænam sint præcipua argumenta quibus fulcitur sententia asserens Mariam esse sub Christo et cum illo dispensatricem gratiarum.

414. Influxus B. M. V. in distribuendis gratiis non alius esse videtur quam causalitas moralis quae in ejus intercessione consistit;

DE NATURA INFLUXUS QUI MATRI CHRISTI COMPETERE POTEST IN ELARGIENDIS GRATIIS.

1. Loquimur de *gratia proprie dicta* nempe de dono supernaturali quod creaturæ intellectuali conceditur a Deo in ordine ad vitam æternam (v. suprà, n. 7), et quidem de *interna* gratia, quæ animam intrinsece afficit (v. suprà, n. 9).

Hæc porro gratia est entitas supernaturalis, sive habitus sive motio transiens (v. suprà, n. 9), quæ ab ipso Deo producitur simul ac infunditur animæ (2).

Inde solus Deus est causa efficiens principalis gratiæ, v. suprà, n. 151.

Creatura potest quidem assumi a Deo ut *instrumentum* in producenda gratia, et sacramenta sunt causæ efficientes instrumentales gratiæ. Porro in illa causalitate explicanda dissentiunt theologi (3). Non admittimus sententiam quæ statuit *physicam* causalitatem competere sacramentis ; adhæremus autem sententiæ dicenti sacramenta esse causas efficientes instrumentales *dispositivas* et *ordinis intentionalis* (4).

Non ut possibile habemus quod aliqua creatura sit causa efficiens *physica* gratiæ producendæ : a) nec causa physica *perfectiva*

---

(1) Hoc etiam notare juvabit : si plena certitudine constaret cum veritatibus a Deo revelatis necessario connecti conclusionem de mediatione in elargiendis gratiis tribuenda Matri Christi, hoc assertum, licet non formaliter revelatum, posset, ut verum, infallibiliter definiri a Magisterio Ecclesiae et tunc foret admittendum *fide ecclesiastica*. Circa quam cf. card. BILLOT, *De Ecclesia Christi*, Romae, 1899, p. 106 ss.; *De Virtutibus infusis*, p. 265 ; VAN NOORT, n. 182 ; *Collat. Brug.*, t. XIV, 1909, p. 412, 418.

(2) Bene consideremus quod gratia, licet *in* anima, non tamen *ex* anima producitur: gratia, utpote entitative *supernaturalis*, non potest educi de potentia animae, sicut forma educitur de potentia materiae, vel actus connaturalis ex potentia correspondente. Anima relate ad omnem gratiam est tantum in potentia *obedientiali* : v. suprà, n. 8, p. 6.

(3) De eorum sententiis, cf. DE SMET, *De Sacramentis in genere*, n. 30, 49, 52.

(4) Cf. card. BILLOT, *De Sacramentis*, t. I, Thes VII ; DE SMET, *o. c.*, l. c.

gratiæ, nempe attingens ipsa sua operatione ipsam entitatem gratiæ : non enim intelligitur quomodo ipsa entitas gratiæ, quæ ab ipso Deo e nihilo efficitur, physice transiret per operationem alicujus creaturæ ut applicaretur animæ ; b) nec causa physica *dispositiva :* quia nulla prærequiritur in anima physica dispositio, diversa a gratia, ad infusionem gratiæ.

Non repugnat quidem ut Matri Dei concessa fuisset potentia ordinis intentionalis qua potuisset efficaciter designare homines determinatos ad recipiendas determinatas gratias (1) sed nullum afferri potest argumentum quo demonstretur talem potestatem a Deo collatam fuisse Mariæ, sive in terrestri, sive in cœlesti vita.

Ex præcedentibus constat nos non aliam causalitatem in distributione gratiæ agnoscere B. Mariæ V., quam *causalitatem moralem,* quæ nempe formaliter consistit in deprecatione qua divinitatem movet (analogice loquendo) ad gratias concedendas (2) : *intercessione* igitur sua Maria partem habet in elargitione gratiarum et valor illius intercessionis consistit formaliter in vi impetrationis precum ejus (3).

415. adeoque sese extendit solum ad gratias collatas post assumptionem B. M. V.

2. Ex dictis sequitur quod *distributioni* gratiarum Maria non realiter cooperata est nisi a tempore quo realiter existit : quia agere nequit ens quod non existit. Ergo Maria non potuit formali intercessione (nec alia quavis causalitate) habere partem in elargiendis gratiis sub Veteri Testamento concessis. Imo, quum nullo argumento demonstretur Maria, dum hac in terra degeret, illam intercessionem exercuisse, censemus quod Maria non nisi *post* suam in cœlum *assumptionem* actu est cooperata in distribuendis omnibus gratiis.

Inde in munere quod quandoque Mariæ tribuitur sub titulo *mediatricis* gratiarum, duo omnino sunt distinguenda : scilicet, pars quæ competit Mariæ in *acquirendis* gratiis et pars quæ illi competit in *distribuendis* gratiis. Quoad primum, Maria promeruit *de congruo* hominibus (4) *omnes* gratias quas Christus illis *de condigno* meruit ; quoad secundum, Maria sua intercessione cooperatur distributioni illarum gratiarum tantum *quæ post suam in cœlum assumptionem* conceduntur. Quæ diversitas non mira videri debet : Deus enim ab æterno res ita ordinavit ut a) Filius, quando

---

(1) Illa potestas fuisset ejusdem generis ac potestas quae humanitati Christi concessa est ad patranda miracula : qua de re cf. card. BILLOT, *De Verbo Incarnato,* Ed. 5, Thes. XXII, p. 254 ; VAN CROMBRUGGHE, *De Verbo Incarnato,* prop. XXIII, *Collat. Brug.,* t. VI, 1901, p. 443 ss.

(2) Illa causalitas *moralis* reducenda videtur, non quidem ad causam *efficientem,* sed ad causam *finalem :* cf. card. BILLOT, *De sacramentis,* t. I, p. 67, 102.

(3) Hoc sensu mediationem in gratiis distribuendis Mariae competere propugnant TERRIEN, *La Mère des hommes,* t. II, p. 416 ; BAINVEL, ap. D'ALÈS, *Dict. apol. de la foi cath.,* art. *Marie,* col. 285, praesertim col. 298 s., PESCH, *o. c.,* p. 46 ss.

(4) Dico : *hominibus,* scilicet distinctis a Christo et a Maria : quia haec non sibi promeruit gratiam qua sanctificata est; augmentum utique gratiarum operibus bonis sibi meruit Maria.

veniret plenitudo temporis, fieret homo et genus humanum redimeret, satisfaciendo pro hominibus et illis *merendo* de condigno gratiam omnem ; b) ut etiam Christo satisfacienti ac merenti Mater ejus simul mereret, sed *de congruo,* hominibus omnem gratiam, et sic coredemptrix fieret. Deus tamen, intuitu *futurorum* meritorum tum Incarnati Verbi tum ejusdem Matris, jam ante Incarnationem Verbi et ante ejusdem Matris existentiam, concessit gratias hominibus : quæ quidem sunt objectum meriti Christi et Matris ejus, sed quæ nec ab homine-Christo nec a Matre ejus fuerunt productæ aut applicatæ aut destinatæ determinatis hominibus (1).

416. etiam ad gratias collatas animabus in Purgatorio;

Recte notat cl. P. Pesch (2) intercessionem Matris Christi respicere etiam gratias quæ conferuntur animabus in Purgatorio degentibus; argumenta, quibus infrà demonstrabimus munus Mariæ in distribuendis gratiis, rationem includent cur etiam animas Purgatorii respiciat intercessio Mariæ: coredemptrix enim ac mater est etiam illarum animarum.

417. non sese extendit directe ad infusionem sanctificantis gratiae.

Hucusque locuti sumus de distribuendis gratiis, generice sumptis: attamen quaedam distinctio est facienda quoad modum quo *intercessio* Mariae exercetur circa obtentionem gratiarum *actualium* et circa obtentionem *sanctificantis* gratiae donorumque habitualium quae cum illa sunt connexa(3)

Nulla occurrit difficultas in admittendo quod Maria, formali intercessione, impetret directe *actuales* gratias: illa enim sunt auxilia quorum collatio non fuit a Deo exclusive ligata determinatis in subjecto dispositionibus, vel determinatis causis secundis: inde Maria — et alii — possunt efficaciter impetrare *directe* ut Deus concedat tales vel tales gratias tali subjecto.

Sed aliter se habet res quando agitur de sanctificante gratia : ejus enim prima infusio *per se* solo *baptismo* efficitur ; si homo illam peccato mortali amiserit, illam non nisi *sacramento pœnitentiae* recuperat, vel supernaturali actu perfectæ contritionis cum voto recipiendi sacramentum pœnitentiae, quando possibile erit. Illa a Deo statuta ordinatio immutabilis est: quapropter nequit B. M. V. impetrare *directe* ut Deus alicui infundat gratiam sanctificantem; illud autem *indirecte* obtinere potest quatenus petat directe dona vel auxilia quibus collatis aliquis recipiat baptismum aut sacramentum pœnitentiae, aut eliciat actum perfectae contritionis.

Idem dicendum est de *augmento* gratiae sanctificantis (v. suprà, n. 208 ss) : illud enim directe obtinetur vel (ex opere *operantis*) actu *meritorio,* vel (ex opere *operato*) susceptione sacramenti.

Licet Maria non nisi *indirecte* partem habeat in infusione et augmento gratiae sanctificantis, magnum tamen exercet influxum in collatione, conservatione, augmento illius gratiæ, quatenus nempe orando ipsa obtinet multa dona quibus homines vel adducuntur ad susceptionem sacramentorum, vel vitant peccata mortalia, vel opera eliciunt salutaria.

---

(1) « Maria mediatrix est in ordine ad omnes homines, etiam illos qui ante ipsam vixerunt, quatenus omnes gratiae, post lapsum Adami, sicut intuitu meritorum redemptoris ita et intuitu meritorum coredemptricis conferuntur. Quod si consideratur ut gratias distribuens, manifeste, sicut et Christus, mediatrix esse non potuit antequam existeret. Hac ratione mediatrix universalis dicitur a tempore quo gloriam cœlestem ingressa omnes filios suos perfecte novit eorumque necessitates » *Collat. Tornac.*, 1922, n. 540, p. 406. Idem docent VAN NOORT, *De Deo Redemptore,* n. 267 ; PESCH, *o. c.*, p. 35.

(2) *O. c.*, p. 36.

(3) Cf. PESCH, *o. c.*, p. 40 s.

418. Objectio solvitur.

Ex dictis exsurget forsitan aliqua difficultas quae exprimi possit hac objectione : si intercessione B. M. V. omnes nunc gratiae conceduntur, jam nullus est valor in intercessione aliorum Sanctorum et inutilis est invocatio illorum. Respondeo negando consequentiam et consequens.

Etenim Sancti, propter specialem quam cum Deo habent amicitiam, possunt tum merito de congruo, tum efficacibus precibus obtinere nobis a Deo bona. Quando Sancti ita pro nobis intercedunt, Maria, quae hoc cognoscit, nedum illi mediationi contradicat, illam potius sua oratione confirmat, adeo ut Deus precibus et meritis Sanctorum necnon Matris omnium Sanctorum concedat beneficia: admissa igitur universali intercessione B. Mariae V. non negatur intercessio, et vere quidem efficax, aliorum Sanctorum. Sed remanet quod

a) intercessio B. Mariae V. *semper* requiritur et est semper *praecipua,* quasi motivum ultimo determinans elargitionis gratiae;

b) intercessio B. Mariae V, sola per se sufficit, intercessio alterius Sancti per se sola non sufficit.

Notemus quod non requiritur ut Mater Dei semper explicite *invocetur* ab homine ut obtineat beneficium.

419. Mediatio B. M. V. in distributione gratiarum demonstratur:

PROPOSITIO. *Beata Maria Virgo, post suam in cœlum assumptionem, munus mediatricis exercet in distributione gratiarum hominibus.*

Post datas explicationes sensus illius propositionis clare elucet.

Demonstratur.

1°) ex munere quo functa est ut coredemptrix;

1° Si B. M. V. hominibus promeruit de congruo gratias, habet etiam apud Deum partem in illis distribuendis ; atqui B. M. V. hominibus promeruit gratias ; ergo habet etiam partem in illis distribuendis seu exercet munus mediatricis in distributione gratiarum.

Antecedens probatur, nempe connexio inter conditionem et conditionatum. Si B. M. V. hominibus promeruit de congruo gratias, illas vera quadam ratione fecit *suas,* fecit scilicet illas quasi thesaurum in quem aliquod *dominium* habet : adeoque omnino *convenit* ut Maria partem habeat suam in distributione illarum gratiarum quæ suæ sunt ; imo inconveniens videtur ut penitus subtraheretur ab influxu Mariæ elargitio gratiarum. Tandem non solum convenientia postulat ut B. M. V. suam habeat partem in distribuendis gratiis, sed id exigit *cohærentia* ordinationis divinæ : cohærentia, dico, a) quatenus Maria « quæ gratiosa electione Christo sociata exstitit ad comparationem thesauri, vi ejusdem electionis etiam ad dispensationum illius thesauri suo modo cooperetur » (1) ; b) Christus post suam in cœlum ascensionem « semper vivens [est] ad interpellandum pro nobis » (2) : quod interpretantur : continua Christi interpellatione seu intercessione conceduntur nobis a Deo gratiæ, et non conceduntur nisi vi illius

(1) VAN NOORT, *De Deo Redemptore,* n. 268.
(2) *Hebr.* VII, 25.

intercessionis ; illius porro intercessionis valor præcipue nititur in hoc quod Christus de condigno hominibus *meruit* omnes gratias ; inde, quum Maria, vere, licet de congruo, meruerit nobis cum Christo gratias, oportet etiam ut ab intercessione Mariæ dependeat elargitio gratiarum, seu ut Maria partem habeat suam in distribuendis gratiis.

Connexio inter condititionem et conditionatum, antecedentis, quam probamus, exprimitur a Pio X in encycl. *Ad diem illum* (2 Febr. 1914) : « Ex hac autem Mariam inter et Christum communione dolorum ac voluntatis, *promeruit illa ut reparatrix perditi orbis dignissime fieret* (1) atque ideo universorum munerum dispensatrix quæ nobis Jesus nece et sanguine comparavit... Ea [Deipara] tamen, quoniam universis sanctitate præstat conjunctioneque cum Christo, atque a Christo ascita in humanæ salutis opus, *de congruo,* ut aiunt, promeret nobis quæ Christus *de condigno* promeruit, estque princeps largiendarum gratiarum ministra » (2).

Minor probatur. Communi Ecclesiæ prædicatione docetur Mariam, utpote Redemptoris Matrem, fuisse etiam coredemptricem, illudque munus varia exercuisse ratione (3), præsertim autem sua voluntatis conformitate ac cooperatione cum Christo patiente et moriente in cruce : etenim quum Maria cruci adstabat, summa afficiebatur tristitia quam ineffabili in Deum amore libenter sustinebat, et Deo offerebat ipsius Filium tamquam victimam eadem intentione qua Christus sese offerebat ; jamvero Christus sese ut victimam offerendo satisfecit adæquate pro peccatis omnium hominum et de condigno meruit complexum omnium gratiarum quibus homines sancti fierent et salvi, illaque satisfactione et merito formaliter redemit genus humanum ; quum autem Maria, dependenter quidem a Christo, in illa Christi actione excellenti modo cooperata sit, tanta sanctitate conjunctioneque cum Christo ita placuit Deo ut et *ipsa de congruo meruerit cum Christo gratias diffundendas in homines.*

Adnotatio.

420. De valore argumenti propositi.

A. Censemus argumento, quod exposuimus, demonstrari ut *certam* conclusionem: utramque enim praemissam ut certam habemus, et logice ex illis infertur conclusio : haec est igitur conclusio *theologice certa.* Non admitti possumus praedicto argumento probari thesim esse *a Deo revelatam.* Nam 1) antecedens, propositio scilicet conditionata, non ut a Deo revelata continetur in communi praedicatione Ecclesiae : etenim, uti exposuimus, connexio inter conditionem et conditionatum nititur tum *convenientiae,* tum *cohaerentiae* operum divinorum: *convenientiae,* inquam, quatenus Mariae, merenti de congruo gratias, convenit omnino ut

(1) Eadmeri Mon. *De excellentia Virg. Mariae,* c. 9.
(2) *Collat. Brug.,* 1904, t. IX, p. 142.
(3) Cf. nostram dissertationem « Maria, onze medeverlosseres » in *Handelingen van het vlaamsch Maria-Congres,* Brussel, 1922, B. I, bl. 74 vv.

et ipsa sit suo modo distribuens illas ; *cohaerentiae* vero, quatenus ordinis a Deo continuitas et perfectio exigat ut Maria suam habeat partem in distributione gratiarum; praedicta autem convenientia, ut videtur, nec explicite, nec formaliter implicite continetur in veritatibus a Deo revelatis, sed a nobis rite cogitantibus detegitur et vera illatione infertur ex revelatis circa dignitatem Matris Dei ; pariter de cohaerentia dicendum est : cohaerentiam divini operis, generice spectatam, esse revelatam concedimus ; sed non ideo revelatum est omne quod de facto ad illam cohaerentiam pertinet, secundum consilium divinae Providentiae (1).

2). Secunda praemissa, quae asserit Mariam meruisse de congruo gratias quas Christus de condigno meruit, ut videtur, non est revelata. Illam veritatem affirmat quidem Pius X in documento suprà citato, sed non ut revelatam tradit, nec definit.

Igitur assertio quam de mediatione B. M. V. in distributione gratiarum demonstravimus, *vi ipsius argumenti* quod adhibuimus non ut a Deo revelata ostenditur, sed ut conclusio theologica.

421. De notione dogmatis.

B. Quod bene est considerandum ne pervertatur notio dogmatis. Dogma proprie dictum non est quodcumque judicium de re religiosa quod omnes fideles admittunt, sed est veritas ab ipso Deo revelata ; est nempe veritas vel explicite a Deo dicta et conservata in alterutro Revelationis divinae fonte (S. Scriptura aut Traditione) vel *formaliter implicite* inclusa in aliqua veritate explicite revelata. Conclusio autem theologica, *virtualiter* quidem, sed non formaliter, continetur in veritate explicite revelata.

V. gr. si revelatum esset Mariam nobis meruisse de congruo omnes gratias quas Christus nobis meruit de condigno, non ideo revelatum esset Maria habere partem in distributione gratiarum quas de congruo nobis meruit : nam quum actio merendi sit *formaliter diversa* ab actione vel munere distribuendi gratias, ratio distribuentis gratias non formaliter implicite continetur in ratione merentis gratias.

422. De sophismate cavendo.

C. In inquisitione, quam instituimus, summi momenti est ut rite perpendatur valor argumentationum. Supponamus argumentum proponi hoc modo :

« Maria, utpote Mater Redemptoris, qua talis, est adjutrix Redemptoris seu Coredemptrix; atqui munus Christi Redemptoris est *et* mereri gratias *et* illas dispensare; ergo munus Mariae Coredemptricis est Christo associari *et* in merendis *et* in dispensandis gratiis ».

Illa argumentatio, *qua talis,* inficitur sophismate : sophismate scilicet quod dicitur « transitus de dicto secundum quid ad dictum simpliciter ». Et re quidem vera : ex hoc quod Maria est Mater Redemptoris, *qua talis,* inferri potest (hoc concedimus) quod fuerit *sub aliqua ratione* coredemptrix, seu quod habuerit aliquam partem in munere Redemptionis ; sed inde nequit *logice inferri* Mariam fuisse coredemptricem *sub omni ratione possibili,* seu habuisse partem in omnibus operationibus aut muneribus quibus Christus de facto redemit genus humanum: hoc nequit logice inferri quia in ratione formali matris Redemptoris, qua talis, non necessario includitur ratio coredemptricis sub omni ratione possibili cooperationis ad redemptionem; imo in hoc ipso quod Maria est coredemptrix, v. gr. in incarnatione, in morte Christi, non continetur formaliter eam esse coredemptricem in distributione gratiarum: potest enim esse coredemptrix

(1) Ad rem VAN NOORT, *o.* c., 1. c. : « Quum igitur Deus ordinem semel electum non deserat, sed in omnibus operibus suis sapienti continuitate utatur, ex parte consilii divini revelatio cognita merito concludimus ad aliam partem, non revelatam, sine qua opus Dei veluti mancum esset et necessaria cohaerentia careret ».

sub aliqua ratione vel sub diversis rationibus quin sit, eo ipso, coredemptrix sub omni ratione possibili, adeoque sophisma est quo, ex hoc quod Maria sit coredemptrix, sub determinata ratione, infertur eam esse simpliciter coredemptricem, eo sensu quod necessario habeat partem in omni munere quo Christus quà Redemptor fungitur.

423. De formali ratione Redemptionis.

Vitium, quod statim indigitavimus, inficit ipsam formam seu constructionem ratiocinii sed quoad ipsam materiam, de qua conficitur ratiocinium, dissipanda est aliqua obscuritas, imo confusio, circa notionem *Redemptionis*. Et re quidem vera, notio redemptionis quae de facto locum habuit, non aequaliter comprehendit gratias *mereri* ac *dispensare* illas. Redemptio a Christo peracta, formaliter spectata, consistit in hoc quod Christus eripuit genus humanum a servitute in qua jacebat propter peccatum Adami: illa autem liberatio, active spectata, consistit in *satisfactione* et *merito* Christi quae praecipue egit atque complevit sua in ara crucis passione ac morte; *satisfaciendo* pro peccatis et *merendo* gratias Christus proprie *redemit* genus humanum ; distributio autem gratiarum est proprie sequela meriti Christi et redemptionis ab ipso peractae essetque Christus vere redemptor, si, qua *homo*, non haberet partem in distributione gratiarum; eo vel magis quod in distributione gratiarum, munus Christi non est satisfacere et mereri, sed intercedere seu interpellare. Igitur non accurate dicitur quod munus Redemptoris est *et* mereri *et* distribuere gratias, ac si utrumque *aeque* pertineret ad Redemptionem. Quapropter confirmatur etiam id quod suprà statuimus : ex hoc solo quod Maria sit coredemptrix nequit logice inferri quod sit etiam cooperans distributioni gratiarum.

424. 2o) ex munere matris hominum.

2°) Maria est, in ordine supernaturalis vitæ, mater hominum ; ergo actualem habet partem in distributione gratiarum (1).

Declaratur antecedens et consequentia.

In universali Ecclesiæ prædicatione continetur quod Maria est revera mater hominum, et quod maternitatis munere fungitur : exhibetur porro illud munus tamquam *totaliter* exercitum a Maria ita quidem ut ipsa erga membra corporis mystici Christi sit, proportione servata, id quod fuerit erga personam physicam Verbi facti hominis. Jamvero ad hoc non sufficit ut Maria humano generi tantùm dederit *principium* vitæ supernaturalis (2), sed requiritur ut etiam *actu* cooperetur ad communicandam supernaturalem vitam singulis, qui supernaturaliter renascuntur, et ad augendam illam vitam : tunc solùm Maria *exercet complete* in ordine gratiæ,

---

(1) De toto illo argumento cf. TERRIEN, *La mère des hommes*, t. II, L. V.

(2) Ex hoc quod Maria libero suo consensu cooperata est ad Incarnationem Filii Dei et facta est mater Redemptoris, qua talis, jam vero sensu est spiritualis mater omnium, qui a Redemptore participant vitam supernaturalem tamquam ejus membra; etiam ex hoc quod Maria libere cooperata est ad immolationem Christi, qua ipse satisfecit pro nobis et omnes promeruit gratias, est iterum vero sensu spiritualis mater omnium qui a Redemptore vitam supernaturalem recipiunt; sed sub hoc duplici respectu est Maria tantum *virtualiter* mater, non *actualiter*. Ad rem TERRIEN, *o. c.*, p. 349 : « On pourrait dire qu'il y a, dans l'ordre surnaturel, comme une double naissance à la vie divine. La première est celle que je viens de nommer *virtuelle*. Elle est commune à tous les hommes et donne à tous le droit de dire à Dieu, *Notre Père*. La seconde, celle qui nous constitue *formellement* enfants de Dieu, et nous introduit *de fait* dans la famille divine, résulte de l'infusion de la grâce sanctifiante dans les cœurs ; grâce qui conjointe inséparablement à l'habitation du Saint Esprit, est le fondement et la raison intime de notre filiation divine ».

munus matris erga homines singillatim spectatos. Si hoc autem admittitur tunc *consequenter* admitti debet quod Maria *actu* cooperatur ad distributionem gratiarum : nam per gratias hominibus collatas, et non aliter, communicatur vita spiritualis hominibus et augetur.

425. *Confirmatur* illud argumentum ex modo quo divina Providentia ordinavit rationem agendi Mariæ, dum in terra degeret. Non semel enim cooperata est Maria vel distributioni gratiæ, vel actionibus quibus Christus peculiari modo manifestatus vel datus est hominibus. Ita v. gr. ad intercessionem Mariæ Jesus « fecit initium signorum » seu primum operatus est miraculum, quum in Cana Galileæ aquam mutavit in vinum (Jo. II, 1, 11) ; per ministerium Mariæ operatus est sanctificationem Joannis Baptistæ in utero Elisabeth : quæ enim habet Scriptura : « Et factum est, ut audivit salutationem Mariæ Elisabeth exsultavit infans in utero ejus » (Luc. I, 41), Ecclesia de præcursoris sanctificatione intelligit. Quum primum vocati fuerunt ad salutiferam Salvatoris agnitionem sive Judæi in persona pastorum sive gentiles in persona magorum, Maria non separata fuit a Jesu, sed cum Maria, et aliquo modo per Mariam, invenerunt illi vocati Jesum. Hæc omnia indicium esse videntur voluntatis divinae ut omnia salutis beneficia accipiamus per Mariam.

426. *De valore praedicti argumenti.* **Adnotatio**. Argumentum, quod statim exposuimus, desumptum ex munere maternitatis quod erga homines habet Mater Redemptoris, demonstrat, ut videtur, thesim nostram *ut a Deo revelatam*. Etenim de fide divina est credendum quod Maria est mater hominum, et, si Traditionis Ecclesiæ documenta considerantur, Maria exhibetur, ut videtur, tamquam actu exercens *munus omne* quod matri competit, illudque *eminentiori modo* adimplens erga homines singillatim spectatos. Quodsi integra ratio matris erga homines singulos verificatur in Maria, tunc in illa ratione continetur *formaliter* cooperatio Mariæ in ipsa distributione gratiarum : nisi enim associetur Christo in distributione gratiarum, non actu communicat vitam supernaturalem, nec illam auget, hominibus singillatim spectatis.

427. *Nota.* Ad thesim nostram demonstrandam, vel saltem confirmandam, plures auctores argumentum adhibent ex hoc quod Maria est ut nova Eva. Absque dubio, hoc pertinet ad catholicam doctrinam quod sicut Eva fuit associata Adamo in perditione ita Maria fuit associata Christo in salvatione generis humani: inde Maria habenda est ut coredemptrix hominum. Sed ex praedicta comparatione non elucet nobis quousque se extendat influxus Mariae in redemptione hominum. Quodsi pressius consideramus partem quam habuit Eva in perditione generis humani appareret quod Maria majorem habuit partem in salvatione hominum, *etiamsi non esset distributrix gratiarum*. Etenim in hoc consistit influxus Evae quod induxit Adam ad committendum peccatum, nec ultra se extendit

et signantur non attingit ipsam amissionem gratiae: nam gratia ablata est *solo peccato Adami,* non autem peccato Evae.

Maria etiam aliqua ratione induxit Christum ad salvandum genus humanum, quatenus Maria eminenti sua sanctitate meruit de congruo ipsam executionem Incarnationis Verbi; sed praeterea Redemptioni cooperata est Maria, quatenus libere consensit ipsi Incarnationi Redemptoris, deinde quatenus curam habuit de Redemptore, tandem quatenus consensit immolationi Christi et illum obtulit Deo ut victimam placatoriam. Unde, si non ad distribuendas gratias cooperaretur Maria, tamen multo magis faceret ad salvandum quam Eva fecit ad perdendum genus humanum, adeoque ex praedicta comparatione non desumitur validum argumentum ad demonstrandam specialem thesim de qua agitur.

428

Suprà, n. 379, indicavimus qua ratione *charitas* influat in meritum. Qua de re utiliter legetur dissertatio nuperrime conscripta ab Illmo Van Roey in periodico *Ephemerides theologicæ Lovanienses,* T. I, p. 43 ss., ubi exponit cl. Auctor quomodo charitas sit forma omnium virtutum.

Nempe charitas formaliter *ordinat* ad *ultimum finem supernaturalem* omnes operationes virtutum : etenim, quia supernaturali charitate homo diligit Deum super omnia ut ultimum supernaturalem finem, ideo illo amore dirigit, saltem implicite, ad Deum omnes actus moraliter bonos a qualibet illi virtute eliciantur. Inde charitas recte dicitur *forma* omnium virtutum : nam in ratione moralitatis actuum, finis se habet ut elementum *formale,* ut elementum determinans ipsam rectitudinem moralem (1). Quia autem charitas dirigit omnes virtutum actus ad ultimum finem supernaturalem, ideo charitas vere *informat* actus virtutum, estque *forma* virtutum in operando. — Illa autem forma non est aliquid physicum quod sit intrinsecum omni actui virtutum ; sed est aliquid illi extrinsecum (2).

(1) Virtutes specificantur a fine proximo ad quem tendunt actus ipsarum, nempe a speciali ratione boni honesti ad quod tendunt. Sed ut actus sit *simpliciter* virtuosus, oportet, in praesenti Providentiae ordine, ut regatur ad *supernaturalem* ultimum finem : illa porro ordinatio fit charitate, ideoque, in praesenti Providentiae ordine, non habetur virtus *simpliciter* dicta nisi informetur charitate.

(2) Illa ordinatio est formaliter in ordine *intentionali* et accedit rectitudini intentionali quam habet actus ex conformitate cum fine proximo ad quem tendit.

INDEX RERUM ALPHABETICUS.

INDICANTUR NUMERI MARGINALES.

A

Acceptio Dei, conditio meriti, 360.

Actus moraliter boni, 42; mere honesti, *ibid.;* salutares, *ibid.;* (seu adimpletio legis quoad substantiam operum et quoad modum salutarem, 42, 67, 243 ss.). Actus virtutum infusarum non sunt supernaturales *quoad substantiam* actus, 242. V. *Meritum; necessitas gratiæ.* Actus ferventiores, et remissi, v. *Inæqualitas gratiæ; opera.*

Adjuvans gratia, 291.

Adoptio quid importet, 101. — Adoptio in filium Dei effectus gratiæ sanctificantis, 133 s. utrum homo adæquate fiat filius Dei adoptivus per specialem unionem ad Spiritum sanctum, 152.

Agnosticismus in re supernaturali, 27, v. *Modernismus.*

Alexander Halensis. Quid intellexerit nomine gratiæ gratis datæ, 10. — Mens ipsius circa cognoscibilitatem status gratiæ, 194; — tenet gratiam sanctificantem realiter distingui a virtutibus, 116.

Alphonsus de Ligorio. De efficacia gratiæ actualis, 295; 320.

Amissibilitas justificationis. Errores Protestantium, 219; item Michaëlis de Molinos, 220. Doctrina catholica justificationem amitti per peccatum mortale, 221, demonstratur ex S. Scriptura, *ibid.,* et ex ratione theologica, 222, et vindicatur ab objectionibus, 223. — Conservatio justificationis per bona opera, 224. — Peccatum mortale meritorie et effective corrumpit gratiam, 225.

Amor Dei super omnia. Notio, 82; possibilis est homini viribus naturæ relicto, 83;; quid circa hanc rem docuerit S. Thomas, 84.

Aquaviva. Mens ejus circa efficaciam gratiæ actualis, 295.

Arausicanum Concilium II. Doctrina de necessitate gratiæ in genere, 47; item in specie ad initium fidei, 56; ad actus moraliter honestos, 63; — de necessitate gratiæ actualis, 257.

Attritio, quousque sit dipositio ad justificationem, 188.

Augmentum justificationis v. *Inæqualitas.*

Augustinianismus, 295, 316; v. *Efficacis gratiæ essentia.*

Augustinus S. Specialis ipsius auctoritas in re gratiæ, 46. — Ejus doctrina circa necessitatem gratiæ in genere, 46; — impugnans Semipelagianismum, 15; — mens ejus circa opera infidelium et circa necessitatem gratiæ ad actus moraliter honestos, 63 s.; circa liberum arbitrium simul stans cum gratia efficaci, 312; circa delectationem victricem, *ibid.* circa necessitatem auxilii specialis ad perseverantiam, 333; circa valorem argumenti ex precibus Ecclesiae, 50.

« **Augustinus** » **Jansenii,** 22.

B.

Baius. Generalis ejus doctrina in re gratiæ, 19, ejusque damnatio. 20. — In specie circa necessitatem gratiæ ad actus moraliter honestos, 63 s.; circa efficaciam gratiæ actualis,295; circa statum gratiæ requisitum ad meritum, 365.

Banezianismus. Dissidium cum Molinismo, 275 ss., 1/ quoad actionem Dei in operibus creaturarum, 275, 2/ quoad medium in quo Deus cognoscit ab aeterno electiones creaturarum, *ibid.* Quid censendum, *ibid.* — Circa efficaciam gratiae actualis, 295, 314 s; circa necessitatem gratiæ ad singulos actus salutares, 339.

Bautain. Error ipsius circa cognoscibilitatem existentiae Dei, 35.

Beatitudines : quid sint, 254bis
Becanus. Ejus opinio de cognoscibilitate justificationis, 194.
Bellarminus. Quid docuerit de cognoscibilitate justificationis, 194; de divisione inter gratiam operantem et cooperantem, 293; de efficacia gratiae actualis, 326; de necessitate gratiæ actualis ad singulos actus salutares in justo, 338; rejecit sententiam Molinæ de efficatia gratiæ, 295.
Beneficium materialiter et formaliter, 304; beneficium est gratia actualis vere et mere sufficiens, 304 s.; beneficium singulare perseverantia finalis, 344.
Berti. De efficacia gratiæ, 295, 316.
Bona temporalia utrum sint objectum meriti, 391.
Bonaventura. S. Quid intellexerit nomine gratiæ gratis datæ, 10. Mens ipsius circa realitatem doni justificantis, 108, 116; circa sensum adagii : *Facienti quod in se est...* 168; circa cognoscibilitatem gratiæ, 194; circa existentiam gratiæ actualis, 258; circa meritum, 382.
Bonetty. Error ipsius circa cognoscibilatem existentiæ Dei, 35.

C.

Cajetanus docet gratiam sanctificantem realiter distingui a charitate, 116. Mens ipsius circa adagium : « Facienti quod in se est... », 169; circa augmentum virtutum, 212, in nota; circa actus quoad substantiam supernaturales, 245; circa motionem voluntatis, 274; circa necessitatem gratiæ actualis in homine justificato, 337, 338.
Calvinus. Error ejus circa amissibilitatem justificationis, 219.
Capreolus docuit virtutum infusarum actus non esse supernaturales *quoad substantiam* actus, 245; gratiam sanctificantem esse realiter distinctam a charitate, 116; in homine justificato omnes actus esse vel meritorios vel demeritorios, 380.
Mens ipsius circa prædeterminationem physicam et efficaciam gratiæ actuallis, 327.
Carthaginiense concilium. Doctrina de necessitate gratiæ, 47.
Cassianus. Doctrina ipsius in re gratiæ, 15.
Catharini, A. Ejus opinio de cognoscibilitate justificationis, 194.
Causæ justificationis. Quid causa, 148; varia ipsius genera, 149. Justificationis causæ finalis; efficiens, tum principalis, tum instrumentalis; meritoria; formalis, 150 s. v. *Adoptio.*
Charitas realiter distincta a gratia santificante, 116. — Charitas perfecta, dispositio ultima ad justificationem, 183 ss. — v. *Virtutes.*
Ad meritum non requiritur ut actus eliciatur a charitate, 372, aut ut imperetur ab ipsa. 373, quod probatur, *ibid.* et vindicatur ab objectione, 374. Qua ratione charitas influat in meritum, 365, 379, 428.
Christus : est causa meritoria gratiæ, 150.
Clemens XI damnat Quesnellum, 24.
Cognoscibilitas justificationis. Gratia nequit cognosci sive in se, sive in effectu, 190; an in causa ? 191 ss.: 1./ Seclusa speciali Dei revelatione, nemo certitudine fidei scire potest se gratiam Dei esse consecutum, 191. — Error Lutheri, 192, doctrina catholica, 193, variæ catholicorum opiniones hac de re, 194. — Sensus definitionis tridentinæ, 193. — Demonstratur ex ratione theologica, 195, et confirmatur ex traditione, 196; non demonstratur ex S. Scriptura, 197; vindicatur ab objectionibus, 198 — 2./ Certitudine tamen late dicta, excludente omne judicium probabile de opposito, scire potest homo se esse justificatum, 199 ss.; quod variis probatur, *ibid.* et vindicatur ab objectione, 204; — natura hujus certitudinis, 205. — Cognoscibilitas perseverantiæ finalis, 348.
Concomitans gratia, 291.
Concupiscentia, quid. 75.
Congregatio de auxiliis, ejus origo 21, 295.

Congruismus, 295; hæc doctrina circa essentiam gratiæ efficacis, 318 s.
Conservatio justificationis per bona opera, 224. v. *Amissibilitas.*
Consortium divinæ naturæ, 121 ss., 127.
Contemplativi quidam revelatione quadam cognoscunt se esse justificatos, 198.
Conversio salutaris exigit gratiam, 59. Utrum sit objectum meriti de congruo, 390. v. *Peccator.*
Coopertio Dei naturalis in creaturarum operationibus, *generatim* sumptis. 1°/ Quatuor modis cooperatur Deus omni operationi creaturæ, 262 ss; in specie applicat creaturam operantem ad agendum, 263 s; item influit esse operationis, 265; unde qua ratione creatura in agendo sit instrumentum Dei, 265; — 2°/ Dei cooperatio in operante creato importat præmotionem physicam, 267. — Cooperatio naturalis Dei speciatim in *voluntatis* humanæ operatione, 269 ss. v. *Voluntas.* Etiam hîc requiritur præmotio physica ad actum voluntatis ut natura, 273, non vero, ut videtur, ad actum voluntatis ut ratio, 274. — v. *Banezianismus; Efficacia.*
Cooperatio Dei **supernaturalis**, v. *Gratia actualis : essentia.*

D.

De Alveda, de efficacia gratiæ actualis, 295.
Deiformitas. Effectus formalis gratiæ sanctificantis, 132, coll. 121 ss., 127 ss.
Delectatio victrix, 295, 311; v. *Augustinus, Jansenius.*
De Molinos, v. *Michael de Molinos.*
Dionysius Cartusianus docet realem distinctionem gratiæ sanctificantis a charitate, 116; existentiam gratiæ actualis, 258.
Dispositiones ad justificationem. Notio dispositionis positivæ, 153; negativæ, 154; — distinctio a merito, 155 s., a satisfactione, 157, ab impetratione, 158. — Status quæstionis, 159.
Dispositio *positiva* ad justificationem : non sunt opera naturalia, 164 (v. *Opera naturalia*). — Utrum requiratur supernaturalis dispositio, 173; quid circa hoc docuerit Luther, 174; quid doceat Ecclesia, 175. — Quæ doctrina exponitur, 176 ss.: 1./ In infantibus nulla dispositio requiritur 176; — 2./ In adultis variæ dispositiones supernaturales prærequiruntur, 177; quæ enumerantur *ibid.;* v. *Fides justificans Lutheri;* — 3./ Ultima dispositio extra Sacramentum est charitas perfecta, 183 ss.: quod probatur tum S. Scriptura, 183; tum ratione theologica, 184; tum documentis Ecclesiæ, 185; a quanam gratia eliciatur hic actus charitatis, 186 s.; — 4./ Intra sacramenti susceptionem, dispositio sufficiens est attritio cum spe veniæ, 188.
Distributio gratiæ : 1) Justis dantur gratiæ sufficientes ad omnia mandata servanda, 396, abundantiores vero iis qui sunt membra Ecclesiæ, 397; —2) Peccatores, v. *h. v.*; 3) Infideles, v. *h. v.*
Dogma in sensu modernistarum, 27 animadversio circa rectam notionem dogmatis, 421.
Dona Spiritus Sancti. Existentia eorum suadetur ex S. Scriptura, 249, et confirmatur auctoritate theologorum, 250. — Essentia sua sunt dispositiones habituales quibus justus redditur prompte mobilis ab instinctu Spiritus Sancti, 251; discrimen eorum a virtutibus, 252; dantur in adjutorium virtutum, 253, quin tamen exercitium eorum requiratur ad singulos actus salutares, 254; non dantur tantum ad actus heroicos 252; duplex est donorum exercitium, 254bis — v. *Virtutes infusæ.*

E.

Ecclesia. Originem divinam ipsius negant modernistæ, 29. — Ipsius magisterium requiritur simul cum interno gratiæ influxu, 350.
Efficacia gratiæ actualis, 294 ss. —Historia controversiæ, 295. — Distinc-

tio gratiæ proxime et remote sufficientis, 296.

1./ Existentia gratiæ vere et mere **sufficientis**, quo sensu sit admittenda explicatur, 297, et demonstratur, tum S. Scriptura, 298, tum traditione et Ecclesiæ documentis, 299 s., tum ratione theologica, 301; ut inefficax rejicitur argumentum ex voluntate Dei salvifica universali, 302. — Vindicatur doctrina a variis objectionibus, 303. — Hæc gratia est *beneficium* Dei tum materialiter tum formaliter spectatum, 304 s.

2./ Existentia gratiæ **efficacis** nec tamen necessitantis voluntatem, probatur, 306 ss, et vindicatur ab objectionibus, 310. Hinc falsa sententia Jansenii de delectatione victrici, 311; — Mens S. Augustini, 312. — Gratia efficax nequit esse objectum meriti de condigno, 386, bene vero meriti de congruo, 389. — v. *Distributio gratiæ*.

Gratiæ **efficacis essentia.** Variæ hac de re sententiæ exponuntur : Banezianorum, 314; rejicitur utpote non salvans gratiam vere ac simul mere sufficientem, nec libertatem indifferentiæ, 315; — Augustinianorum, 295, 316; rejicitur, 317; — Molinæ et Congruistarum, 318 s.; — Systema sorbonico-alphonsianum, 320. — Sententia nostra : Quo sensu gratia dicatur efficax, 321. — 1./ Divisio gratiæ in efficacem et mere sufficientem cadit in gratiam excitantem, 322; 2./ non differunt ab intrinseco, 323; 3./ gratia efficax est majus beneficium quam gratia mere sufficiens, 324. Gratiæ efficacia reponenda est in congruitate relativa auxilii excitantis, 326. Quid hac de re Capreolus, 327.

Elevans gratia, v. *Gratia*.

Eva : de ratione qua B. M. V. dicitur nova Eva, 427.

Excitans gratia, 291.

Existentia Dei cognosci potest sola ratione, 41, nota (3).

F.

Facienti quod in se est..... Hujus axiomatis sensus apud antiquos : S. Bonaventuram, 168; S. Thomam, 169. — Duplici sensu vero exponitur, 170 ss.

Facilitas agendi. v. *Virtutes*.

Fides negatur a Rationalistis, 25; quid sit in sensu modernistarum, 27 s.; negant veram fidem, 29. — Fides fundamentum justificationis, 177, 348. — Fides justificans Lutheri. Exponitur ipsius doctrina, 174; refellitur, 178 ss. : 1./ non sufficit sola fides ad justificationem, ut constat tum S. Scriptura, 178, tum traditione 179, tum ratione theologica 180, et vindicatur ab objectione ex Paulo, 181. — 2./ Fides quæ requiritur ad justificationem est fides dogmatica, 182. — Fides, quomodo sit virtus stricte dicta, 248.

Fiducia, v. *Fides Lutheri*.

Franciscus Salesius. Mens ipsius circa axioma : « Facienti quod in se est...» 169bis; circa habitum naturaliter acquisitum ex actibus virtutis infusæ, 242; circa efficaciam gratiæ actualis, 295.

Fructus Spiritus Sancti : quid sint, 254bis .

G.

Gratia. *Definitio* nominalis multiplex, 2; sensu stricto designat donum supernaturale, 3; definitio realis, 7. — Quo sensu dici possit aliquid creatum, 11. — Ex integro ordine gratiæ elucet Dei beneficentia et hominis justificati dignitas, 349; — Gratia interna non reddit superfluum magisterium Ecclesiæ, 350. — Gratia non destruit naturam, 351. — Gratiæ *existentia* ex sola revelatione cognosci potest, 80 s.

Divisio ejus in increatam et creatam; Dei et Christi; externam et internam; gratum facientem et gratis datam; actualem et habitualem, 9; —elevantem et sanantem seu medicinalem, 86 s.; de facto tamen omnis

gratia medicinalis simul videtur esse elevans, 88, quod probatur, 89. Quonam sensu gratiam gratis datam intellexerint antiqui scholastici, 10;.

Necessitas ipsius; *Distributio* ipsius, v. *hæc verba.*

Errores in re gratiæ, v. *Baius, Calvinus, Cassianus, Luther, Modernismus, Pelagianismus, Rationalismus, Semipelagianismus.*

Gratia actualis. *Existentia* demonstratur tum ex S .Scriptura, 256, tum ex Ecclesiæ declarationibus, 257; quid circa ipsam antiqui Scholastici, 258; — Est autem illuminatio intellectus et inspiratio voluntatis, 259; demonstratur in specie dari voluntatis inspirationes immediatas, 260.

Essentia. — 1./ Hæ illuminationes et inspirationes important actus vitales indeliberatos intellectus et voluntatis, 277, qui actus movent intentionaliter, 285; motus vero in facultatibus sensitivis non sunt proprio sensu gratiæ actuales, 278. 2./ Gratia actualis excitans essentialiter est in entitate transeunte qua facultas humana intrinsece applicatur ad actum indeliberatum eliciendum, 279 s., 283, 290. 3/ In homine carente habitu infuso datur virtus supernaturalis fluens ad actum indeliberatum eliciendum, 281 s. Quæ virtus fluens non est dicenda qualitas mortua, 287. Aliæ sententiæ exponuntur, 286; — 4/ In homine justificato non requiritur nova et secunda virtus supernaturalis ad actum deliberatum, 288: utrum vero in homine non justificato, disputatur, 289.

Circa *divisionem* ipsius, variæ sunt sententiæ, 291, sententia quæ præferenda videtur exponitur, 292.; quid hac de re S. Thomas, 293.; quid Bellarminus, *ibid.*

Necessitas gratiæ actualis ad perseverantiam, 331 ss., 336.

Gratia efficax. v. *Efficacia gratiæ.*

Gratia habitualis. v. *Gratia sanctificans*

Gratia justificans. v. *Gratia sanctificans.*

Gratia operans et cooperans, 130; 291.

Gratia sanctificans. Definitio ipsius deducitur ex notione justificationis (v. hanc vocem), et ex exposita re in qua dicta notio materialiter verificatur, 99 ss., — ratio nominis, 128; enuntiatur definitio, 129. Quonam sensu eam distinguebant antiqui in operantem et cooperantem, 130 s. — Gratia sanctificans quomodo cohæreat cum virtutibus, 119, 240, 339. Gratia sanctificans quonam sensu sit participatio naturæ divinæ, 121 ss., et quasi nova natura, 127 ss. — V. *Justificatio.*

Effectus formalis ipsius est: 1./ deiformitas, 132; ad quam consequitur 2./ adoptio in filium Dei; 3./ remissio peccatorum, 135; 4./ inhabitatio Dei, 137. V. *has voces.*

Homini moraliter *necessaria* est ut servare possit ipsam legem naturalem, 76 s. — Qua ratione influat in meritum, 379.

Ejus **augmentum**, v. *Inæqualitas justificationis.*

Gratia sufficiens. v. *Efficacia gratiæ; Distributio gratiæ.*

H.

Habitus,, quid, 237 : operativus et entitativus, *ibid.;* per se infusus, 236 v. Virtutes.

Hieronymus non favet semi-pelagianismo, 55.

Humilitas nutrienda doctrina de necessitate gratiæ, 92.

I.

Illuminatio intellectus. v. *Gratia actualis.*

Immanentia vitalis. Funditus evertit doctrinam de essentia et necessitate gratiæ, 91; — implicite negat supernaturalem ordinem, 27 et incomposibilis est cum recta notione de gratia, 91, v. *Modernismus.*

Impetratio. Notio, 158; discrimen a merito, *ibid.* et 167.

Impotentia, physica et moralis, notio, 31. — Impotentia moralis ad servandam totam legem naturalem, 70 ss., 75 ss.; undenam cognoscitur, 80.

Impotentia moralis vitandi omnia peccata venialia, 341 ss. — V. *Necessitas.*

Inæqualitas justificationis. Error Lutheri, 206; doctrina catholica, 207. — 1./ Augetur gratia sanctificans per bona opera supernaturalia, 208; quod augmentum explicatur, *ibid.*, et probatur S. Scriptura, 209, et ratione theologica, 210; — 2./ probabilius actu augetur tantum per sola opera ferventiora, etsi et opera remissa dici possint et ipsa meritoria hujus augmenti, 211 ss.; quod exponitur verbis S. Thomæ, 212, et probatur 213, et vindicatur ab objectionibus, 215; — 3./ gratia sanctificans nunquam intrinsece minuitur 217, quod vindicatur ab objectione, 218.

Incarnatio, quomodo supernaturalis, 6.

Infallibilitas Ecclesiæ in judicandis factis dogmaticis, 23.

Infideles. Opera ipsorum non omnia sunt peccata, 65; quousque possint servare legem naturæ, 77. Infideles positivi et negativi, 403. Infidelibus *negativis* datur auxilium sufficiens quo possint salutem consequi, 404 ss. : demonstratur ex S. Scriptura, 405; ex Traditione, 406; ex Ecclesiæ documentis, 407. — Infideli vitanti peccatum mortale datur gratia sufficiens, qua possit credere et justificari, 408 s. Quo modo adulti infideles negativi salvari possint, 410 et 410bis — De infidelibus *positivis,* dicendum sicut de peccatoribus, 403.

Inhabitatio Dei. Est effectus gratiæ sanctificantis. 137 ss. : demonstratur, ex S. Scriptura et Traditione, *ibid;* explicatur qualis sit præsentia Dei in ordine naturali, 139, et in ordine supernaturali, 140 ss.; quonam modo differat hæc a præsentia Christi eucharistica, 143. — Communis est tribus Personis SS. Trinitatis, 144; quonam sensu speciali modo tribuatur Spiritui Sancto, 145. Huc refer Missionem internam Filii ac Spiritus sancti, 146. 101. — V. *Adoptio.*

Innocentius X damnat Jansenium, 22.

Inspiratio voluntatis. v. *Gratia actualis.*

Instrumentum. Notio, 266; qua ratione creatura in agendo sit Dei instrumentum, *ibid.*

Intensitas actus auget meritum, 369.

Irenæus non favet Semi-Pelagianismo.

J.

Jansenius. Ejus doctrina in re gratiæ *in genere* ejusque damnatio, 22; — in specie circa efficaciam gratiæ actualis et delectationem victricem, 311, 295.

Justificatio. — Diversæ formales significationes hujus nominis, 96s.; in quanam re ratio justificationis verificetur, 97 ss. Doctrina reformatorum, *ibid.* Enuntiatur doctrina catholica, 98, et explicatur per partes, 99 ss : — Justificatio impii importat veram remissionem peccatorum, 99 s.; — fit per physicum, internum, supernaturale et permanens donum, 101 ss,; 108 s.; quod probatur tum ex S. Scriptura, 101, tum ex traditione et declarationibus Ecclesiæ, 105 s.; tum ex ratione theologica, 107; et vindicatur ab objectionibus, 102 ss. — Hoc donum internum non est ipse Deus, 110 s. : demonstratur, 112. Est accidens 113; qualitas, 114. Probabilius est donum realiter distinctum a charitate, 116 ss.

Donum justificans subjectatur in essentia animæ, 120; estque essentialiter participatio naturæ divinæ, 121; quod explicatur, 122, et vindicatur ab objectionibus 123 ss.; estque quasi nova natura, 127.

v. *Causæ; Dispositiones, Gratia sanctificans; Proprietates justificationis.*

K.

Kant. Quomodo ab ipsius influxu modernismus ortum duxerit, 27; fidem negat 248; ejus doctrina meritum destruit, 353.

L.

Leo X damnat Lutherum, 18.
Lessius : ejus opinio de ratione formali adoptionis, 152.
Lex naturalis utrum servari possit, v. *Necessitas gratiæ.*
Libertas humana stat cum impotentia morali hominis servandi legem naturæ, 78 s.; cum gratia efficaci, 306 ss.; — cum impotentia morali vitandi venialia omnia, 341 ss; — non cum sententia Jansenii de efficacia gratiæ, 311, nec, ut videtur, cum sententia Banezianorum circa prædeterminationem physicam, 315. — Quomodo definienda, 272. Libertas conditio meriti de condigno, 367; a gradu libertatis pendet quantitas meriti, 369.
Liturgicae preces : de necessitate auxilii gratiae, 49; de augmento gratiæ, 209; de meritis Sanctorum, 392bis; non demonstrant necessitatem gratiæ actualis ad singulos actus, 340.
Lombardus : v. PETRUS.
Lutherus. Generalis ejus doctrina in re gratiæ, 17; ejus damnatio, 18. — In specie doctrina ipsius circa id in quo verificetur ratio justificationis, 97; circa cognoscibilitatem justificationis, 192; circa ejus inæqualitatem, 206; circa amissibilitatem justificationis, 219; circa efficaciam gratiæ, 295; circa meritum, 353. — v. *Fides Lutheri.*

M.

Mediatrix. B. M. V. triplici ratione dicitur mediatrix gratiarum, 412; mediatio B. M. V. in distributione gratiarum reducitur ad causalitatem moralem, 414, quæ se extendit solum ad gratias collatas post Assumptionem B. M. V., 415 s., non autem directe ad infusionem gratiæ sanctificantis, 417. Mediatio B. M. V. non contradicit intercessioni aliorum Sanctorum 418; demonstratur autem 1./ ex munere coredemptricis, 419-423, 2./ ex munere Matris hominum, 424.
Medicinalis gratia. v. *Gratia.*
Meritum. Notio, 155; de condigno et de congruo, *ibid.;* distinguitur a dispositione positiva, 156; a satisfactione, 157, ab impetratione, 158, 167. meritum de congruo haud distinguendum in fallibile et infallibile, 382. Meritum quale jus importet apud hominem, quale debitum apud Deum, 358. — Causa meritoria justificationis Christus, 150, 358, 393.

Meriti *existentia* probatur, 354 ss. 1./ ex S. Scriptura, 355; 2./ ex Traditione, 356; 3./ ex ratione theologica, 355; vindicatur a variis objectionibus, 357. *Errores* doctrinæ catholicæ oppositi, 353 ss.

Conditiones ad meritum *de condigno* requiruntur : 1./ ex parte Dei, acceptio 360; 2/ ex parte subjecti operantis : 1. status viæ, 361 ss ; 2. status gratiæ, 365; 3./ ex parte ipsius operis : 1. ut sit moraliter bonum, 366; 2. liberum, 367; 3. supernaturale, 368, v. *Supernaturale.* — Quod omnis actus humanus in justo sit vel meritorius vel demeritorius, 380. — Conditiones ad meritum de congruo, 381 ss.

Quantitas meriti pendet a supernaturali dignitate personæ operantis, — a gradu libertatis, — a specie morali, ab intensitate actus, 369. — Quousque meritum augeri possit ex malo quod suffertur, — ex difficultate operis, — ex externa executione, 370.

Objectum meriti, 383 ss. : nequit homo sibi mereri primam gratiam, 383; potest justus *de condigno* sibi mereri augmentum gratiæ et gloriæ, 384, et ipsam gloriam, 385; non vero gratias efficaces, 386, aut perseverantiam finalem, (344 s.), 387 s.; tum justus tum peccator possunt *de congruo* mereri gratias actuales etiam efficaces, 389; utrum possit homo mereri de congruo reparationem post lapsum, 390, aut bona temporalia, 391; potest justus etiam *aliis* mereri de congruo ea quæ sibi mereri potest et etiam primam gratiam, 392. — Christus aliis meritus est *de condigno* salutem, 393. v. *Opera naturalia.*

Michaël de Molinos. Error ejus circa amissibilitatem justificationis, 220 ; circa meritum, 353.
Miraculum, quomodo supernaturale, 6.
Missio Filii et Spiritus Sancti, 146.
Modernismus. Ejus origo a Kant, 27; oppositio ipsius 1./ cum ordine supernaturali *generice* spectato: a/ per agnosticismum; b/ per negationem ordinis supernaturalis in theoria de immanentia vitali, 27. Modernismi damnatio per encyclicam *Pascendi* 28; in quonam consistat fides et revelatio juxta modernistas, *ibid.*

2./ Oppositio ipsius cum elementis religionis supernaturalis *singillatim* spectatis a/ per negationem divinæ revelationis et fidei, 29; b/ per negationem divinæ originis Ecclesiæ, *ibid.;* c/ per negationem gratiæ, *ibid.* — Indigentia psychologica non confundenda cum necessitate revelationis, 38; Varia placita circa hanc necessitatem, 38.
Molina. Sententia ejus circa efficaciam gratiæ, 295, 21. — v. *Efficacia gratiæ; Cooperatio Dei; Banezianismus.*
Molinismus, circa efficaciam gratiæ actualis 295; — circa necessitatem gratiæ actualis ad singulos actus salutares, 338 s. — v. *Banezianismus.*
Motio, v. *Voluntas.*

N.

Natura et **naturale,** quid, 4; immerito hoc vocabulum restringitur ad solas res materiales, 8. — Quomodo gratia sit participatio naturæ divinæ, 121 ss., et quasi nova natura, 127. v. *Opera naturalia; Gratia.*
Naturalismus rejiciendus : 29 bis
Necessitas. Notio, 30; variæ divisiones necessitatis, *ibid.;* necessitas physica et moralis, 31/; — medii et præcepti, 32.

Necessitas gratiæ ad *verum* cognoscendum : in casu, *revelatio :* 1./ Gratia non est *physice* necessaria ad cognoscendas *veritates* ordinis naturalis, 33, etiam illas quæ sunt fundamentum ordinis moralis, 34; errores Bautain et Bonnetti, 35; — est tamen moraliter necessaria ad congruam religionis naturalis cognitionem, 36 ss. — 2./ Physice necessaria est revelatio ad cognoscendas veritates ordinis supernaturalis, 39; item necessaria est gratia interna ad assensum proportionatum huic divinæ revelationi, 40; quæ necessitas revelationis uberius explicatur juxta Conc. Vaticanum, 41.

Necessitas gratiæ ad bene *agendum;* 1./ Physice necessaria est ad omnes actus *salutares.* — Quod probatur tum S. Scriptura, 44; tum traditione, ante hæresim pelagianam, 45, et post ipsam, 46; — tum Ecclesiæ definitionibus, 47 s.; tum ex precibus Ecclesiæ, 49 s.; tandem ex ratione theologica, 51. — In specie necessaria est ad *initium fidei;* quod probatur ex iisdem fontibus 52 ss.; et vindicatur a variis objectionibus, 58 s. — 2./ Non est physice necessaria ad omnes actus *mere honestos;* quod probatur ratione theologica, 60, et traditione, 61; enucleatur apparens contradictio inter varias Ecclesiæ declarationes. 63 s. — Unde non sunt peccata omnia opera infidelium, 65, aut peccatorum, 66. Unde *physice* possibilis est homini adimpletio legis quoad substantiam operum, impossibilis quoad modum salutarem, 67; quænam sit possibilis homini victoria de tentationibus, 68 s. — Attamen, homini in statu naturæ lapsæ *moraliter* necessaria est gratia, ut possit totam legem, etiam naturalem, observare, 70 s. Quod explicatur, 70, et demonstratur ex S. Scriptura, 71 ss.; quid hac de re traditio, 74. Ex sola ratione certo probari nequit, 80 s. — Ulterius explicatur indoles hujus impotentiæ moralis hominis 75, et quale auxilium gratiæ de facto requiratur, 76; et solvitur difficultas desumpta ex doctrina de libertate humana 78 s.

Ex dictis sequitur gratiam esse necessariam tum *physice* ad elevandos actus, 85; tum *moraliter,* ad sanandam naturam seu vires addendas,

86; de facto tamen omnis gratia medicinalis simul videtur esse elevans, 88.

Nota. Quodnam requisitum fuisset auxilium in statu naturæ puræ, 90. — Gratia actualis non requiritur ad singulos actus salutares justi, 338; nec ad singulos actus meritorios, 371. v. etiam *Amor Dei super omnia; Perseverantia.*

Hæc doctrina de necessitate gratiæ est in ordine ad praxim fundamentum humilitatis, spei ac fiduciæ, religionis ac zeli, 92,

O.

Obstinatio, quid, 398; perfecta et imperfecta, *ibid.* v. *Peccatores.*

Occasionalismus, 264.

Opera naturalia non sunt dispositio positiva ad gratiam, 160; nec sunt in actu secundo meritoria justificationis, 161 ss.; quod probatur: 1./ ex S. Scriptura, 161 s., 2./ en traditione et documentis Ecclesiæ, 163. Nec sunt meritoria in actu primo, 164. — Nec precibus naturaliter factis inest vis impretratoria 165; quod probatur : 1./ ex S. Scriptura; 2./ ex traditione, *ibid.;* 3./ ex ratione theologica, 166 s. — v. *Facienti quod in se est.*

Operans gratia, 291.

Optatus, S. non favet Semipelagianismo, 55.

P.

Parabola de talentis, 58.

Peccator. Ejus opera non omnia sunt peccata, 66. — Etiam obstinatis datur gratia ad conversionem sufficiens, 398 ss.; demonstratur ex S. Scriptura, 399; ratione theologica, 400.

Peccata. Eorum remissio, v. *Justificatio.*

Peccatum mortale effective et meritorie corrumpit gratiam, 225.

Peccatum veniale quid efficiat circa gratiam sanctificantem, 217 s. — Venialia peccata absque privilegio speciali omnia vitari nequeunt, 341 ss.

Pelagianismus. Errores generales in re gratiæ, 13.

Perseverantia. Notio, 329; divisio in activam et passivam, 330. 1./ Speciale auxilium Dei requiritur ad perseverandum, v. 331, et demonstratur, ex S. Scriptura, 332, ex Traditione, 333; justificatus autem de facto semper habet unde perseverare possit, quod demonstratur, 334. — 2./ In adulto, interdum saltem, requiritur gratia actualis, 336. — 3./ Non tamen videtur requiri ad singulos actus salutares, 338; quod vindicatur ab objectionibus, 339 s. — 4./ Homo, etiam justificatus, non potest per totam vitam omnia venialia vitare absque speciali Dei privilegio, 341; probatur, 342 ss., ex S. Scriptura, 342, ex traditione, 343; et ex ratione, 344. — Perseverantia finalis singulare est beneficium Dei, 346; ejus signa, 348. — Nequit esse objectum meriti de condigno, 387; potest impetratione obtineri, *ibid.;* quod vindicatur ab objectione ex « magna promissione » Cordis Jesu, 388.

Petavius admisit inhabitationem Spiritus Sancti propriam, 144 s.; 152.

Petrus Lombardus, quid docuerit de justificatione per donum quod esset ipse Deus, 111.

Pius V damnat Baium, 20.

Pius IX damnat Rationalismum in Syllabo, 26.

Potentia obedientialis, 8.

Prædestinatio. v. *Perseverantiæ finalis signa.*

Præmotio physica admittenda, 267;

Præsentia Dei in justo. v. *Inhabitatio Dei.*

Præveniens gratia, 291.

Preces Ecclesiæ. Valor argumenti ex ipsis desumpti, 50.

Proprietates justificationis, 189 ss. — Sunt 1./ cognoscibilitas, 190 ss., v. *h. v.;* 2./ inæqualitas, 206 ss., v. *h. v.* 3./ amissibilitas, 219 ss., v, *hæc verba.*

Q.

« **Qualis vita, mors ita** ». Sensus hujus adagii, 348.
Qualitas mortua, 287.
Quesnellus. Doctrina ejus in re gratiæ, ejusque damnatio, 24.

R.

Rationalismus, quomodo doctrinæ catholicæ de gratia adversetur, 25; ejus damnatio, 26. v. *Modernismus; Kant.*
Redemptio : de formali ratione Redemptionis, 423.
Remissio peccatorum. v. *Justificatio.*
Relatio operum in Deum qualis requiratur ad meritum, 375; v. *Supernaturale.*
Revelatio. Negatur a rationalistis, 25; quid sit in sensu modernistarum, 28; negant revera revelationem, 29 — Revelatio non est physice necessaria ad cognoscendas veritates ordinis naturalis, 33, etiam eas quæ sunt fundamentum ordinis moralis, 34, moraliter tamen necessaria est, 36 s.; hæc necessitas moralis non confundenda cum indigentia psychologica, 38, nec redit ad Traditionalismum, *ibid.* — Physice necessaria est ad cognoscendas veritates ordinis supernaturalis, 39. — Revelatio est gratia externa, 38.
Ripalda : opinio ejus de essentia gratiæ sanctificantis rejicitur, 126. etiam de augmento gratiae, 211.

S.

Sanans gratia. v. *Gratia.*
Satisfactio. Notio, 157.
Scholastici. Recensentur præcipui qui scripserunt in re gratiæ, 16. — Quonam sensu distinguebant gratiam sanctificantem in operantem et cooperantem, 130, s. Eorum opinio de cognoscibilitate justificationis. 194; de augmento gratiæ sanctificantis per sola opera ferventiora, 211 ss.; de gratia actuali, 256. — V. *Alexander Halensis, Bonaventura, Capreolus, Thomas, etc.*
Semipelagianismus. Errores generales in re gratiæ, 14; refutantur probata necessitate gratiæ ad initium fidei, 52 ss.; — doctrina nonnullorum Patrum circa ipsum, 55.
Signa prædestinationis. v. *Perseverantia.*
Significatio formalis et materialis nominum, 94 s.
Sorbonico-Alphonsianum systema circa efficaciam gratiæ, 320.
Soto circa actus quoad substantiam et actus quoad modum tantum supernaturales, 245.
Spiritus Sanctus non est gratia justificans, 110 s. v. *Inhabitatio Dei, Dona, Missio.*
Status gratiæ, conditio meriti de condigno, 365.
Status viæ, conditio meriti de condigno, 361 ss. : post mortem nequit homo mereri visionem beatificam, 362, nec ejus augmentum, 363, nec præmium accidentale quodvis, 364.
Suarez : ejus opinio de repugnantia intra gratiam et peccatum, 136; de augmento gratiæ, 211; de efficacia gratiæ actualis, 319; de habitu naturaliter acquisito ex actibus virtutis infusæ, 242, de supernaturalite requisita ad meritum, 377.
Subiectum gratiæ sanctificantis est essentia animæ, 120.
Subsequens gratia, 291.
Substantia supernaturalis repugnat, 8.
Supernaturale. Definitio nominalis, 5; definitio realis, 6. Substantia supernaturalis repugnat, 8. Supernaturalitas actuum tota provenit a principio subjectivo, 243. v. *Natura; Gratia; etc* — Supernaturale debet esse opus ut sit *meritorium* de condigno, 368. Qualis supernaturalitas requiratur, explicatur, 371 ss. : non requiritur semper gratia actualis, 371, nec ut actus meritorius eliciatur charitate, 372, aut imperetur charitate 373; quo sensu requiritur ut referantur actus in Deum, 375 s., non requiritur ut frequenter explicite referantur in Deum, 376; nec ut procedant ex mo-

tivo supernaturali, 377; requiritur ut supernaturale sit judicium practicum conscientiæ, 378. Qua ratione in meritum influant tum gratia sanctificans, tum charitas, 379.

Syllabus damnans rationalismum, 26.

T.

Tentatio, quid, 75. Triplex de illis victoria, 69, 75.

Thomas S. Aquin. Quid intellexerit nomine gratiæ gratis datæ, 10; ejus sententia circa possibilitatem amoris Dei super omnia, homini solis viribus naturæ relicto, 84; circa distinctionem gratiæ elevantis et sanantis, 87; circa adagium : *Facienti quod in se est...*, 169; circa gratiam a qua elicitur actus caritatis justificans, 187; circa augmentum justificationis actu collatum per sola opera ferventiora, 211 ss.; circa supernaturalitatem actuum quoad modum tantum, 245; circa existentiam gratiæ actualis, 258; circa divisionem gratiæ actualis, 293; circa auxilium Dei requisitum ad perseverantiam, 337; circa necessitatem gratiæ actualis ad singulos actus salutares, 338.

Tournely de efficacia gratiæ actualis, 295, 320.

Traditionalismus, 38.

Tridentinum concilium. Ejus doctrina circa varia dogmata fidei, v. singula capita. — Sensus definitionis circa cognoscibilitatem justificationis, 193.

U.

Urbanus VIII prohibet « *Augustinum* » 22.

V.

Vaticanum concilium de Dei existentia, 34; de necessitate revelationis, 37 ss.

Venialia. v. *Peccata.*

Veritates quousque cognosci possint, v. *Revelatio.*

Viennense concilium, de existentia virtutum infusarum, 232.

Virtutes infusæ et dona Spiritus Sancti. Generalis doctrina catholica, 227. Discrimen inter virtutes et dona, 252. Virtutum relatio ad gratiam sanctificantem, 119, 240, 339.

Existentia 1./ virtutum theologalium, demonstratur tum S. Scriptura, 228, tum traditione et Ecclesiæ documentis, 229, tum ex ratione theologica, 230; — 2./ virtutum moralium probabilis ostenditur ex iisdem textibus, 231 ss.

Essentia earum, 234 ss; quid sit donum per se infusum, 235; quod nonnisi reductive pertineat ad prædicamentum qualitatis vel habitus, 236. — 1./ Sunt habitus operativi, 237, ac virtutes stricte dictæ, 238. — 2./ Conferunt ipsum posse agere supernaturaliter, 239, non vero facilitatem ad exercitium actus, 240, earum tamen actus repetiti generant habitum naturalem, 241; variæ hac de re opiniones theologorum, 242; — 3./ Actus earum non sunt supernaturales quoad substantiam actus, sed tantum quoad modum, 243 ss.; explicatur, *ibid.*, et probatur, ex ratione theologica, 244 et confirmatur auctoritate theologorum, 245; unde supernaturalitas intrinseca horum actuum tota a principio subjectivo oritur, 243. 247.

Visio Dei intuitiva essentialiter supernaturalis, 6.

Voluntas agit ut natura vel ut ratio, 269, varia discrimina inter utrumque modum agendi, 270; — movetur vel moraliter ab objecto, vel physice a causa efficiente, 271; inter objecta voluntatis venit etiam ipse actus voluntatis, 272. — v. *Cooperatio.*

Voluntas Dei signi et beneplaciti, 303.

Voluntas salvifica universalis non probat omni homini dari gratiam proprie dictam, 302.


1425

234
M472

[redacted] MEERSCH Joseph van der

AUTHOR

Tractatus De Gratia Divina

TITLE

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER
	O'Neill	
	Torpey	
	Sheerin	

1425